JOH. FRID. WILH. DE NEUMANN,
in WOLFSFELD,
CONSILIARII BRANDENBURGICO-
ANSPACENSIS,

DE
PACTIS ET CONTRACTIBUS
PRINCIPUM
COMMENTATIO.

FRANCOFURTI ad MOENUM,
Ex Officina REINHARDI EUSTACHII MOELLERI, 1752.

Conſpectus Titulorum.

LIBER I.

DE

Pactis & Contractibus Principum in genere.

Tit. I. de Obligatione ſpeciatimque de Voto & pollicitatione.

II. de pactis, eorumque definitione ac diviſione.

III. Qui & quibuscum paciſci poſſunt.

IV. de objecto pacti.

V. de pactorum forma & requiſitis, ſpeciatimque conſenſu, ejusque impedimentis, errore, dolo ac metu.

VI. de expreſſa tacitaque, nec non conditionata conſenſus declaratione.

Tit. VII. de firmamentis pactorum.

VIII. de juramentis promissoriis.

IX. de effectu pactorum, seu orta ex iis obligatione, ubi de obligatione subditorum ac successorum ex pactis Principum, & privilegiorum revocatione.

X. de doli, culpæ & periculi in contractibus præstatione.

XI. de evictionis præstatione.

XII. de usuris.

XIII. Cui ex obligatione jus acquiratur, quisque in plurium concursu reliquis præferatur, ubi de jure retractus.

XIV. de modis tollendi obligationem.

LIBER II.

DE

Singulis pactorum & contractuum speciebus, eorumque inter Principes usu.

Tit. I. de *donationibus*, speciatimque quis inter Principes valide donet?

II. de conjugum illustrium donationibus.

III. Qui-

III. Quibus a Principe valide donetur?

IV. Quid donari poſſit?

V. Quomodo quibusque ſolennitatibus Principes donent?

VI. de conditionibus & revocationibus donationum.

VII. de mutuo.

VIII. de commodato & precario.

IX. de mandato.

X. de depoſito.

XI. de *permutationibus*, ſive contractibus qui innominati vulgo audiunt, nec non de contractu cenſitico.

XII. de contractibus, qui rerum pretia ſeu numos ſupponunt, ſpeciatimque de emtione.

XIII. de locatione conductione.

XIV. de contractu collybiſtico ſeu cambio.

XV. de contractu uſurario ſeu fœnoratitio.

XVI. de Societate.

XVII. de pactorum *aſſecurationibus*, ſpeciatim de pignore.

XVIII. de obſidum datione.

XIX. de obſtagio vulgo Einlager.

XX. de fidejuſſione & guarantia.

XXI. de Senatus conſulto Vellejano, ejusque inter Principes *uſu.*

XXII. de ſtipulatione & conſtituta pecunia.

XXIII. de contractu chirographario.

XXIV. de contractibus tacite initis.

XXV. de quaſi-contractibus.

LIBER I.

DE

PACTIS ET CONTRACTIBUS PRINCIPUM IN GENERE.

TITULUS I.

DE

Obligatione, ſpeciatimque de Voto & Pollicitatione.

* *
*

Obligatio liberæ voluntatis reſtrictionem innuit, & in Votis DEO, in pollicitationibus Reipublicæ ſola promiſſione citra acceptationem acquiritur. Durior autem Principum, quam ſubditorum circa pollicitationes eſt conditio.

§. I.

§. I.

Obligationis etymologia. Obligatio Romanis a ligando dicta, quia olim manceps, sive is cui res vendebatur, dicis causa alium nectebat, & alligabat, aliis quoque utut hunc ritum negligentibus, merito ita vocatur, quia necessitatis quoddam vinculum involvit. Unde & definitur per juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ pr. Inst. de Oblig. At si forte figuratæ locutiones in definitionibus displicent, clarius definiri poterit, quod sit necessitas aliquid agendi aut omittendi ei, cui alias liberum est agendi arbitrium, imposita: vel brevius quod sit restrictio liberæ voluntatis *.

* Neoterici cum *Wolfio* definiunt obligationem per connexionem motivi cum actione. At oppido falsam esse hanc definitionem, inde apparet quod etiam prohibitorum, quorum sane nulla est obligatio, dentur motiva. Fur, qui novit, se haud obligari ad furandum, sed prohibita potius esse furta, nihilominus ad ea movetur per cupiditatem habendi.

§. II.

definitio. Est *necessitas*, utpote sine qua obligatio nulla concipi potest. Unde & obligatio in debitoris arbitrium conferri nequit, & si forte confertur in tempus, cum commodum erit debitori, nach seiner Gelegenheit, id tamen boni viri, seu judicis arbitrio committendum esse, recte monet *Beyer* Jur. Germ. L. 3. c. 1. pos. 11. Sufficit autem adesse necessitatem ex parte debitoris, utut alter, cui debetur obligatio, exigendi facultate destituatur. Spectat huc divisio obligationis in perfectam, quæ alteri exigendi jus confert, & imperfectam, quæ quidem obligat, ita tamen, ut alter jure exigendi destituatur, qualis est obligatio ad officia humanitatis. Conf. Tit. 3. §. 81. Ni forte dicere malis, tali casu hominem non aliis, sed DEO obligari, cujus intuitu omnis obligatio est perfecta, nulla imperfecta.

§. III.

Is qui obligatur, generali voce *debitor*, ille vero cui debetur obligatio, *creditor* appellatur, & quemadmodum in debitore *obligatio* cernitur, ita penes creditorem existit *jus ad rem*, seu facultas qua quis personam sibi habet obligatam ad aliquid dandum aut faciendum. Siquidem hæc duo obligatio nimirum & jus ad rem ita sibi respondent, ut ubi jus ad rem, ibi etiam adsit obligatio, non autem vice versa, ubi obligatio, ibi & jus ad rem. Latius enim patet obligatio quam jus ad rem, & quoque ad personarum & dominii jura pertingit.

§. IV.

Porro diximus, obligationem esse necessitatem aliquid *agendi aut omittendi.* Unde oritur distinctio obligationis in affirmativam & negativam, illa iterum est vel dandi vel faciendi. Alii simpliciter obligationem describunt per necessitatem dandi vel faciendi. Atque hi sub faciendo etiam non faciendum comprehendunt, sicuti nos sub voce agendi utrumque & dare & facere intelligimus.

§. V.

Denique additur in definitione obligationis, quod debeat esse imposita ei, qui alias habet liberum agendi arbitrium, quo ipso indicatur differentia specifica obligationis. Nam & de brutis animantibus prædicari potest necessitas agendi & omittendi, licet obligationis sint incapacia.

§. VI.

Multi, dum obligationem definiunt, eam dicunt esse necessitatem *origo non a lege*
NB. *a lege* impositam, respicientes ad ea, quæ vulgo de obligationis origine & fundamento solent afferri. Persuasum scilicet est juris naturalis Doctoribus, omnem obligationem ex lege, seu quod alii malunt, vel ex pacto vel ex lege oriri. Neque negaverim, multa omnino obligationum genera ex pacto & lege ortum trahere, lubenter etiam concesserim, revocari commode posse obligationem ex pacto oriundam ad illam, quæ ex

lege oritur, cum id ipſum, quod pacta ſervari debeant, omnino ex lege veniat. Nihilo tamen ſecius legem pro adæquato obligationis fundamento agnoſcere propterea nequeo, quod obligatio eſt & eſſe debet prior & antiquior ipſa lege, ac nemo legem ferre poteſt prius, quam aliquem ad illam ſervandam habeat obligatum. Accedit, quod infra demonſtrabitur, ipſum Deum ſe obligare poſſe, etiamſi nec ſuperiorem nec legem ullam agnoſcat. Quæ cum ita ſint, conſultius nobis eſt viſum ab illa loquendi ratione abſtinere, qua obligatio in genere conſiderata *a lege* impoſita perhibetur.

§. VII.

ſed ex ſtatu perſonæ.

Noſtram interim ſi de obligationis fundamento ſententiam exquiras, illud *ex ſtatu ſeu conditione* perſonæ, quæ obligatur, arcendum putamus, ita ut creatura (dummodo libero arbitrio inſtructa ſit) creatori, filius patri, ſubditus domino in genere ex ſtatus ſui conditione obligatus ſit, citra habitum reſpectum ad legem vel pactum ullum. Quamvis enim quoad ſubditum provocari poſſet ad ſubjectionis pactum, non tamen opus eſt, eo prolabi, præſertim cum dari poſſit caſus, ubi exulat tale ſubjectionis pactum, ſtante & permanente obligatione, e. c. in bello captis, qui utut necari quam ſervari malint, nihiloſecius a victore in ſervitutem rediguntur. Hi citra & præter ſuum conſenſum, imo non obſtante ſuo diſſenſu, ex ſolo ſuo ſtatu ad ſervitutem obligantur. Atque hoc obligationis fundamentum adæquatum ſatis, ac reliqua omnia tanquam ſubordinata ſub ſe comprehendere videtur. Si enim creatura ex ſtatu ſuo creatori in genere eſt obligata, obligata quoque erit in ſpecie ad leges a creatore latas obſervandas. En obligatio ex lege! Si autem leges Creatoris & DEI noſtri in genere ſervandæ ſunt, ſervanda quoque erit illa, quæ tum fidem datam pactaque ſervare, tum damna culpa vel dolo data reſarcire, tanquam media colendæ ſocietatis humanæ divinitus inſtitutæ, præcipit. Habes igitur quoque obligationes ex pactis & delictis oriundas.

§. VIII.

Diſpeſcitur obligatio

Ex legibus humanis quæ oritur obligatio tum ad claſſem obligationum ex lege oriundarum poteſt referri, quia divina pariter lex magiſtratui obedire

dire jubet, tum ad classem obligationum, quæ ex pactis proficiscuntur, quia leges humanæ plerumque subjectionis pacto nituntur. Quid vero intersit inter obligationem ex lege divina & illam ex lege humana ortam, exprimi haud incommode posset distinctione inter obligationem naturalem & civilem, si nimirum naturalem diceremus, quæ ex lege naturali adeoque divina, civilem, quæ ex lege civili adeoque humana oritur. Atque hactenus dicta distinctio non modo ferri, sed & ad Principes applicari potest, qui si legis humanæ sunt expertes soli naturali, si autem legibus humanis subsunt, civili etiam obligationi sunt obnoxii. At variis Doctorum juris civilis subtilitatibus dicta distinctio mirum in modum est implicata.

§. IX.

Ajunt enim obligationem *naturalem tantum* esse, quæ solo jure naturæ nititur, nec præsidium a jure civili habet, ita ut actionem civilem non producat, alios tamen in foro etiam civili effectus e. c. exceptionem pariat L. 7. §. 4. Dig. de pact. compensationem recipiat L. 6. Dig. de Compens. constituto locum faciat L. 1. §. 7. Dig. de Constit. pecun. novationem admittat. L. 1. §. 1. Dig. de Novat. confusionem operetur L. 95. §. 3. Dig. de solut. solutum retinere sinat, adeoque indebiti condictionem excludat L. 10. Dig. de Obl. & Act. L. 13. & 26. §. 12. Dig. de Condict. indeb. Atque huc trahunt pacta nuda, quæ tamen hodie actionem quoque producunt. Dantur tamen hodienum obligationes naturales tantum, quibus lex civilis nullam plane vim tribuit, e. c. in actibus pupilli infantia majoris sine tutore gestis, in fidejussione mulieris &c. qualia negotia inter subditos ob legis prohibitionem omnino sunt nulla, inter summos Principes autem valida ob naturalem, quam producunt obligationem. Obligationem *civilem tantum* esse contendunt, quæ ex sola juris civilis subtilitate citra æquitatem naturalem oritur, & actionem producit sine tamen effectu, utpote exceptione prætoria elidendam, quorsum spectant metu promissa §. 1. sqq. Inst. de Except. Si forte hujus obligalionis mere civilis in antiquo Romanorum processu aliquis fuit usus, quod asserit *Titius* ad Lauterb. Obs. 1141. hodie sane nomen ejus mere esse otiosum, recte subjicit. Ineptum siquidem actionem jactare sine effectu. *Mixtam* denique obligationem vocant, quæ ex jure naturali & civili simul descendit, hanc-

in naturalem

que iterum subdividunt in civilem & prætoriam, quod confusioni facillime ansam præbere potest. Modo enim audivimus civilem obligationem contradistingui mixtæ, nunc iterum civilis obligatio species constituitur mixtæ.

§. X.

& civilem. Rectius itaque agunt, qui expuncta obligatione civili tantum, duplicem saltem agnoscunt, naturalem quæ ex solo naturali jure oritur, & civilem, quæ aliquid a lege civili habet admixtum, ideoque mixta plerumque audit. Versatur autem lex civilis circa naturalem obligationem duplici modo, eam vel approbando, quale quid in contractibus cernitur, vel reprobando, idque vel in totum, quorsum spectant actus pupilli infantia majoris, & mulierum intercessiones, vel saltem pro parte, actionem in foro civili quidem denegando, alios tamen effectus indulgendo, quorsum olim spectarunt pacta nuda.

§. XI.

Civilis obligatio in summos Principes non cadit. Ex civili obligatione quæ oriuntur actiones contra summos Principes frustra intentari, ipsa eorum conditio, legum civilium penitus expers, dictitat. Quam obrem si non ridicula, saltem supervacanea erat cautela, qua Joanna Siciliæ Regina in instrumento, quo Clementi VI. Pontifici Avenionem vendidit actiones reales, personales, mixtas, utiles *Prætorias & Civiles* ei cessit, renuntians simul læsionis ultra dimidium exceptioni ex L. Jul. de fundo dotali non alienando, & omni alii juri in favorem mulierum introducto, omnibus legibus Authenticis & glossis in toto Corpore utriusque juris Canonici & civilis contentis.

§. XII.

At in Principes Germ. Magis autem dubia videtur quæstio, an quæ ex civili obligatione oriuntur actiones contra Imperii Germanici Principes institui possint? Negat illam *Titius* ad Lauterb. Obs. 1143. forte propterea quod Status Imperii pro subditis ac legi civili obnoxiis non agnoscit. At enim vero quod subditi non sint, tum demum verum est, si conjunctim in corpore, non vero si ut singuli, & inprimis quoad privata sua negotia considerantur.

Tunc

Tunc enim eos omnino ſubditos eſſe, & civilibus legibus teneri, alibi fuit evictum, indeque recte colligitur, in privatis talibus negotiis etiam civiles actiones contra imperii Principes recte omnino inſtitui.

§. XIII.

Expoſita obligationis definitione, origine, & fundamento ad ipſa ejus jura ubi nunc progrediendum, primo quomodo conſtituatur, deinde quosnam producat effectus, denique quomodo ſolvatur ac tollatur iterum videbimus. Conſtitui obligatio vulgo dicitur facto quodam obligatorio. Ac licet ex dictis §. 6. & 7. appareat, non omnem obligationem facto conſtitui, hoc loco tamen ubi ſaltem de obligatione, quatenus NB. ad jus ad rem refertur, nobis eſt ſermo, non eſt ut a communi loquendi ratione recedamus, cum utique omnis juri ad rem reſpondens obligatio conſtituatur facto, eoque vel licito, vel illicito ſive delicto. Prius diſpiciamus de facto licito, quod eſt vel pollicitatio vel conventio, de qua Tit. 2. Pollicitatio eſt ſpontanea ſolius offerentis promiſſio, citra alterius acceptationem. Hinc enim differt a conventione. Quod vero nonnulli in iisque *Titius* ad Lauterb. Obſ. 1494. hanc definitionem abſurdam eſſe, communemque offendere rationem, nec ſine acceptione obligationem oriri poſſe interſerunt, corruit per ea, quæ dicentur L. 2. T. 5. §. 480. ſqq. Fit autem pollicitatio vel DEO, vel Reipublicæ, vel privato cuivis. De hac ultima dicetur infra de Donationibus L. 2. T. 1. ſqq. Hic pertractanda ſaltem eſt pollicitatio, quæ vel DEO fit, ac ſpeciali nomine votum, vel Reipublicæ, quæ pollicitatio in ſpecie audit. *Conſtituitur obligatio facto*

§. XIV.

Voto hic non quodvis optatum ein Wunſch ſignificatur, ſed promiſſio DEO facta, ſeu ut loquitur *Cicero* de Legibus L. 1. eſt ſponſio, qua DEO obligamur, ubi ante omnia expediendum, an DEO quicquam promitti poſſit. Cum enim Deus rerum cunctarum, quas habemus, ſupremus ſit dominus, nihilque in viribus noſtris poſitum ſit, ad quod non citra promiſſionem ullam Deo ſimus obſtricti, fruſtra ipſi quicquam promitti videri poſſet. Verum hæc omnia id ſaltem evincunt, nihil quicquam *Voti definitio*

nos a Deo sive donis sive factis nostris posse promereri. Interim cum Deus in genere saltem cultum suum nobis injunxerit, modum autem, ac specialia reverentiæ signa nostro arbitrio reliquerit, facile patet, Deo recte aliquid non quidem sub opinione meriti, sed gratitudinis declarandæ, honoris testandi, imo & peccatorum cautius evitandorum causa, posse promitti.

§. XV.

causa Quilibet igitur, qui alias valide se obligant, (qui quales sint & esse debeant, infra in pactorum doctrina explanabitur) vota quoque nuncupare valebunt, adeoque & Principes illustresque personæ in tantum, in quantum ipsis pacisci licet.

§. XVI.

forma Forma voti consistit in promissione Deo facta. Solum enim vovendi propositum votum nondum constituit. Conf. cap. 5. X. de Vot. Acceptatio autem ex parte Dei, ut frustra expectaretur, ita minus est necessaria. Infra enim demonstrabitur, stare posse obligationem citra alterius acceptationem, ita ut nec ad præsumtam acceptationem recurrere opus sit. Quo posito apparet, naturalem adesse ad vota solvenda obligationem. Frustra igitur ex sola revelatione eandem arcendam retur *Glafey* in seinen Vernunfft und Völcker-Recht p. 412. Qui in pollicitatione acceptationem a lege civili suppleri contendunt, quid de summorum Principum votis sentiant, numque illos ex iisdem obligari putent, discere sane cuperem.

§. XVII.

objectum Objectum, sive res, quas vovere licet, sive ad promittendum habiles, sunt res piæ, quarum necessitas nobis antea non imposita, sed quæ eatenus sunt indifferentes, ut licet in se bonæ sint, sine vitio tamen possent omitti. Mandatæ frustra voventur, cum ad illas faciendas jam dum adsit obligatio. Illicitæ autem si voventur, votum ob deficiens principium, quod negotio validitatem dare debeat, ipso jure est nullum, nec servandum juxta illud *Isidori* Soliloq. L. 2. c. 10. repetitum Can. 5. Caus. 22. qu. 4. in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti non facias. Nec

ex

ex voto iniquitatis vinculum fieri debet. Et qui Deo sanctissimo justissimoque injusti illicitique quippiam placere posset? Quicquid vero displicet Deo, voti certe objectum constituere nequit, utpote quod in solius Dei honorem, reverentiam ac gratitudinem ipsi exhibendam tendit. Hinc si quis e. c. a vini usu abstinere vovit, tamdiu votum stabit, quamdiu vini usus pro mere indifferenti reputari potest, simul autem ac praecepti indolem induit, e. c. si ob defectum aliorum potulentorum pereundum esset sine vini usu, corruet procul dubio votum. Sic & votum coelibatus tunc demum tenet, ubi matrimonii ineundi necessitas aut praeceptum nullum adest.

§. XVIII.

Ad hanc normam si Vota specialia examinemus e. c. votum Jephthae Judic. XI. tunc demum exitum habere debuisset, si animal immolationi aptum, Deoque gratum ipsi obviam fuisset factum, cum vero filia obviam facta, talis vero victima Deo grata aut accepta esse nequeat, non sine peccato votum incaute susceptum solvisse ac adimplevisse legitur. De voto Saulis, quo I. Sam. XIV. morti voverat eum, qui ante pugnam peractam ederit, anceps est disceptatio. Sane a cibo abstinere, donec pugna fuerit finita, non indifferens modo, sed & utile videbatur, ne scilicet populus, praedae inhians, retineretur a pugna hosteque persequendo. Nihilo secius quoniam votum hoc cum lege quadam erat conjunctum, eos demum illud ferire poterat, quibus lex dicta rite lata & promulgata, in quorum numero cum Jonathan non fuerit, haud apparet, cur peccasse dicendus sit eo, quod ante pugnam finitam ederit. Ac licet sors, quae in eum cecidit, peccati reum eum pronuntiasse videri posset, putarem tamen, Deum in filio patrem potius plectere voluisse, quod voto suo in genere omnes, & eos quoque qui legis recens latae erant ignari comprehenderit. Jonathanem interim tanquam insontem populus recte omnino a supplicio liberavit.

Exempla Sacra

§. XIX.

Ad Principum Vota ut propius accedamus, proponitur, an licita sint ipsorum de regimine seu imperio abdicando vota? Dari possunt casus, ubi illicita prorsus ejusmodi est abdicatio, si nimirum idoneus successor non

profana Principum

non adeſt, vel ex abdicatione diſſidia & motus inteſtini metuuntur. Atque tunc tale votum omnino erit nullum. Econtra quamdiu mere indifferens eſt abdicatio, nec deeſt ſucceſſor idoneus, tenet omnino ſuſceptum de eadem peragenda votum, nec citra peccatum omittitur. Obſervarunt Politici, de Amuratho II. Turcarum Imperatore, quod, cum ab exercitu perſuaderi ſibi pateretur, ut votum, quod de imperio filio tradendo in pugna Varnenſi nuncupaverat, reſcinderet, novercam ſemper poſtea expertus fuerit fortunam, haud obſcuro voti male reſciſſi indicio.

§. XX.

de variis rebus

Quamvis autem res indifferentes aptum votorum objectum conſtituant, ipſa tamen horum indoles ſimul ita eas comparatas eſſe jubet, ut gratitudo & reverentia erga numen divinum aliqualiter iisdem declarari queat. Spectant huc tot innumera Deo ſanctisque devota templa, altaria, monaſteria, aliaque pietatis monumenta intuentium admirationi hodienum expoſita, item pia multa propoſita, peccata evitandi & vocationis officia tanto alacrius peragendi cauſa ſuſcepta e. c. de vino ludisque vitandis &c.

§. XXI.

faceta

Faceta autem & propemodum jocoſa ac ridicula propoſita e. c. Iſabellæ Hiſpanicæ de induſio ante Oſtendam captam non mutando, it. Godofredi Barbati Comitis Lovanienſis de barba non prius quam Lotharingia ſubacta radenda, Scotorum itidem de barba non radenda, donec Carolus XI. Rex Angliæ eſſet reſtitutus, aliaque parum vel nihil divini numinis honorem promoventia, potorum nomen, quod vulgo iis imponitur, vix merentur. Sicut & promiſſum Philippi II. Hiſpan. Regis, quo in compenſationem templi cujusdam D. Laurentio ſacri, quod in expugnatione caſtri S. Quintini anno 1557. in tormentorum ſuggeſtum convertere erat coactus, arcem Scorialenſem extruere promiſerat, cum in Reipublicæ magis quam DEI honorem tendat, ad pollicitationem propius Reipublicæ factam, quam votum accedere videtur.

§. XXII.

§. XXII.

Effectus voti rite suscepti est orta inde ad illud adimplendum obligatio, vid. Levit. XXVII. 2. Numer. XXX. 1. Deut XXIII. 21. Psalm. L. 14. quæ si votum in dando consistit, ad debita voventis pertinet, adeoque & ad heredes transit, sin in faciendo, personam regulariter non egreditur, nec ad heredes aliter transit, quam si in specie a defuncto heredi etiam fuerit imposita, quale exemplum occurrit c. 6. X. de Voto, ubi Andreæ Hungariæ Regi votum Hierosolymas visitandi paterno testamento impositum legitur. Sic & Solimannus II. Turcarum Imperator post solutam, quam frustra susceperat 1529. obsidionem Viennensem pro se & NB. successoribus vovisse perhibetur, ne in posterum exercitus Turcicus fluvium Raab transgrediatur, quod licet aliquoties postmodum factum, infeliciter tamen semper cessisse, aliis jam observatum. In quantum autem Rex vel Princeps successores suos jure votis onerare valeat, ex cujusque Regni formula pendet.

§. XXIII.

Sicut autem in cujusvis promissi, ita & speciatim in voti adimpletione ab omni omnino cavillatione abstinendum, neque tam verba voventis, quam mens ipsius respicienda. Hinc votum, quod de nepotibus non recipiendis Romæ voverat Alexander VIII. papa, solvisse dici vix potest, dum postea eos non Romam quidem, sed in arcem S. Cavallo reciperet. Prima enim voventis mens erat de nepotibus nullo prorsus peculiari favore prosequendis. Econtra nihil voti, quo in prælio equum suum D. Martino voverat Clodovæus Galliæ Rex, reliquum fecit, dum equum in templo D. Martini oblatum auro redemit, eoque satis multo, & tanto quidem, quantum D. Martini antistites poposcebant, unde hodienum superest proverbium. S. Martinus bonus in auxilio, malus in mercede. Plus igitur, quam voverat, præstitisse Clodovæus videtur. *carere debet cavillatione*

§. XXIV.

Solent tamen quandoque ejusmodi cavillationes adhiberi, ubi id, quod reapse ex mente voventis promissum, in potestate ipsius non existere ani-

animadvertitur. Tunc enim ut verbis ſaltem aliqualiter ſatisfiat, ſupervacanea quadam cura & cautione conſulere ſcrupuloſæ nimis conſcientiæ annituntur. Ad impoſſibilia quippe nulla prorſus eſt obligatio. Inter alia multa ejusmodi exemplum occurrit in hiſtoria Auſtriaca. Anno ſcilicet 1458. Duces Albertus & Sigismundus, arce ſua Viennenſi a civibus excluſi, arcem ſe illa nocte expugnare, in eaque edere ac bibere velle, jurejurando votoque ſe obligabant. Cum autem prodito conſilio res in effectum deduci non poſſet, Duces voto ſe ſatisfeciſſe putabant, ſi ſoli ſine aſſeclis in arcem edendi vinique hauſtum ſumendi cauſa a civibus intromitterentur.

§. XXV.

Pollicitatio. Venio ad pollicitationem in ſpecie ſic dictam. In genere pollicitatio pro quovis promiſſo accipitur, quo ſenſu & ipſa pacta comprehendit, atque hoc ſenſu pollicitationis vocem occurrere volunt in L. 5. C. de contrah. & committend. ſtipulat. Alio adhuc ſenſu pollicitatio ſignificat ſolius offerentis promiſſum citra alterius acceptationem, atque tunc votum complectitur. Hic autem in ſpecie pollicitatio ſumitur pro promiſſione Reipublicæ facta, nec ab eadem acceptata. Communis hæc eſt definitio, nec temere deſerenda, utut diſpliceat iis, qui exiſtimant, nullam ſine utriusque conſenſu, uno verbo ſine pacto eſſe poſſe obligationem. Hinc vel plane damnant omnem pollicitationem, prout hoc nomine *Glaſejum* iniquitatis arguere leges civiles dicemus L. 2. Tit. 5. §. 483. vel ſaltem alterius conſenſum & acceptationem ab eadem non penitus excludendam eſſe rentur. Sic *Puffendorff.* de Jur. Nat. & Gent. L. 3. c. 6. §. 15. & *Titius* ad Lauterb. Obſ. 1494. ac forte ipſe etiam *Grotius* L. 2. c. 11. §. 14. conf. tamen §. 3. recurrunt ad conſenſum ſubtilem & præſumtum, quem in Deo & Republica præſumtione ſupplendum ajunt, in privatis non æque, quibus tamen merito reponitur, quod majori jure hæc acceptandi præſumtio cadat in privatos, utpote magis ad accipiendum & lucrandum pronos, quam in ſummum beneficumque Numen, ad dandum quam accipiendum pronius. Alii denique, ut *Jo. Frid. Wernherus* in diſſ. de Acceptatione in donationibus neceſſaria §. 7. expreſſam quidem, ſed anticipatam ac ſemel pro ſemper lege declaratam acceptationem in pollicitatione ſubeſſe contendunt, cui reſpondebimus. L. 2. Tit. 5. §. 484.

§. XXVI.

§. XXVI.

Nulla igitur ſubeſt ratio idonea, cur communem receptamque hactenus pollicitationis notionem deſeramus, vel eidem effectum & obligationem validam citra præviam acceptationem denegemus, cum naturaliter ex quovis ſerio promiſſo illud ſervandi neceſſitas, adeoque & obligatio oriatur, ſive de cetero ob cauſam aliquam, ſive ſine ea gratis fiat, ſive ad aliquid dandum ſive faciendum tendat, hoc tamen cum discrimine, ut facienda, cum perſonæ induſtria in iis reſpici ſoleat, ad perſonas promittentium reſtringantur, nec eorum obligatio ad heredes tranſeat, ſecus ac obligatio dandorum, utpote quæ, tanquam debita, ab heredibus omnino & in ſolidum ſunt exſolvenda. *in quantum obliget.*

§. XXVII.

Jura civilia ex modo dictis nonnulla mutarunt paſſim, & primo quidem ad validam ex pollicitatione obligationem requirunt, ut pollicitatio facta ſit vel ob cauſam e. c. delatum vel deferendum honorem, vel id quod promiſſum jam impleri ſit cœptum, quia tunc magis enixa apparet voluntas. Porro ſi is, qui promiſit, ad paupertatem vergere incipit, quintam ſaltem ejus, quod præſtandum reſtat, partem ſolvere tenetur, heres autem ipſius hereditate, quam adiit, non ſufficiente liberalitati defuncti, ſi pollicitatio facta ob honorem, quem defunctus conſecutus eſt, in ſolidum, ſin defunctus eundem nondum eſt conſecutus, nec opus inchoavit, plane non, ſin inchoavit heres ita tenetur, ut vel promiſſum impleat, vel liberi ſolvant decimam, extranei autem heredes quintam hereditatis partem, quod & obtinet, ſi ob aliam quamvis cauſam, quam honorem pollicitatio facta, ceu pluribus hæc omnia videri poſſunt in L. 9. 11. & 14. Dig. de pollicitationib. *jure Rom.*

§. XXVIII.

Quæ quidem leges hodie non plane inter abrogatas ſunt referendæ, quod vult *Grœnewegen*, rarior tamen ipſarum uſus, ideo quia pollicita- *inter Principes*

 tiones

tiones ſunt raræ, ac ſtatim plerumque id, quod promiſſum acceptari, adeoque pollicitatio in conventionem converti ſolet. Interim caſu obveniente inter privatos adhuc juxta dictas leges, quippe quarum abrogatio doceri nequit, judicandum videtur. Summi autem Principes ſicut lege civili non tenentur, ita nec eadem juvantur, adeoque pollicitationes ab iis factæ ab heredibus juxta jus naturale in ſolidum indiſtincte præſtanda, nec juris civilis limitationes admittunt, haud obſcuro documento, dari poſſe caſus, ubi durior Principum quam ſubditorum exiſtit conditio.

TITULUS II.

DE

Pactis eorumque definitione ac divisione.

* * *

Pacta plurium consensu de dando faciendo vel non faciendo constant, & a contractibus naturaliter non differunt. Potissima eorum divisio est in publica, quæ ab imperante qua tali, & privata, quæ privatis auspiciis citra populi consensum, utut a Principe & ad publicam utilitatem ineuntur. Distinctio inter contractus veros & quasi, nominatos & innominatos, bonæ fidei & stricti juris a Principum rationibus non penitus est aliena, dummodo separentur ea, quæ civilis lex addit, e. c. circa pœnitendi facultatem in contractibus innominatis, circa usuras ex mora in negotiis stricti juris haud debitas.

§. XXIX.

Connexio

Titulo præcedente §. 13. diximus conſtitui obligationem facto vel licito vel illicito. Ad licitum retulimus pollicitationem, de qua in ſuperioribus, & conventionem, de qua in ſequentibus ita diſpiciemus, ut primo generalem conventionum ſeu pactorum theoriam præmittamus, atque allata conventionum definitione ac diviſione, earum ſubjectum, objectum, formam, effectus, & tollendi modos conſideremus, ac deinceps libero ſequenti potiſſimas earum ſpecies, quæ contractuum nomine vulgo veniunt, ſigillatim percurramus.

§. XXX.

Conventionum definitio

Conventio juxta ductum Leg. 1. §. 2. Dig. de pactis deſcribi ſolet, quod ſit duorum pluriumve in idem placitum conſenſus, addo: producens obligationem ad aliquid dandum faciendum vel non faciendum. Eſt *conſenſus.* Hinc differt a pollicitatione, quæ ſola unius promiſſione abſolvitur. Cumque conſenſus *plurium* voluntatem involvat, additur, quod ſit duorum pluriumve conſenſus & quidem in idem placitum. Verum tamen ſi fateri licet,per dictam definitionem non ſatis exprimitur differentia ſpecifica conventionum. Quamvis enim illa primo intuitu latere videatur in verbis *in idem placitum*, illa tamen ſi probe res conſideretur genus præmiſſum, ſcilicet conſenſum, plane non circumſcribunt, aut ab aliis ſpeciebus diſtinguunt. Omnis enim conſenſus jam dum ſuapte natura uniformem plurium voluntatem innuit, quæ eo ipſo, quo uniformis eſt, in idem placitum eſſe intelligitur, etiamſi illud plane non exprimatur. Quare ad indicandam differentiam ſpecificam addidimus, quod pactum ſit conſenſus producens obligationem ad aliquid dandum vel faciendum, quo ipſo indicatur differentia conſenſus conventionalis ſeu pactitii ab alio quovis, qui obligationem non producit, qualis eſt e. c. ille eruditorum, qui ſuper aliqua opinione vel hypotheſi, Conſiliariorum, qui ſuper conſilio ſuppeditato conſentiunt.

§. XXXI.

utilitas

Neceſſitatem & utilitatem pactorum nemo credo in dubium vocabit. Ea ſiquidem humana eſt indigentia, ut nemo facile reperiatur, qui ſibi ſolus

ſolus ſufficiat. Indiget alter alterius ope pariter ac opibus. Et licet homines jam dum ipſa naturali lege ad mutuam conſervationem ſint obligati, omnis tamen illa obligatio mere eſt indefinita, nec tenetur is, cujus ope vel rebus indigeo, easdem præciſe mihi præ aliis, iisdem itidem indigentibus ſuppeditare, nec gratis ſuppeditare tenetur, ſi habeam, unde ſatisfacere ipſi poſſim. Quare conventionibus ſeu pactis hæc omnia determinentur, erit neceſſe.

§. XXXII.

Diviſiones conventionum innumeræ fere ſuppeditantur, & plures forte excogitari poſſunt. Videamus, in quantum potiores earum ad Principes eorumque pacta applicari queant. Ratione originis conventiones ſunt vel juris naturæ & gentium, vel juris civilis. Priores ad ſummos quoque imperantes ſpectare, poſteriores non æque, ſponte apparet. Sed quænam ſolius juris civilis ſint, non usque adeo inter omnes convenit. Nobis diſtinctiones illæ, dum Conventiones dividuntur in pacta & contractus, pacta iterum in nuda & non nuda mere civiles videntur, nullumque proinde uſum præbere inter perſonas illuſtres, quæ ſolo naturali jure reguntur, quippe quo conventiones pacta * contractus &c. prorſus ſunt ſynonima, licet civili jure differant, tanquam genus & ſpecies, & diverſos etiam producant effectus. *diviſio*

* Communi etiam loquendi uſu ſynomina ſunt pacta & pactiones, licet re vera differant tanquam cauſa & effectus, ita ut pactio conventionis actum, pactum autem negotium concluſum innuat. Interim uſus, qui in Verborum ſignificationibus omne fert punctum, his quoque vocibus promiſcue utitur, ceu ex ipſis legibus Romanis confirmat *Henr. Bodinus* in Vindiciis pactorum Juris Romani th. 6. p. 7. Plane vero audiendi non ſunt, qui pactionem & pactum tanquam genus & ſpeciem differre perhibent, ita ut pactio idem ſit quod conventio, & ſub ſe tanquam ſpecies comprehendat pacta & contractus, adeoque de contractibus prædicari quidem poſſit, quod ſint pactiones, non autem quod ſint pacta. Meram hanc eſſe hypercriſin vel inde apparet, quod leges paſſim pactiones & pacta pro ſynonimis

nimis usurpant L. 1. §. 2. Dig. de pact. junct. L. 3. Dig. de pollicitat. imo ipsam pactorum notionem etiam de contractibus passim prædicant. Sic L. 71. Dig. pro socio contractus societatis vocatur pactum conventum societatis. Pariter in L. 27. §. 2. Dig. de pact. pactum prædicatur de contractu & L. 20. C. de pact. & L. 3. Dig. de usufr. sub pactorum appellatione etiam contractus comprehenduntur.

§. XXXIII.

Pacta & contractus jure civ. differunt

Constat enim, pacta contractibus contradistincta dici conventiones carentes nomine * & causa, quæ, si nullam jure civili actionem producunt, vocantur nuda, si vero actionem producunt, non-nuda seu vestita ** audiunt, suntque iterum vel *legitima* sive a lege confirmata, qualia sunt donatio, constitutum, dotis promissio, pactum hypothecæ, vel *adjecta*, quæ ideo efficaciter obligant, quia traditionibus vel contractibus in continenti adjiciuntur L. 43. & 48. Dig. de pact. Contractus denique pactis contradistincti dicuntur conventiones per se & sua natura obligationem & actionem producentes L. 7. §. 1. & 2. Dig. de pact. ***

* At non modo pacta nuda, sed & contractus innominati nomine carent, & utrinque in eo saltem cernitur differentia, quod in contractu innominato ab alterutra parte implementum jam secutum, in pacto nudo a neutra.

** Fastidiunt nonnulli hanc appellationem. Nam nudus idem sibi vult quod solus, nec semper vestito opponitur. Sic licet in jure dicatur nuda voluntas, nudus consensus, nuda cogitatio, nuda proprietas, nuda possessio, absurdum tamen foret distinguere ideo inter nudam & vestitam voluntatem, proprietatem &c. Neque in Legibus ullibi dicitur pactum vestitum, sed Doctores tot fecerunt pactorum vestimenta, quot modis conventioni jus Romanum vim obligandi indulget. Vid. *Sutholt.* diss. 12. th. 57. *Bodin.* Vindic. pactor. Jur. Rom. th. 10. *Hamberger* de non usu stipulationum p. 9.

*** Aliam

*** Aliam minus tamen receptam definitionem ſuppeditat *Labeo* ex eoque *Ulpianus* L. 19. Dig. de Verb. Signif. ac *Grotius* L. 2. c. 12. §. 7. ſcil. contractum eſſe ultro citroque obligationem, (Græci συνάλλαγμα vocant.) Hanc ſi admitteremus contractuum definitionem, ſequeretur ſolos permutatorios in eorum numero eſſe, beneficos autem e contractuum numero eſſe eliminandos, prout ob hanc rationem mutuum & ſtipulationem contractus proprie non eſſe, concludit *Alciatus*, quod tamen a juris analogia valde eſt alienum, cum negari nequeat & beneficos contractibus annumerari. Decepiſſe *Ulpianum* videtur Græca ſynallagmatis vox, quæ proprie quidem mutuum & reciprocum quid ſignificat, communi tamen Græcis recepta loquendi ratione omne id ſignificat, quo alicui in alterum jus acquiritur, & latius longe patet quam vox Latina contractus, ceu ad oculum patet ex *Ariſtotel.* Ethic. L. 5. cap. 2. in fin. ubi non modo contractus varii, tam permutatorii, quam benefici, mutuum, depoſitum, ſed ipſa etiam delicta ad ſynallagmata referuntur ideo, quod per illa læſo contra delinquentem jus acquiritur.

§. XXXIV.

non autem naturali

Nemo non videt, hæc diſcrimina omnia mere eſſe civilia. Naturaliter enim omnes conventiones ſeriæ cauſam debendi habent, ſive nomine peculiari inſignita ſint, ſive minus, omnesque valide per ſe & ex ſua natura obligant, ſive ſeorſim ſint initæ, ſive aliis utut ex intervallo adjectæ. Palmaria ſiquidem naturæ lex eſt, fidem ſerio datam eſſe ſervandam. Sicuti interim liberum cuique eſt, ad magis firmandam obligationem ex fide interpoſita oriundam, additis nunc paucioribus nunc pluribus ſolennitatibus eandem firmare, ita omnino per legem civilem a ſummo imperante ſuccurrendæ humanæ imbecillitatis cauſa edici poteſt, ut nonniſi illæ conventiones, quæ intervenientibus ſolennitatibus certis ſunt initæ, validæ & efficaces habeantur. Atque hoc illud eſt, quod jus Romanum (hoc tamen in paſſu Germanis ob mores contrarios nunquam receptum) ſibi vult, dum conventionibus illis, quæ pactorum nudorum nomine veniunt, actionem efficacem tam diu denegat * donec ſtipulationum ſolennitates iisdem acceſ-

ſerint, quod tamen cum mere civile ſit, ſolis ſubditis præſidio erit, ſummis Principibus non æque.

* Alias rationes paſſim afferri ſolitas, cur apud Romanos pacta nuda nec obligationem nec actionem produxerint vide apud *Hambergerum* de non-uſu ſtipulationum in Germania p. 11. ſqq.

§. XXXV.

quod ignorat diſcrimen pactorum nudorum & non nudorum.

Quæ cum ita ſint, mirandum omnino, dari certe non infimi nominis Viros eruditos, qui hos juris civilis partus naturali juri ſubjicere non dubitant. *Franciſcus Connanus* Comment. Jur. Civ. L. 5. c. 1. pactorum nudorum & non-nudorum diſcrimen naturale eſſe, atque ex nudis nullam naturaliter obligationem induci contendit. *Henricus Coccejus* de jure pœnitendi in contractibus p. 35. diſerte ſcribit, lex pactis tribuit vim obligandi, quæ NB. *natura iis non ineſt.* * Hanc tamen ſententiam jam dum *Grotius* L. 2. c. 11. §. 1. abſurditatis convicit. Quodſi enim pactis naturaliter obligatio nulla ineſſet, qui quæſo addi illa poſſet a lege civili, quæ nihil aliud eſt, quam commune populi pactum. Cumque legibus ejusmodi humanis ſummi Principes non ſubſint, certe ex adverſariorum hypotheſi ſequeretur, inter Reges & populos liberos pactorum, quam diu nihil ex iis præſtitum eſt, vim eſſe nullam. Nec quisquam credo facile *Feldeno* ad dictum Grotii locum dabit, nil obſtare, quo minus dicamus, parem rationem eſſe pactorum, quæ populi paciſcentes faciunt, ac quæ a privatis fiunt, eademque jure naturæ attendenda eſſe, quæ in privatorum pactis jus Romanum exegit. Quaſi vero liberi populi agnoſcere & obſervare debeant ſolennitates civiles, a lege Romana ſubditis præſcriptas.

* Loqui autem Coccejum de lege civili, non naturali, patet ex verbis immediate ſequentibus: ubi aliquando iis quæ tantum virtutis & humanitatis, quin quæ indifferentia ſunt, vim juris & obligationis largitur, ut ne mulieres genas radant, nec rogus aſcia poliatur.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Alii, ut dictam juris Romani doctrinam, quæ ex pacto nudo obligationem induci negat, ad naturalem rationem referant, ipso etiam Romano jure illa demum pacta vocari nuda contendunt, quæ vel inconsulto sunt inita, vel intra nudos tractatuum terminos substiterunt, vel denique quibus deest determinatio vel personæ paciscentis, vel rei præstandæ. Spectant huc quæ post *Mæstertium* de Justitia legum Rom. c. 2. §. 8. & *Strauchium* dissert. Justin. 2. th. 10. magno conamine disseruit *Henr. Bodinus* in Vindiciis pactorum juris Romani. Adde ipsius *Henr. Cocceji* dissertationem de usu & differentia hodiern. pact. & stipul. Atque hanc notionem si admittimus, verum omnino est, nec naturali nec Romano jure, nec nostris moribus ex tali pacto nudo obligationem aut actionem oriri. Quod autem jus Romanum sola talia pacta sub *nudorum* notione indigitet, hoc illud est, quod merito negatur, & vel solo pacto dotis NB. certæ, donatione summæ *certæ* confirmatur, quæ sane ab initio apud Romanos erant pacta nuda, & demum jure Codicis efficaciam acceperunt L. 6. C. de pact. convent. sup. dot. L. 35. C. de donat. quam per rerum naturam accipere non potuissent, si de dote incerta, de donatione incerta quæstio fuisset. Idem intelligitur ex pacto de non petendo, quod licet serio deliberato & de summa certa ac determinata initum, tamen pactis nudis annumeratur L. 11. §. 3. Dig. de Recept. qui arbitr. receperunt.

quod confirmatur.

§. XXXVII.

Nihil itaque in recessu habet sententia, quæ naturale quoddam inter pacta nuda & non nuda discrimen fingit, neque majorem assensum meretur illa, quæ pacta & contractus naturaliter differre tradit. Ipse quidem *Grotius* eidem adstipulari videtur, dum L. 2. c. 12. §. 1. actus humanos qui in aliorum hominum utilitatem tendunt in simplices, quo nomine pacta, & compositos, quo nomine contractus innuere videtur, dispescit. Clarius idem profitetur *Puffendorf* de Off. Hom. & Civ. L. 1. c. 15. §. 1. id discrimen inter pacta simplicia & contractus ponens, quod contractus vocentur pacta, quæ circa res & actiones *in commercium venientes* versantur,

it. illud pactorum & contractuum

adeoque dominia & pretia rerum præſupponunt, ſed quæ circa alia ineuntur conventiones communi pactorum vocabulo inſigniantur.

§. XXXVIII.

quod illuſtratur.

Mere tamen imaginariam, nec in re ipſa fundatam eſſe hanc differentiam facile oſtendi poteſt inductione omnis generis pactorum, ubi ſtatim apparebit, de iisdem prorſus rebus, de quibus contractus celebrantur, etiam pacta iniri. Sic pacta nuda a contractibus realibus & innominatis quoad objectum plane non differunt, ſed in eo ſaltem, quod in pactis nudis a neutra, in contractibus autem innominatis ab alterutra parte implementum debeat eſſe ſecutum, in realibus autem res tradita. In Rec. Imp. 1500. princ. pax publica vocatur contractus inter Imperatorem & Status initus manifeſto ſatis indicio, contractum pro ſynonimo conventionis ſeu pacti accipi. Neque ipſe Puffendorfius dictum diſcrimen pro perpetuo ac univerſali venditare eſt auſus, dum ſtatim ſubjicit, quibusdam promiſcue pactorum & contractuum nomen tribui.

§. XXXIX.

Quæ pacta ſint publica quæ privata?

Ratione cauſæ efficientis * Principum pacta ſunt vel publica vel privata vel mixta. Publica voco, quæ a ſummo imperante qua tali, ac vi publicæ adminiſtrationis, privata autem, quæ a Principe privatis auſpiciis, non autem vi ſummi, quod forte gerit, imperii ineuntur. (De mixtis vid. §. 42.) *Ulpianus*, dum in L. 5. Dig. de pactis ſcribit: publica conventio eſt quæ fit per pacem, quoties inter ſe Duces belli quædam paciſcuntur, non tam publicæ conventionis definitionem voluiſſe ſuppeditare videtur, alias enim ſequeretur nonniſi a belli Ducibus, & quidem de ſola pace publica pacta iniri, cum tamen manifeſtum ſit, etiam ab ipſo ſummo imperante, ac de multis aliis rebus quam pace ſola, tum belli tum pacis tempore publica pacta condi. Sed Ulpianus ibi ſaltem exemplum aliquod publicæ conventionis commemorare voluit, ſimulque oſtendere, quod ſicut aliæ quævis, ita & publicæ conventiones tum ab ipſo principali, tum ab ejus miniſtro & mandatario iniri queant. (Unde nova oritur pactorum diviſio in mediata & immediata.) Agnovit hoc *Grotius* L. 2. c. 15.

§. 1.

§. 1. nihilosecius in ea fuisse videtur opinione, ac si solæ pacis, induciarum, sponsionum, ac fœderum conventiones publicæ sint, quia emtiones venditiones locationes conductiones non a Rege qua Rege, sed ab eo quasi alio quovis fieri statuit L. 2. c. 14. §. 5. quod omnino erroneum. Siquidem emtio & locatio, quam Rex publico Regni nomine publicæque utilitatis ergo celebrat, procul dubio pro publica conventione est habenda.

* Silentio merito prætereo distinctionem *Grotii* L. 2. c. 10. §. 1. in contractus *universales* inter omnes homines e. c. de re aliena domino reddenda, & *singulares* inter quosdam initos. Universales enim mero quodam figmento constant, quo opus plane non est, cum & citra talium conventionum fictionem officia inde deducenda simpliciter ex lege deduci commodius longe queant.

§. XL.

Betsius de Statut. & pact. famil. illustr. c. 3. §. 12. differentiam conventionum publicarum a privatis in eo quærit, quod publicæ vim legis obtineant, privatæ autem non æque. Si per vim legis obligatio valida intelligitur, repono quod & privatæ summorum imperantium conventiones eandem obtineant, sin per eam obligatio inferiori a superiore imposita innuitur, sciendum, quod & publicæ conventiones multæ nunquam in leges transeant. Vid. Tit. 9. §. 323. Nec acu res tangeretur, si publicæ Principum nostrorum conventiones a privatis ita differre dicerentur, ut publicæ non indigeant Imperatoris confirmatione, magis privatæ. *Justus Henning Bœhmer* in dissertatione de efficacia pactorum illustrium contra tertium, quam sub eo defendit Baro *de Schell* pacta publica & privata ex fine & effectu metitur. Publica dicit, quæ ex causa publica fiunt, & ad universæ Reipublicæ salutem pertinent, privata autem, quæ ex causa privata *seu ad privatam paciscentium utilitatem pertinente* fiunt. *Sententia varia*

§. XLI.

Verum tamen cum & privata privatorumque pacta in publicam Reipublicæ utilitatem tendere queant, ex adverso publica Principum pacta rite *vera*

ac legitime e. c. adhibito Ordinum consensu inita publica esse non desinant, etiamsi in Reipublicæ perniciem vergant, rectius omnino character & discrimen pactorum publicorum in causa efficiente quæritur, & publica dicuntur, quæ a summo imperante vi summi imperii, privata autem quæ privata autoritate fiunt, licet forte a Principe non tamen qua tali, sed privatis suis auspiciis. Discrimen se exerit potissimum in resultante inde obligatione, publica enim totam Rempublicam, & quemvis Principis successorem, licet heres ipsius non sit, obligant, quia nomine publico ineuntur, privata autem Rempublicam non stringunt, sed solius paciscentis heredes, quia non Reipublicæ nomine, sed privata autoritate sunt facta. Quoties autem dubium suboritur, num pactum a Principe qua tali, seu publico nomine, an privatis auspiciis sit initum, tunc omnino ex ipsius pacti fine decisionem petendam, ac in dubio pacta Reipublicæ utilitatem primario & principaliter respicientia pro publicis, reliqua pro privatis esse habenda, lubenter concedo. Confer. dicta de Hereditatib. T. 41. §. 851.

§. XLII.

Pacta ex publicis privatisque mixta.

Pacta ex publicis & privatis mixta (vid. §. 39.) appello quando alteruter paciscentium publico Reipublicæ nomine, alter autem privatis suis auspiciis paciscitur e. c. pactum, quo Princeps paciscitur cum mercatore extraneo de frumento exercitui suppeditando, ex parte Principis est publicum, totumque populum obligat, ex parte mercatoris privatum, nec populum, cujus membrum est mercator, obligat. Nonnulli etiam ut *Betsius* de pact. fam. illustr. cap. 3. §. 12. mixta pacta vocant illa, quæ a Principibus dependentibus e. c. Vasallis publicæ subditorum utilitatis causa celebrantur, hæc enim respectu subditorum publica, respectu domini directi privata esse contendunt. Rectius tamen in pactorum denominatione solus paciscentium habetur respectus, cum tertii intuitu pactorum nomen plane non mereantur, sed negotia sint inter alios gesta. Num vero in pacto a Principe dependente ac Vasallo, publicæ subditorum utilitatis causa inito, domini directi consensus requiratur nec ne, quæstio est, cujus decisio petenda ex nexu Vasallitico, qui nihil in præjudicium juris domino directo competentis Vasallum suscipere sinit, in Germania autem ob superioritatem territorialem Principibus competentem hanc patitur limitationem, ut in negotiis,

gotiis, publicam territoriorum ſuorum ſalutem primario concernentibus, omnia, quæ in Imperii perniciem non vergunt, libere ſine Imperatoris conſenſu peragant, in privatis autem ſuis pactis omnino Imperatoris conſenſu ac confirmatione nonnunquam indigeant, ſi nimirum directo Imperii dominio præjudicium inde metuitur, aut lex vel conſuetudo in certis actibus confirmationem requirit.

§. XLIII.

Ubi modo dicta ad varias conventionum illuſtrium ſpecies applicamus, ferri facillime poterit judicium, in quantum quælibet ad publicas privatasve referri debeat. Sic Tractatus commerciorum, pacta de delinquentibus, deſertoribus, aut captivis mutuo ſibi tradendis, fœdera tum offenſiva tum defenſiva inter Reſpublicas inita, pax &c. ſine dubio publicis ex utraque parte ſunt annumeranda, nec morte Principum paciſcentium expirant, ſed regulariter, & niſi ad tempus aut ob cauſam forte poſtea ceſſantem ſint inita, perpetua ſunt cenſenda. Hinc recte *Grotius* L. 2. c. 15. §. 3. in eo fœderum a ſponſionibus differentiam quærit, quod ſponſiones ſint privatæ, ubi hi, qui a poteſtate ſumma mandatum ejus rei non habent, aliquid promittunt, quod illam proprie tangit, fœdera autem juſſu ſummæ poteſtatis fiant, ipſumque populum obſtringant, uno verbo quod ſint publica. Quod usque adeo verum eſt, ut nec aliud de fœderibus inæqualibus ſit pronuntiandum. Æqualia in genere deſcribuntur, quæ utrinque eodem modo ſe habent, inæqualia, quæ diverſo modo ſe habent. Sic quando inter fœderatos convenit ut quilibet alter in neceſſitatis caſu e. c. idem auxiliorum genus præſtet, æquale erit fœdus, ſin alter auxilia promittit, nec tamen alter reſtipulatur, aut majora promittit, inæquale dici poſſet. Frequentiori uſu æqualia fœdera prædicantur de illis, quæ inter Principes & Reſpublicas independentes ineuntur, inæqualia autem quæ fiunt cum imminutione Imperii, cum alter alteri operam, alter vero præſidium & tutelam pollicetur, qualia ſunt fœdera clientelaria. Atque hæc Majeſtatem non tollunt, ſed ſaltem reſtringunt, adeoque publicis adhuc recte annumerantur. Conf. *Grotius* L. 2. c. 15. § 6. & 7. Add. *Henr. Bodinus* de Contractibus ſummarum poteſtatum c. 2. §. 6. & 7.

Exempla pacti publici.

§. XLIV.

§. XLIV.

privati Ad pacta Principum privata pertinent omnes contractus ac reliquæ conventiones, a Principe privatæ suæ utilitatis causa, & pro splendore & incrementis suæ familiæ celebratæ, non quidem præcise propterea, quod tales conventiones in privatam Principis utilitatem vergunt, sed potius quia plerumque privatis auspiciis citra populi consensum ineuntur. Quodsi enim hic accedat, publicis potius erunt accensendæ. Hinc pacta successoria & fideicommissa familiæ conventionalia regulariter pro privatis sunt reputanda. Quamvis enim talia pacta in universi etiam territorii utilitatem cedant, id tamen saltem fit per indirectum. Primario autem & principaliter iisdem gloria & splendor familiæ Principalis intenditur, quem non semper commodo subditorum cedere, recte monet *Bœhmer.* de efficacia pactor. illustr. §. 3.

§. XLV.

mixti Exemplum pacti ex publico privatoque mixti jam dum adduxi §. 42. Inprimis autem illustre exemplum præbent Capitulationes, quæ in genere quidem describi possunt per conventionem de facto præstando aut re dedenda initam. Inprimis autem prædicari solent tum de pactis, quibus Principes circa auspicium regiminis sibi delati conditiones sibi præscriptas servare & adimplere promittunt, tum etiam de pactis militaribus & bellicis, determinantibus conditiones, quibus vel milites sunt assumti, vel loca ab hoste obsessa eidem dedita. Utrumque Capitulationum genus ad pacta ex publicis privatisque mixta spectat. Sic Principum capitulationes die Wahl-Capitulationes ex parte populi, qui eas præscribit, sine dubio sunt publicæ conventiones, quia fiunt a populo, penes quem interregni tempore est potestas. Ex parte autem Principis Capitulationem acceptantis propius accedit ad conventionem privatam, quia acceptatur ab eo, qui summam potestatem nondum habet, sed demum per dictam acceptationem consequitur. Militum Capitulationes, quæ sub certis conditionibus eosdem servitiis militaribus addicunt, itidem mixta videntur, privata ex parte militum, quibus indulgentur, publica autem ex parte Præfecti, qui publica autoritate instructus easdem indulget. Quare ex tali Capitulatione

ipsa

ipsa Respublica etiam mortuo aut misso Præfecto obligatur. Denique illæ Capitulationes, quibus mediantibus loca obsessa hosti traduntur ex parte obsidentium itidem sunt publicæ, quia hi publica autoritate bellum gerunt, quare ex iis etiam ipsa Respublica victrix obligatur, ex parte obsessorum autem privatæ videntur, quia saltem ad defendendum non autem ad dedendum publica autoritate sunt instructi, ac si forte a Republica derelinquuntur, deseruntur, desinunt eo ipso esse membra Reipublicæ. Unde, si quid promittunt, quod reliqua Reipublicæ membra proprie tangit, tale promissum solius sponsionis vicem subit.

§. XLVI.

Ratione objecti pacta ineuntur vel de factis vel de rebus præstandis, iisque tum licitis tum illicitis, dubiis vel certis * singularibus vel universalibus, (quorsum spectant pacta successoria) quibus singulis non est ut hoc loco immoremur, cum infra seorsim de objecto pactorum nobis agendum. *Pacta de dando vel faciendo*

* Accurate loquendo de re dubia & lite incerta transigere, de certa pacisci dicimur L. 1. Dig. de Transact.

§. XLVII.

Ratione subjecti pacta sunt vel personalia, quæ in personam certam, vel realia quæ in rem certam concipiuntur. Illa solas personas paciscentes obligant, nec ad heredes transeunt, hæc autem rem ipsam afficiunt, & ad heredes transeunt. Dantur & mixta, non quidem respectu unius ejusdemque personæ, sed respectu utriusque & creditoris & debitoris, si nimirum ex altera parte in rem, ex altera in personam pactum conceptum, veluti ne *ego* petam, hoc pactum respectu mei est personale, nam heredes mei nihilo secius petere poterunt, respectu tui est reale, nec ego ab heredibus tuis petere possum. Item pactum ne *a te* petatur respectu tui est personale, nam hoc non obstante a tuo herede petere possum, respectu mei est reale, neque heredes mei a te petere poterunt. L. 25. & 57. Dig. de pactis. *personalia vel realia*

§. XLVIII.

Ad Principum pacta ubi hanc distinctionem applicamus, animadvertimus, pacta ab iisdem publico populi nomine inita esse realia, obli- *quatenus ad Prin-*

cipes pertinent gare populum etiam mutata Reipublicæ forma, (nisi tale pactum pro fine habuerit præsentis status conservationem,) reliqua vero esse personalia, & proinde nec populum, nec ipsos paciscentium heredes ob restrictivam pactorum interpretationem aliter obligare, quam si constat, paciscentes eosdem obligare specifice voluisse. In dubio pacta populo ac Reipublicæ favorabilia e. c. fœdera, pacis aut commerciorum causa facta publica, & per consequens realia populumque obligatoria censentur, vid. §. 43. odiosa autem privata, quæ circa distinguendum an facta an res defuncti pro objecto habuerint. Si prius, personam paciscentis regulariter non excedunt, si posterius cum re & bonis defuncti transeunt ad heredes. E. c. Rex promittens, quod ipse in auxilium venire velit sociis, sibi soli, non autem successori nec heredi obligationem imponit. At Princeps debita contrahens, in dubio non quidem populum ac successores in regno obligasse censetur, sed se suosque heredes. Vid. de Hereditat. Tit. 41. §. 848. Add. *Grotius* L. 2. c. 16. §. 16.

§. XLIX.

eorum exempla. Quæ omnia melius adhuc intelligentur, si observaverimus, memoratam modo pactorum distinctionem in personalia & realia etiam ratione objecti paulo aliter ita explicari, ut personale vocetur, in quo personæ factum, reale autem in quo res promittitur. Atque hac ratione personalibus annumerantur pacta obstagii, matrimonii, adoptionis, emancipationis &c. quæ omnia ad personas paciscentium restringenda esse, nec ad eorum heredes transire, manifestum, cum exadverso realia etiam heredes stringant. Atque inter realia hoc nomen καт' ἐξοχὴν merentur pacta dominii translativa, quibus opponuntur mere conventionalia. Sed & pacta mixta hoc sensu dantur, in quibus scil. partim personæ factum, partim res promittitur, quorsum spectant pacta dotalia, utpote quæ partim de matrimonio ineundo, partim de dote & dotalitio celebrantur, item pacta feudalia, seu Vasallagii, ubi partim de re feudali habenda, partim de fidelitate & servitiis præstandis contrahitur.

§. L.

Pacta pura & conditionata. Ratione formæ pacta dispesci possunt in pura & conditionata, de quibus tamen h. l. itidem solliciti non erimus, cum ea quæ ad pacto-

rum

rum conditiones pertinere videntur repeti possint ex Tit. 6. §. 233. ubi de pactorum requisitis it. ex L. 2. Tit. 6. §. 1. sqq. ubi de donationum & ex Tr. de Hereditatibus T. 28. §. 1. sqq. ubi de ultimarum voluntatum, denique de Matrimoniis Tit. 8. sqq. ubi de sponsaliorum conditionibus disseruimus. Exempla pactorum sub conditione celebratorum præbent Expectantiæ, addictio in diem, lex commissoria, Sponsiones die Wettenschafften. In quantum negotiis insit tacita conditio *rebus sic stantibus* dixi de Matrimon. T. 35. §. 442. Scilicet nova demum causa, novus rei & negotii status superveniens, & talis quidem, ob quem obligatio ab initio consistere non potuisset a pacto ejusque obligatione liberat. Add.. L. 38. pr. Dig. de solutionib. L. 98. & 140. Dig. de Verb. Obl.

§. LI.

Voluntaria & necessaria

Lubens prætereo illam pactorum divisionem in voluntaria & necessaria, prout alia ex necessitate quadam ineuntur, alia libere magis. Omnia quidem paciscentium consensu constant, quædam tamen ex alterius jussu vel imperio proficiscuntur, quorsum refertur e. c. cautio litigantium pro reconventione & expensis. Effectum hujus differentiæ in eo ponunt, quod in dubio interpretatio pactorum voluntariorum ad mentem paciscentium, necessariorum autem ad mentem magistratus institui velint.

§. LII.

Expressa tacita & præsumta seu veri contractus & quasi

Accedo ad illam pactorum divisionem, qua itidem ratione formæ, aut si mavis ratione causæ efficientis proximæ alia sunt expressa alia tacita, quibus & addi possunt præsumta. *Expressa* fiunt mediante consensu expresse verbis scriptisve interposito. *Tacita* * consensu aliis signis& factis sufficienter indicato. Exempla præbent hereditatis aditio, litis contestatio, receptio in navim &c. quæ vulgo male ad quasi contractus referuntur. *Præsumta* denique nituntur consensu nullo quidem facto interposito, sed ex eo, quod negotii fert indoles, præsumto. Coincidit cum hac divisione illa juris Romani, quæ contractus dispescit in veros & quasi contractus ** Veri enim sunt qui fiunt consensu expresse vel tacite per signa & facta declarato, quasi contractus autem, qui consensu præsumto constant. Utrosque naturali juri esse cognitos, ac inter Principes usum præbereL. 2. T. 25. §. 1. demonstrabitur.

 * Non

* Non satis accurate pacta tacita definiuntur per ea, quæ consensu tacito seu præsumto nituntur. Differt enim consensus tacitus & præsumtus, cum ille facta istum indicantia supponat, hic autem nulla.

** Hypercrisin sapit eorum doctrina, qui quasi - Contractus juri Romano ignorari, & divisionem contractuum in veros & quasi natales debere ajunt crudioris Jurisprudentiæ ævo. Jus enim Romanum non dicere quempiam *ex quasi Contractu*, sed *quasi ex contractu* obligari, non dividere contractus in veros & quasi, sed obligationes in eas quæ ex contractu oriuntur & in eas, quæ quasi ex contractu. Vid. *Hartung.* de pacto dominii reservativo c. 1. §. 3. Nos verborum apicibus adeo inhærendum esse, minime remur.

§. LIII.

Veri contractus alias opponuntur simulatis.

Dum veros contractus quasi contractibus contradistinximus, facile patet, alio sensu verum contractum accipi, quam quando opponitur simulato. Quando nimirum contractus dividuntur in veros & simulatos seu imaginarios, veri dicuntur, in quibus fides facti reapse, & ita prout verba præ se ferunt, interponitur, imaginarii autem cum fides facti simulatur, non intercedente veritate, ut loquitur *Modestinus* in L. 54. Dig. de Obl. & Act. Atque tales imaginarii contractus nil vitii alunt, quoties solius solennitatis causa adhibentur, prouti constat, olim apud Romanos in adoptionibus, emancipationibus, testamentis per æs & libram, imo in nuptiis imaginariam venditionem intercessisse. Plerumque autem adhiberi ejusmodi contractus imaginarii solent, quoties paciscentes negotiis beneficis, quæ in rei veritate celebrant, jura onerosorum, & vice versa, in fraudem vel legis vel tertii cujusdam tribuere allaborant, e. c. quando donationem sub locatione aut emtione velant. Illustre exemplum legitur apud *Herodotum* L. 6. c. 89. p. 469. scil. cum Atheniensium lege vetaretur, Reipublicæ dono dare, Corinthii ipsis 20. naves vendiderunt singulas pro quinis drachmis. Atque tunc valet, quod dicit *Modestinus* in Leg. cit. contractus imaginarios juris vinculum non obtinere, quia fraude non vacant. Hinc revocant heredes simulate alienata, cum sint inofficiose donata Tit.

Dig.

Dig. de inoff. donat. it. Conjugum donationes sub emtionis velamento factæ interdicuntur L. 38. Dig. de Contrah. emt. Hinc porro donationes simulatæ & coloratæ improbantur L. 23. C. mandati. Quoties autem tertii præjudicium cessat, nil obstat, quo minus simulati ejusmodi contractus tanquam innoxii sustineantur, ceu patet ex L. 3. & 9. C. de Contr. emt. quorsum forte & pertinet cautela Pomponii L. 66. Dig. de jur. dot. nec non contractus ex beneficis & onerosis mixti e. c. Gnaden=Pacht, Gnaden=Kauff, quando minori pretio res venditur, vel locatur. Plura exempla vid. apud *Grotium* L. 2. c. 12. §. 5.

§. LIV.

Sunt vel nominati vel innominati

Veri Contractus, quasi-Contractibus contradistincti, subdividuntur in nominatos & innominatos. Denuo hic agitata inter Doctores se offert controversia, sitne distinctio hæc naturalis an mere civilis, numque inter summos imperantes usum præbeat, præsertim quoad effectum & facultatem pœnitendi, quæ in innominatis, quamdiu ab altero nil præstitum, integra dicitur, in nominatis non æque. Qua de re ut luculentius constet, ante omnia videndum, quinam contractus dicantur innominati, quive nominati. Nominati dicuntur, quibus tale inditum est nomen, quod naturam & indolem negotii celebrati ita exprimit, ut simulac de objecto pacti celebrati constat, statim etiam simul de paciscentium officiis constet, innominati autem vocantur, quibus tale nomen non est inditum, quique proinde requirunt speciales a paciscentibus propositas leges & conditiones, quibus unice inhærendum. E. c. simulac audio celebratam esse venditionem vel locationem domus pro 1000. thl. statim novi ad quid utraque contrahentium pars sit obligata, unde colligo contractum celebratum esse nominatum. Econtra si dicitur permutatam esse domum pro horto, tunc licet negotium rotundo permutationis nomine insigniatur, illud tamen tale non est, quod officia paciscentium satis indicat, siquidem res permutanda rarissime alteri ita æqualiter respondet, ac pretium rei emtæ, adeoque nec dum constat, num domus pro horto ita sit permutata, ut alteri aliquid pretii sit superaddendum aut num domus & hortus pretio sibi sint æquales, adeoque æqualiter permutentur. Unde contractum innominatum esse apparet. Simile esto de reliquis judicium. De nominatis asseritur, quod in

in iis (excepto mandato, deposito & societate) altero invito pœnitere non liceat, in innominatis autem ei, qui dedit, pœnitendi licentia indulgetur, quamdiu alter nil præstitit a sua parte L. 3. §. 2. & L. 5. pr. & §. 1. Dig. de Condict. caus. dat.

§. LV.

quod discrimen juri nat. cognitum negat Grotius.

Jus naturæ ignorare hæc discrimina, vult *Grotius* L. 2. c. 12. §. 3. quoniam qui innominati dicuntur contractus non minus sint naturales, & antiqui ac reliqui, imo permutatio, quæ innominatis accensetur, emtione sit simplicior & antiquior. Adstipulatur *Titius* ad Lauterbach Obs. 621. ubi contractus innominatos vocat commentum Juris Romani, quod merum jus naturæ penitus ignorat, & Obs. 351. jus pœnitendi in contractibus innominatis unice ex jure civili esse ait, quod hac in parte ab æquitate & simplicitate naturali enormiter desciverit. Add. *Glafey* Vernunfft und Völcker-Recht p. 712. ubi hanc distinctionem vocat eine abgeschmackte Grille der Römer, womit sie die Jurisprudenz schwer und dem gemeinen Volck einen blauen Dunst vor die Augen machten. Sic & *Wernherus* Elem. Jur. Nat. c. 15. §. 8. divisionis in contractus nominatos & innominatos originem ex mere jure civili repetendam ait. *Gribnerus* Princip. Jur. Nat. L. 1. c. 7. pos. 7. n. 1. divisionem contractuum in nominatos & innominatos ad subtilitates Romanas pertinere ait.

§. LVI.

asserit Coccejus.

Econtra *Henricus Coccejus* in diss. de jure pœnitendi in contractibus Francof. ad Viad. 1704. totus in eo est, ut adstruat discrimen inter contractus nominatos & innominatos usque adeo naturali rationi convenire, ut etiam quoad pœnitendi facultatem jura Romana cum gentium jure suavi concentu consonent. Ponit siquidem regulam: quamdiu commutatio seu translatio juris non apparet, vel negotium, quo de ea agitur, perfectum nondum est, natura jus pœnitendi esse. Hinc infert, in contractibus nominatis pœnitentiam regulariter locum non habere, quia ipso tali contractu fit translatio juris, exceptis mandato, societate & deposito, in quibus cum nil juris transferatur, sed onus saltem in domini favorem alteri committatur; pœnitendi facultatem integram esse. A contractu innominato

facio

facio ut facias omnem pœnitentiam exulare, propterea quod factum infectum fieri nequit. Hactenus bene. At pergit, in ceteris contractibus innominatis dantem ſemper pœnitere, & datum revocare poſſe, quoadusque alter contractum a ſua parte nondum implevit, idque duplici ex cauſa, *primo* quia negotium a parte dantis perfectum non eſt, non enim dedit animo donandi, ſed ut alter viciſſim quid præſtaret. *Secundo* quia accipienti nil deeſt, ſed danti. Accipiens, ait, plus ſuo jure habet, & accipiendo ſe danti, non dantem ſibi obligavit. Liberum ergo danti eſſe exiſtimat, utrum, quod dedit, repetere, an ad contractum adimplendum agere velit. At enimvero falſum primo eſt, negotium perfectum non eſſe, antequam uterque contractum adimplevit, adeſt enim obligatio perfecta ſimul ac uterque conſenſit, licet nondum a neutro aliquid ſit præſtitum. Secundo falſum & illud eſt, quod dicitur, accipienti nil deeſſe. Deeſt ipſi jus, quod ipſi erat per conſenſum utrinque interpoſitum quæſitum, quod proinde ipſi invito ſola alterius pœnitentia auferri non debet.

§. LVII.

Quare diſtinctius ita nobis termini videntur colligendi, ut dicamus, ipſum quidem contractuum in nominatos & innominatos diſcrimen, ceu ex ipſa rei natura & indole petitum * juris naturalis eſſe, non quidem abſoluti ſed hypothetici, quod ſermonem receptum ſupponit. Ad facultatem autem pœnitendi quod attinet, exiſtimamus antequam paciſcentes in contractibus innominatis determinaverint ſpecifice, ad quænam præſtanda quilibet eſſe debeat obligatus, fruſtra quæri de pœnitentia. Cum enim indeterminatorum obligatio ſit nulla, nec pœnitentia circa illam obligationem poterit concipi. Pœnitentiam autem, quæ poſt factam a paciſcentibus præſtandorum determinationem contractibus innominatis tribuitur, non arbitramur naturalis juris eſſe, utpote quod omnes conventiones determinatas ſtatim poſt conſenſum mutuo interpoſitum validas, atque mutuo obligatorias pronuntiat, ſed civilis Romani, quod præter rationem ſoluti repetitionem in contractibus innominatis indulget L. 3. §. 2. Dig. de condict. cauſ. dat. quodque hanc ipſam ob rationem parum cohærere videtur, dum alibi e. c. L. 10. Dig. de Obl. & Act. L. 5. §. 2. Dig. de ſolutionib. aſſerit, ex pacto nudo datum repeti non poſſe, cum tamen conſtet,

nobis media placet ſententia.

ſtet, pacta nuda eo ipſo quo ab alterutro quid præſtatur, degenerare in contractus innominatos. *Titius* ad Lauterb. Obſ. 619. diſcrimen in eo quærit, quod pactum nudum ſit unilaterale, contractus innominatus autem nil aliud, quam pactum nudum reciprocum, quo ipſo tamen num acu rem tetigerit, ſubdubito. Nam pacta nuda etiam antequam per alterutrius præſtationem in contractum innominatum tranſeunt, poſſe eſſe reciproca, manifeſtum, prætereaque ex Titii ſententia ſequitur, pactum nudum unilaterale fortius ligare, quam reciprocum, quoniam in illo id quod ſolutum repetere non licet, bene tamen in hoc, quæ abſurditas num legibus Romanis a *Titio* jure impingatur, in medio nunc relinquo. Ad Germanorum inſtituta quod attinet, licet hodienum apud nos in contractibus innominatis pœnitendi facultati locum eſſe, ob receptum jus Romanum exiſtimet *Carpzov.* P. 2. Conſt. 33. def. 23. ex eoque *Hoppius* Exam. Inſtit. Tit. de Oblig. qu. 40. contrarium tamen rectius plerisque reliquis propugnatur, & in praxi inter ipſos privatos, multoque magis inter Principes ſervatur.

* Sed hac ratione Societatis contractus innominatis foret accenſendus, quia ſocietatis initæ conditiones ſpeciali determinatione neceſſario indigent, æque ac permutationis.

§. LIIX.

Nominati ſunt vel reales, vel literales, vel verbales, vel conſenſuales.

De variis contractuum innominatorum ſpeciebus ſuo loco diſſpiciemus L. 2. Tit. XI. Nominati diſpeſci ſolent in *reales*, qui præter conſenſum rei traditionem, *verbales*, qui præter conſenſum verba ſolennia, *literales*, qui præter conſenſum literas ſive ſcripturam ad ſuam ſubſtantiam requirunt, & *conſenſuales* qui ſolo conſenſu conſtant. Singulos infra luſtrabimus. Confer. interim §. ult. Inſt. de Oblig. L. 1. §. 1. Dig. de Obl. & Act. ubi tamen contractus literalis omittitur vel incuria compilatorum, quod putat *Lyncker* Tr. de Reſtitut. literar. oblig. vel quod tempore compilati juris nondum in uſu fuit, quod mavult *Henr. Bodinus* de literarum obligationib.

§. LIX.

Diſcrimen rea-

Hic ſaltem monemus, quod qui hanc diviſionem vellicant, in quibus iterum

iterum est *Titius* ad Lauterb. Obs. 57. & *Gribner*, Princ. Jur. Nat. L. 1. c. 7. pos. 7. n. 1. eandem non satis perspectam habere videantur. Ajunt enim naturali jure nihil nisi consensum serium ad quosvis contractus requiri, ac eos proinde omnes esse consensuales, reliquas species naturali juri ignorari. At enim vero reales, verbales & literales consensualibus non ideo opponuntur, quasi in illis consensus non requiratur, aut quasi præter consensum aliæ solennitates eum in finem requirantur, ut per illas negotium fiat obligatorium. Nam simulac e. c. de pecunia mutuo danda per consensum interpositum convenitur, valida quidem obligatio est ad pecuniam mutuo dandam. Sed principalis illa obligatio, quam contractus reales producunt e. c. in mutuo obligatio reddendi pecuniam creditam concipi prius nequit, quam pecunia sit tradita. Unde facile patet, ex ipsa sua natura traditionem requiri ad perfectionem talis contractus. Quare distinctionem in contractus reales & consensuales in ipsa eorum natura & indole fundatam putarem. *lium & consensualium est naturale.*

§. LX.

Contractus autem verbalis ac literalis sive chirographarius non tam peculiares contractuum species, quam modum voluntatem declarandi constituere videntur. Equidem pro asserenda peculiari contractus chirographarii specie dici posset, obligationem ex contractu chirographario oriundam de manu aut recognoscenda aut diffitenda sine chirographo concipi non posse, licet ad inducendam obligationem de pecunia credenda aut reddenda solus consensus aut traditio sola sufficiat. Finis tamen primarius conventionis, cui accedit chirographum, non est recognitio, sed obligatio ad aliquid præstandum, cui melioris saltem probationis causa accedit scriptura. *Chirographarius peculiaris contractus non est.*

§. LXI.

Quoad contractum verbalem sive stipulationem nihil quidem obstat, quo minus etiam in statu naturali inter paciscentes conveniri queat, ne prius pactum sit validum, quam verborum accesserint solennia, prout videmus, de desponsationibus sæpius ita tractari, ut de singulis capitibus certi quid statuatur, prius tamen in vim obligationis non transiturum, quam solennis nuptiarum mentio & repromissio fuerit celebrata. Id *Nec stipulatio*

tamen omne saltem ad conventionum conditiones pertinet, nec peculiare contractus genus efficit. Hactenus igitur mere civilis est juris Romani dispositio, quæ pacta, utut consensus iisdem sit interpositus, aliter non sustinet, quam si stipulationum accesserint solennitates. Quare sic tenendum esse reor. Naturali jure contractus sunt vel consensuales vel reales. Romani addiderunt Verbalem & chirographarium. Verbalem, ut interpositis verbis solennibus earum rerum induceretur obligatio, quarum alias ex nudo pacto obligatio erat nulla. Cumque inter solos præsentes stipulatio celebrari posset, in gratiam absentium contractum chirographarium additum puto. Conferri meretur *Theophilus* in Paraphrasi Græca Instit. Tit. de literar. obligationib. p. m. 109. Quod vero contractus sub clausula fidei Principalis vel Equestris bey Fürstl. oder adelicher Cavaliers parole initus arctius stringere creditur, quam simplex consensualis, ad sola pactorum firmamenta pertinet, nec eorum essentiam ingreditur.

§. LXII.

Pacta obligatoria & liberatoria.

Ratione finis & effectus pacta sunt vel obligatoria vel liberatoria vel mixta. Obligatoria sunt, quæ obligationem vel inducunt vel conservant, adeoque futura respiciunt. Liberatoria, quæ obligationem tollunt, respiciunt præterita, quo spectant acceptilatio, novatio, & renuntiationes, quippe quæ nihil aliud sunt, quam juris abdicatio. Mixta denique pro parte a prisca obligatione liberant, pro parte eandem conservant, vel plane novam superinducunt, quale quid cernitur in transactionibus.

§. LXIII.

Obligatoria vel principalia vel minus.

Pacta obligatoria varias iterum subdivisiones admittunt. Sic pro re nata, prout obligationem vel inchoant, vel conservant, sunt vel acquisitiva vel conservativa. Alio iterum respectu vel principalia vel minus principalia, hæcque iterum vel præparatoria * vel accessoria ** Ratione durationis vel perpetua vel temporaria *** Inprimis autem expendi meretur divisio pactorum obligatoriorum in benefica & onerosa.

* Præparatoria pacti non sunt confundenda cum pactis præparatoriis, quod facit *Glafey* in Vernunfft und Völcker-Recht. P. 707.

p. 707. Hæc obligationem ſemper inducunt, illa non item, & ſæpe numero ſolis tractatibus pro lubitu abrumpendis conſtant. Hinc quoad Præliminaria pacis probe diſtinguendum num iisdem reapſe aliquid promiſſum. Tunc enim ſunt obligatoria, nec ab iis altero invito poteſt recedi: An ſaltem projectum quoddam pacis ſecuturæ contineant, tunc pro lubitu ab iis citra injuriam receditur, prout conſtat, in pace Neomagenſi & Rysvicenſi alia in pace, quam in Præliminaribus fuiſſe ſtatuta. Sic & in præliminaribus Hagenſibus ante pacem Ultrajectinam legati Gallici exponebant quidem, quam Regis ſui crederent voluntatem, nihil tamen promittere vel ſubſcribere volebant, quod neſcirent, num Rex in eadem voluntate ſit perſtiturus, quo ipſo ſatis indicabant, nolle ſe per ejusmodi præliminaria obligationem ullam transferre (quæ tamen, ſi ſubſcripſiſſent, translata omnino fuiſſet) ſed paci ſaltem viam pandere.

** Quorſum ſpectant addictio in diem, lex commiſſoria, pactum retrovendendi, retractus conventionalis, pactum protimiſeos, pignoris, antichreſeos, pacta dominii reſervativa, ſtipulationes, fidejuſſiones, obſtagia, Cambia, Chirographa, Guarentigia, Obſidum datio de quibus omnibus ſuis locis plenius dicetur.

*** Quorſum ſpectant induciæ, utut forte 100. annorum, quales iniit Romulus cum Vejentibus apud *Livium* L. 1. c. 16. Ludovicus XI. Galliæ Rex cum Eduardo IV. Angliæ Rege inducias ad Vitæ dies, & poſt mortem 100. annis duraturas pepigit. 1479. De cetero circa inducias nil refert ſive ſint generales ad omnes actus ſive ſpeciales ad certos ſaltem e. c. mortuos ſepeliendos, ſive univerſales, quæ in omnibus belligerantium ditionibus locum habent, ſive particulares in aliquo ſaltem.

§. LXIV.

vel benefica vel onerosa.

Benefica ſunt, quæ alteri paciſcentium parti aliquod commodum gratis afferunt, & quoque vocantur gratuita, ſolitaria, unilateralia * inæqualia, quorſum ſpectant donatio ** mutuum, commodatum, depo-

ſitum, mandatum. Oneroſa ſunt, quæ utramque partem ad aliquod *** onus adſtringunt, & quoque dicuntur permutatoria, reciproca, bilateralia, æqualia, quo ſpectant emtio, locatio, ſocietas, permutatio &c. Quod vero mutuum, commodatum, depoſitum contractibus beneficis ſive gratuitis annumerantur, non ita accipiendum eſt, ac ſi illicitum ſit pretium pro rei uſu vel cuſtodia ſtipulari aut promittere, ſed quod tunc negotium in aliud nomen tranſeat, & ex benefico fiat oneroſum (e. c. ex commodato locatio) aut ex utroque mixtum e. c. in donatione remuneratoria. In quantum enim remuneratio ſuperat merita eſt benefica, ſi vero exacte æquat vel minor exiſtit, oneroſa omnino eſt.

* Quando conventiones vel contractus unilaterales (ſimile eſto judicium de ſolitariis) pro ſynonimo beneficorum ſumuntur, prout factum a *Wernhero* Elem. Jur. Nat. c. 15. §. 8. tum unilaterales deſignant illos, qui ſaltem ex una parte obligationem *directam* producunt licet forte ex altera contrariam. Conf. de Proceſs. §. 179. bilaterales autem illos, qui ex utraque parte obligationem directam pariunt. Sic commodatum eſt contractus beneficus ſeu unilateralis, parit enim obligationem directam ſaltem in commodatario ad rem reſtituendam, in commodante autem contrariam ad indemnitatem. Sic vero contractus unilaterales, prout communiter fit, illos vocare velis, qui ſimpliciter ſaltem ex una parte obligationem producunt, bilaterales autem qui ex utraque, tunc unilaterale non eſt ſynonimum benefici, neque tunc commodatum, depoſitum, mandatum unilateralia dici poterunt, bene tamen benefica. Contractus beneficus igitur & unilateralis non ſatis accurate pro ſynonimo ſumitur.

** Donatio, quatenus rem transfert, eſt modus acquirendi, quatenus autem obligationem producit, eſt pactum. Quod autem *Cicero* in Topicis ait donationem in modis acquirendi non obligandi eſſe accipiendum eſt de priſcis Romanorum temporibus, cum donatio nondum eſſet pactum legitimum. In L. 22. Dig. de donationib. donatio inter contractus, & eos quidem qui ſtricti juris ſunt refertur.

*** Æqua-

*** *Æquale vult Eisenhard.* Instit. Jur. Nat. p. 266. quod in dubio verum, quia in onerosis æqualitas observanda. At partium consensu inæquale potest constitui. Sed tunc de benefico participat.

§. LXV.

Pignus & fidejussio quorsum pertineat.

De pignore & fidejussione quæritur, num ad beneficorum an onerosorum negotiorum classem pertineat? Nos ei peculiarem classem infra assignabimus L. 2. Tit. 1. §. 413. Interim si necessario aut ad benefica aut onerosa referri deberent, ita forte foret statuendum. In pignore licet rei detentio concedatur, hicque actus liberalis videri posset, rectius tamen onerosum pronuntiatur, quoniam rei detentio non gratis sed propter creditum conceditur. Fidejussio autem, si negotium spectes, quod inter fidejussorem & principalem debitorem geritur, plerumque mandatum est, adeoque gratuitum, sin negotium, quod inter creditorem & fidejussorem, qui nil recepit, geritur, videtur quidem actus mere liberalis, sed quia contractibus onerosis accedit, inde talis etiam censetur. Vid. *Grotius* L. 2. c. 12. §. 6. Licet autem hoc intuitu fidejussionem pro negotio oneroso agnoscamus, non tamen pro bilaterali habere poterimus, quoniam fidejussor saltem creditori, non autem vice versa creditor fidejussori est obligatus.

§. LXVI.

Contractus feudalis.

De feudali quoque contractu disputatur, num beneficus sit an onerosus? Dubitandi ratio est, quod feudum etiam beneficii nomine venire solet. Verum tamen cum non gratis sed servitiorum & fidelitatis intuitu detur, propius ad onerosi naturam accedere videtur.

In dubio cum nemo suum jactare credatur, pro oneroso potius quam gratuito negotio militat præsumtio, adeo ut ipsa etiam privilegia, quæ tamen gratiam Principis præsupponunt, in dubio potius pro onerose quæsitis, quam ex mera gratia concessis habeantur. Conf. *Sam. Stryck.* de privilegiis titulo oneroso quæsitis Hal. 1704. p. 32. sq., qui & p. 29. privilegia ob futura merita indulta ab initio gratiosa esse, ex post facto autem onerosa fieri existimat. Quod præscriptione immemoriali

est quæsitum, nec beneficum nec onerosum dici potest, quia in præscriptione immemoria lidesicit titulus, adeoque & tituli qualitas.

§. LXVII.

In onerosis æqualitas requiritur.

Inprimis se prodit differentia inter pacta benefica & onerosa quoad æqualitatem in iisdem servandam, utpote quæ in beneficis locum habere nequit, eo quod alter gratis & pro nihilo quid accipit. At in onerosis natura æqualitatem imperat, quia permutationem quandam continent, qui vero permutat, nihil donare præsumitur. Quodsi igitur inæqualitas se exerit, tribuit illa minus* habenti jus ad petendum id, quod sibi deest. Nititur igitur omnis requisita in pactis & contractibus æqualitas præsumtione non donandi. Ubi vero de animo donandi satis constat, cessat etiam requisita alias æqualitas. Hinc qui sciens (aut dum scire saltem potuit, conf. L. 2. T. 12. §. 599.) rem majoris ** quam valet emit, de inæqualitate conqueri, aut petere residuum nequit, quia ejusdem donatio manifesta satis apparet. Hinc, si vera essent, quæ de Carolo IV. Imperatore scribit *Theodoricus a Niem*, quod Regnum Arelatense pro magno prandio apud villam novam prope Avenionem Duci Avenionensi dederit, si inquam hæc vera essent, & Carolus alienandi facultatem habuisset, conqueri non potuisset de inæqualitate, quodque prandium non valeat regnum. Satis enim manifeste apparet, donationem magis quam venditionem subfuisse. Hinc itidem in stipulationibus, sponsionibus Wettenschafften, permutationibus & contractibus innominatis aliis omnis regulariter de inæqualitate cessat querela, quia specifice ibi omnia exprimuntur, quæ cum semel placuerint, in iisdem subsistendum *** At si objectum vitio quodam latenti laboraverit, tunc vel ideo, quod tale vitium latuit, resque majoris est æstimata, emergens inde damnum resarciri debet.

* Minus autem habere intelligitur, cui vel tardius, vel loco alieno, vel res deteriorata, vel plane alia, quam promissa datur.

** De furto per emtionem ab indigente minoris factam vid. L. 2. T. 12. §. 599.

*** Vitio igitur vacant permutationes, quibus Indi Europæis cum

triplo

triplo æris aurum commutant & pro ferro duplum reddunt. Eandem ob rationem in contractu feudali æqualitas aut proportio justa inter reditus feudi & servitia præstanda non præcise requiritur.

§. LXVIII.

Ne interim lites ex neglecta in contractibus onerosis æqualitate oriundæ nimium in foris multiplicarentur, hæc de quavis læsione in perpetuum conquerendi licentia legibus civilibus valde restricta deprehenditur, ita ut ob quamvis utut minimam læsionem tempore initi contractus a læso ignoratam agi possit 1.) intra sex saltem menses a die contractus actione ædilitia redhibitoria, ad hoc ut venditor rem vitiosam recipiat, & si sciverit vitium interesse præstet, si vero contumax fuerit, duplum solvat Tit. Dig. & Cod. de ædilitio Edict. dupli tamen pœnam in praxi receptam negat *Titius* ad Lauterb. Obs. 677. 2.) intra annum a die scientiæ actione æstimatoria seu quanti minoris, ad id quanti minoris cum venderetur res fuit. Vid. Tit. cit. 3.) ob enormem læsionem, qua quis ultra dimidium est læsus intra 30. annos remedio Legis 2. C. de rescind. vendit. vel ad supplementum ejus quod deest, vel ad negotium rescindendum, quod tamen remedium cessare volunt, si juramentum negotio accesserit Add. L. 2. T. 12. §. 600. & L. 1. T. 14. §. 401.

Quæ neglecta læso succurritur.

§. LXIX.

Magnam cum exposita hactenus pactorum divisione in benefica & onerosa affinitatem habet alia, quæ pacta dividit in bonæ fidei & stricti juris. Bonæ fidei dicuntur, ubi alter alteri ex æquo & bono obligatur, etiam ad id quod in conventione haud expressum. Stricti juris autem, ubi alter alteri nonnisi in id tenetur, de quo expresse convenit. Verum hujus distinctionis sensum non satis assecutus videtur *Guilielmus Amesius* de Conscientia Lib. 5. c. 42. num. 22. „ divisio, scribens, contractuum, qua alii „ dicuntur esse bonæ fidei & alii stricti juris non est accurata, neque lo„ cum habet in foro conscientiæ & coram Deo. Bona enim fides in o„ mnibus contractibus requiritur, & quia in illa præcipua pars naturæ „ contractuum consistit, ex illa & secundum illam, quatenus liquere potest „

Contractus bonæ fidei & stricti juris.

„ test, judicium est ferendum. In omnibus igitur contractibus procedendum est ex æquo & bono potius, quam ex verbis & summo juris rigore, „ in quo summa sæpe injuria continetur. Hactenus *Amesius*, cui parum abest quin jungam *Henricum Bodinum* de Contractib. summarum potestatum c. 3. §. 6. At bona fides in hac contractuum divisione neutiquam opponitur malæ fidei, aut dolo malo, quod fit, quando dicitur bonæ fidei emtor, possessor &c. Mala fides & dolus procul abesse & exulare ab omnibus omnino contractibus debet, etiam iis, qui bonæ fidei non sunt. Sed bona fides hic saltem opponitur verbis expressis, & stricto juris rigori, ejusque remissionem, Græcis ἐπιείκειαν dictam, denotat, ita ut in contractibus stricti juris præcise verbis contrahentium standum sit, in bonæ fidei ab eorum rigore recedatur.

§. LXX.

etiam naturaliter differunt. Num vero hæc distinctio inter Principes summosque imperantes usum præbeat, pendet ex quæstione præjudiciali, num dicta distinctio sit juris naturalis an meri civilis? *Titius* ad Lauterb. Obs. 1148. sqq. *Glafey* in seinem Vernunfft und Völcker-Recht p. 710. *Wernher* Elem. Jur. Nat. c. 15. §. 8. *Gribner* Princip. Jur. Nat. L. 1. c. 7. pos. 7. n. 1. & *Gundling.* pecul. diss. de usu practico actionum bonæ fidei & stricti jur. Hal. 1724. eandem ex mero jure civili repetendam censent. Speciem huic suæ opinioni conciliare student ex historia juris Romani. Ajunt judices pedaneos in causis, quarum cognitio ipsis a prætore erat commissa, non pro arbitrio judicare potuisse, sed ex formula a prætore præscripta, quæ si ex bona fide dari fierive jubebat, tunc demum judicem pedaneum arbitrium suum exercere potuisse, cum alias formulæ præscriptæ stricte inhærere debuerit, negotia igitur stricti juris fuisse, quæ sub formula, bonæ fidei autem quæ ex æquo & bono judicanda, ac totam proinde distinctionem inniti Jurisprudentiæ Romanorum formulariæ, cum eaque dudum exolevisse.

§. LXXI.

quod variis casi- At enimvero in mentem hic revocari velim, quod prætor non pro lubitu, aut prout forte fortuna tulit, negotia nunc sub formula, nunc ex

æquo

æquo & bono judicari præceperit, ſed prout ipſa negotiorum ferebat indoles. Deinde ſi forte Prætor aliquando plane contra rei indolem negotium, quod bonæ fidei erat, ſub formula & ſtricto jure judicare præceperit, non tamen inde ſequitur, quod reapſe & naturaliter nulla adſit differentia inter interpretationem ſtricte, prout verba ſonant, & ex æquitate juxta negotii indolem ſuſcipiendam. E. c. fac me 100. tibi dare promiſisſe, non facta mentione temporis ſolutionis. Non ſtatim ſolvo. Quæritur num uſuras interea tibi debeam. Nihil hac de re expreſſum. Omne igitur punctum fert quæſtio, num ſtricte verbis pacti inhærendum nec ne? Deciſio inde petenda, num debeam ex negotio benefico an oneroſo? Pone me donaſſe tibi 100. Iniquum ſane erit, tunc meam liberalitatem ulterius, quam volueram, extendere. Quare ſtricti juris negotium erit pronunciandum. Conf. L. 22. Dig. de donat. At finge, me 100. tibi debere ex emto vendito. Æquiſſimum certe tunc erit, uſuras etiam non promiſſas propter moram ſolvere. Quare tunc in bonæ fidei negotium res degenerabit. Quæ omnia ſane naturali juri innituntur, nec civile quippiam ſapiunt, ac hodienum inter Principes pariter ac privatos uſum præbent. Add. *Grotius* L. 2. c. 16. §. 11. Similes caſus eſſe poſſent, ſi quæritur, num creditor an debitor mercedem pro pecunia debita transferenda ſolvere debeat? it. num deterioratio rei ad uſum conceſſæ juxta pretium commune, an juxta pretium affectionis ſit rependenda &c. Variabit nimirum deciſio, prout nunc gratuitum nunc oneroſum negotium fuiſſe deprehenditur. Quam vero differentiam inter negotia bonæ fidei & ſtricti juris vulgo quærunt in eo, quod in illis debeantur uſuræ ex tempore moræ, in his non item, illa inquam, ſi forte apud Romanos obtinuit, certe naturali rationi noſtrisque moribus eſt incognita, quippe quibus ex mora in omnibus negotiis debentur uſuræ. Conf. Tit. 12. §. 364. Add. R. J. 1600. §. 139. So viel nun ꝛc. Rec. Imp. 1654. §. 174.

bus illuſtratur.

§. LXXII.

Specifice autem ſi noſſe cupias, quinam contractus ſtricti juris, quive bonæ fidei ſint, ex iis Doctoribus, qui hanc diſtinctionem juris civilis eſſe perhibent, nonnulli ut *Glaſey* l. c. exiſtimant, contractus §. 28. Inſt. de Actionib. recenſitos ſolos eſſe bonæ fidei, reliquos ſtricti juris. Alii ut *Titius* exiſtimant, Tribonianum pariter ac Juſtinianum ignoraſſe numerum

quinam ſint bonæ fidei?

actionum bonæ fidei, eundemque hodienum ignorari, quoniam ex nullo solido fundamento distinctio illa invaluerit. Sed ex dictis, ni fallor, patebit, hujus distinctionis fundamentum esse situm in diversa negotiorum indole, prout alia sunt solitaria vel unilateralia, alia reciproca vel bilateralia, quorumque interpretatio ita instituenda, ut is, qui beneficium gratis confert, seque solum obligat, non ulterius quam donandi aut se obligandi animum declaravit obligetur, qui vero reciprocam obligationem exigit, tituloque oneroso alteri aliquid confert, eundem præstet indemnem. Quo posito tuto asserere licet, omnia negotia unilateralia, seu talia ex quibus unus saltem obligatur, alter vero nec directa nec contraria actione tenetur, esse stricti juris, bilateralia autem bonæ fidei. Excipi solent permutatio, contractus æstimatorius & stipulatio ad dotem repetendam, qui licet dicantur unilaterales, tamen sunt bonæ fidei. Ubi tamen id videtur expendendum, an hi tres contractus semper sint unilaterales? Sic & id, quod contractus innominati stricti juris esse dicuntur, non simpliciter admittendum. Ac stipulationes pro substrata materia prout vel unilaterales vel reciprocæ (frustra enim omnes stipulationes pro unilateralibus venditantur) quandoque interpretationem extensivam admittunt, regulariter autem restringendæ.

§. LXXIII.

An illi cum Principe initi. De contractibus cum Principe initis *Baldus* cap. 1. de Pace Constantiæ versic. Si vero scribit, eos etiamsi alioqui sua natura stricti juris sint, bonæ fidei existere eo ipso quod cum Principe ineantur. Argumentum hujus rei desumunt Doctores ex verbis finalibus L. 67. de leg. 2. quod tamen mihi valde videtur ficulneum, & vereor ne omne hoc assertum pro fundamento habeat male intellectum ac præpostere applicatum locum *Svetonii*, qui passim illustrationis causa a Doctoribus citatur in Augusto c. 42. ubi Augustus populo promissum congiarium reposcenti *bonæ fidei se esse* respondisse legitur. Hinc forte Doctores sic sunt argumentati. Si Princeps bonæ fidei esse debet, sequitur, quod & contractus ipsius omnes debeant esse bonæ fidei. Sed quis non videt, fallaciam æquivocationis subesse in voce *bonæ fidei*. Apud Svetonium opponitur dolo & malæ fidei, hic vero & in contractuum materia stricto juri. Sicut igitur ridiculum fuisset, si populus ab Augusto promissi nec dati congiarii usuras postulasset, quia negotium esset bonæ fidei, ita pariter a vero mihi videtur aliena thesis, Prin-

cipum

cipum contractus semper bonæ fidei esse asserens, quam proinde ne quidem in contractibus quos Princeps cum subditis, nedum in iis quos cum extraneis celebrat admitterem.

§. LXXIV.

Ceterum non nego, leges Romanas hanc inter bonæ fidei & stricti juris negotia distinctionem, utut in se naturalem, variis civilibus legislationibus auxisse, quas ad Principum negotia non esse trahendas, facile largior. Pertinet huc, quod stricti juris contractibus pacta adjici non potuerint, it. quod in stricti juris actionibus doli exceptio non semper admittatur. Porro quod in stricti juris judiciis in litem non juretur, quæ omnia ne quidem inter privatos in Germania unquam obtinuerunt. Vid. *Gundling* de usu practico actionum bonæ fidei & stricti jur. p. 77. qui tamen in eo est nimius, quod nullum plane hujus distinctionis inter Principes usum agnoscit p. 63. Quod autem rarius in Principum controversiis ad hanc distinctionem provocetur, id mihi videtur in causa, quod in Principum pactis specifice satis omnia exprimi solent. *quid jus civile addiderit?*

§. LXXV.

Lustravimus, quantum præsenti instituto sufficere potest, varias pactorum & contractuum divisiones, earumque simul usum & applicationem ostendimus. Quoad methodum autem si scire cupias, quænam ex dictis divisionibus inprimis sit apta recensendis speciatim Principum pactis & contractibus? breviter dicam, in re methodi quemvis suo sensu abundare, eidemque indulgere posse, cum eadem res pluribus modis æque bene proponi queat, & sicut res eodem redit, sive assem in duas semisses, sive in tres trientes, sive in quatuor quadrantes distribuas; ita & contractuum materia citra ullum vitium diversimode potest tractari. Elegans est *Grotiana* contractuum divisio L. 2. c. 12. Ferri ex parte potest *Justinianea.* Ingeniosa sed diffusa nimis memoriæque gravis est *Beyeriana* Jur. Germ. L. 3. c. 3. Excogitari possunt & aliæ. Nobis, ubi ad singulas contractuum species erit deventum, peculiari methodo L. 2. T. 1. §. 413. indicanda, easdem proponere licebit, quod antequam fiat, ea quæ ad generalem amplius theoriam spectant, breviter erunt exponenda. *Transitus*

TITULUS III.

Qui & quibuscum paciſci poſſunt.

* *
*

Princeps de privatis ſuis bonis libere, de publicis in tantum valide paciſcitur, in quantum Regni formula ſinit. Regulariter fœdera & alienationes modicæ a Principis arbitrio, at illæ majoris momenti ab Ordinum & partis alienandæ conſenſu pendet. Invaſor & uſurpator pacto cum aliis inito populum haud obligat, ſed verſione in rem. Cum ſubditis quo minus Princeps paciſcatur, nexus ſubjectionis haud impedit. Cum infidelibus & hereticis pacta & fœdera etiam contra fideles ſunt valida. Hoſtem & latronem utut ſermone aſſerente, non tamen promittente fallere licet. Pro aliis vi mandati vel expreſſi vel taciti recte paciſcimur.

§. LXXVI.

Se obligare speciatimque pacisci possunt omnes, qui possunt consentire, consentire vero, qui possunt velle, velle denique, qui liberum habent arbitrium. Quo ipso apparet, magnum satis eorum esse numerum, quos inter pacta possunt iniri. Nostrum non est singulos persequi. Ad Principum saltem illustriumque personarum pacta labor est restringendus. Quare nec inhærendum esse putamus quæstioni, an Deus se obligare, aut cum Deo pactum iniri possit? Otiosa hodie hæc est quæstio, ex quo Deus visibiliter se hominibus manifestare cum iisque communicare cessat. Olim Deum cum Patriarchis pacta ac fœdera iniisse, iisdemque non modo Patriarchas sibi, sed & vicissim se ipsis valide se obligasse, divina oracula nos dubitare non sinunt. Imo hodienum ex fidei quadam πληροφορία credentes, utut non ex merito proprio, sed ex gratia debitam tamen vi factæ promissionis sibi salutem æternam a Deo recte postulant. *Quis se obliget?*

§. LXXVII.

Dubitandi quidem rationem præbet, tum quod Deo, tanquam enti perfectissimo ac immutabili, vix liberum arbitrium, adeoque nec obligatio tribui posse videatur, tum etiam, quod superiorem Deus non agnoscat, nec proinde ipsius agendi libertas a quoquam restringi, aut necessitas ipsi imponi possit, sine qua tamen nulla itidem obligatio potest concipi. At enim vero cum perfectione & immutabilitate divina neutiquam pugnat, sed optime penes eandem stat liberum arbitrium. Id quidem innuit perfectio, non posse Deum velle ea, quæ sanctitati ipsius sunt adversa, quod vero circa indifferentia h.e. talia, quæ salva sanctitate divina & adesse & abesse possunt, Deus liberum exerceat arbitrium, perfectionem potius quam defectum ullum indicat. Alterum vero quod obiicitur, Deum scil. superiorem non agnoscere, nec proinde necessitatem ipsi posse imponi, falsa nititur hypothesi, ac si omnis obligatio sive libertatis restrictio veniat a superiore, quam tamen erroneam esse tum Tit. I. §. 6. monuimus, tum in sequentibus ulterius demonstrabimus. *an Deus?*

§. LXXVIII.

an quis solus?

Nova scil. se offert controversia, num quis se solum citra pactum aut concurrens alterius factum obligare valeat? Resp. pacisci nemo solus potest, quia pactum consensum, hic autem mutuum quid involvit. Quod vero solus aliquis se obligare possit, asserendum existimo propter liberum, quo quilibet pollet arbitrium. Ea cuivis homini (nedum Deo omnipotenti) est facultas, ut ex rebus quibusvis indifferentibus * aliquid eligere, ad idem se determinare, & ita quidem determinare possit, ut recedere a proposito nolit, quæ determinatio, si adeo est enixa, ut alteri quoque ex eadem citra ipsius acceptationem jus quæsitum esse velim, adest certe libertatis meæ restrictio, adest imposita quædam necessitas, adeoque adsunt omnia obligationis validæ requisita, adeoque ipsa obligatio.

* Nam quod præceptas aut prohibitas divina lege ipsi jam dum imposita obligatio, ad quam servandam ex statu, quia est, creatura Dei, obligatur. Imo ipse Deus *ex obligatione quadam* erga se ipsum propriamque essentiam, justitiam, & sanctitatem respicere tenetur ad approbanda ea, quæ naturæ suæ conveniunt, ea vero rejicienda, quæ naturæ divinæ adversantur, verba sunt B. & orthodoxiæ laude inprimis conspicui Theologi Vitebergensis *Gottlieb Wernsdorff* de Absolutismo morali p. 18.

§. LXXIX.

Affirm.

Probe interim cavendum, ne ex quavis voluntate, utut sufficienter declarata, protinus necessitas aut obligatio quædam exsculpatur. Varios nimirum voluntas admittit gradus. *Primus* est electio seu determinatio, quando quis se ad rem aliquam determinat. Ad hanc, ut vitio careat, requiritur veritas cogitationis pro tempore præsenti, non autem ut in ea cogitatione perseveretur. Habet enim animus humanus non tantum naturalem potentiam mutandi consilium, sed & jus. Vid. *Grotius* L. 2. c. 11. §. 2. Neque aliter quoad ipsum Deum se res habet, unde ἀνθρωποπαθῶς de eo in sacris literis dicitur, quod mutaverit voluntatem, quod ipsum facti pœnituerit &c. Electioni *secundo* accedere potest declaratio perseverandi

randi in hac voluntate. Et hæc enixam ſaltem voluntatem non autem perſeverandi neceſſitatem involvit. E. c. legislator declarat, ſe legem non mutaturum, eo ipſo mutandi facultatem non abdicat, ſed ſaltem ſubditis enixam voluntatem indicat, quæ hunc habet effectum, ut ſi contraria lex producatur, ſubditi eidem fidem prius non habeant, quam a legislatore exquiſiverint, utrum re vera, & prioris declarationis memor, nihiloſecius voluntatem mutaverit, de quo ſi certo conſtat, priori utut enixæ voluntati per poſteriorem tanquam enixiorem derogatur. Exemplum habemus in Mandato Saxonico contra duella, ubi §. 60. Rex promittit, nulla permittere duella, quod tamen in duello Flemmingio-Putliziano factum meminimus. Conf. de delictis T. 13. §. 173. *Tertius* gradus eſt, ubi ad determinationem accedit ſignum volendi jus proprium alteri conferre, quæ perfecta eſt promiſſio neceſſitatem & obligationem inducens, tam diu durantem, donec alter juri exinde quæſito renuntiet. Vid. *Grotius* L. 2. Cap. XI. §. 4.

§. XXC.

Obſtare quidem videtur, quod tunc idem ſit obligatus & obligans, obligans autem obligatum poſſit liberare, adeoque fruſtra eſſet, ſibi obligari, quia liberare ſe ipſum poteſt arbitratu ſuo, & qui hoc poteſt, jam actu liber eſt, quæ eſt philoſophia *Hobbeſii* de Cive c. 6. §. 14. Quam circa tamen merito obſervamus, ſimpliciter & crude nimis accipiendum non eſſe, quod dicitur, *liberari poſſe obligatum ab obligante*. Hoc enim tum demum procedit, ubi ſoli obliganti ex obligatione jus eſt quæſitum. At fallit, quoties ex obligatione non tam obliganti, quam tertio cuidam jus eſt quæſitum, quod in noſtro caſu ſupponitur, dum requiritur accedens ad determinationem ſignum volendi jus proprium *alteri* conferre. Quæ cum ita ſint, obligationis relaxatio non ab ipſo promittente, ſed altero illo cui eſt jus quæſitum pendebit, adeoque promittens amplius non erit liber, ſed reſtricta ipſius libertas, quæ libertatis reſtrictio ipſa eſt obligatio. *Objectio removetur.*

§. XXCI.

Num vero talis obligatio, quam quis ſibi ſolo ſuo facto citra concurrens alterius factum impoſuit, perfecta ſit nec ne? ſublata æquivocatione, *An obligatio,*

quæ

quam quis sibi imposuit, sit perfecta? quæ in *perfectæ obligationis* voce residet facile cognoscitur. Si enim perfectam vocas obligationem, quæ jus exigendi alteri tribuit, nostram esse perfectam ex dictis apparet. Sin perfectam vocare mavis, quam exigendi alter vires & potentiam habet, prout ita illam usurpare videntur, qui Deum & Principem perfecte obligari negant, tunc sane obligatio, quam quis solo suo facto sibi imposuit, non semper perfecta erit. Eadem distinctione solvitur problema, an Deus perfecte obligetur? Jus exigendi a Deo promissa citra vitium homini vindicatur, quis vero in contraventionis casum (qui tamen dabilis non est, imo nec fingi citra impietatem potest) vires exigendi homini tribueret? De Principum debitis infra dicetur, quod subditi eadem exigendi quidem jus habeant, ab omni tamen vi sibi temperare debeant, cujus tamen rei ratio aliunde arcenda, nimirum a defectu jurisdictionis, quæ omnis in Principem translata censetur.

§. XXCII.

An Princeps se obligare potest? Propius ubi nunc ad Principum pacta accedimus, statim patet Principes & obligare se, & pacisci tam cum exteris quam propriis suis subditis posse. Sunt quidem Principes legibus superiores. Cave tamen inde inferas, ergo necessitas & obligatio nulla iis potest imponi. Non enim omnem obligationem ex lege esse Tit. 2. §. 6. evicimus. Et quamvis pacta servandi obligatio sit ex lege, non tamen omni, sed NB. sola civili lege soluti sunt summi imperantes, qualis non est illa de promissis servandis, quippe quæ in divina mutuæ conservationis ordinatione, in illo naturæ vinculo, quod Principis autoritatem superat, suum habet fundamentum. Potestas vero, qua Princeps in suos subditos pollet, eundem quidem a subditorem vi præstat immunem, ipsum vero jus & obligationem, qua mediante pacto se obstrinxit, tollere nequit.

§. XXCIII.

Affirm. Quid quod firmius arctiusque Princeps, quam alius quivis, ex contractu tenetur, nimirum tanquam mutuæ fidei vindex, in quo ceu fonte justitiæ constans debet esse voluntas. Sancta, canit *Guntherus* Ligurin. L. 3. v. 515. & plena suo stant Regia pondere verba. Nec minus graviter

viter *Thucydides* de bello Pelop. L. 4. ait fraus cum in omnibus fœda, tum vero in iis, qui majore dignitate sunt præditi, fœdior est, quam aperta violentia. Et si fides toto orbe exularet, Regi tamen servandam esse integram voce tanto Principe digna dixit, quicunque dixit, sive Carolus V. Imperator, ut perhibet *Sleidan.* L. 3. sive Franciscus Galliæ Rex, quod mavult *Lipsius* Monit. polit. L. 2. c. 13. §. 14. sive Johannes Valesius Francorum Rex, quod volunt alii.

§. XXCIV.

Ut vero penitius constet, in quantum Princeps valide paciscatur, pacta ipsius privata a publicis probe sunt distinguenda. Pacto privato disponit de rebus privato suo dominio subjectis. Cum enim quilibet rerum suarum sit moderator & arbiter, libera quoque ipsius de illis erit dispositio. Hinc regna & territoria patrimonialia, quæ pleno Regis dominio subsunt, sine ullius consensu valide alienantur, venduntur, donantur. Spectat huc quod de Salomone traditur 1. Reg. IX. v. 11. eum Regi Hieramo 20. oppida dedisse pro lignis. Erant hæc oppida bello quæsita, atque Regis propria & patrimonialia, nec ad Regnum Israeliticum spectabant. Similiter personæ illustres publico regimine destitutæ propter liberrimum rerum suarum arbitrium de iisdem in tantum pro lubitu disponunt, in quantum civilibus, quibus forte subsunt, legibus hæc earum facultas non restricta aut limitata deprehenditur. *tum pacta privata*

§. XXCV.

Publico Principis pacto aut alienatio quædam, aut conservatio Reipublicæ potissimum intenditur. Ad posteriora pertinent fœdera, quæ regulariter & nisi lege fundamentali Principis potestas restricta, Princeps ita inire valet, ut etiam post ipsius mortem aut abdicationem populum obligent, quia talia ineundi potestas tacite per collatam Reipublicæ administrationem Principi concessa intelligitur. Conf. *Grotius* L. 2. c. 14. §. 12. Quodsi tali fœdere Princeps aliquid promittit, quod manifeste publicam salutem aut leges fundamentales lædit, cum appareat, Princi- *tum publica*

pem tunc extra cancelllos commissæ sibi potestatis fuisse vagatum, illud omne nullum erit ac irritum.

§. XXCVI.

de bonis singulorum.

Alienationes, quæ publico populi nomine a Principe peraguntur, fiunt vel de bonis singulorum subditorum, vel de publicis totius populi vel regni. Privatorum bona nonnisi vi dominii eminentis, quod demum in casu necessitatis publicæ se exerit, a Principe alienantur, ita tamen ut dominis ex publico fiat retributio. De facto tamen si Princeps citra necessitatem bona subditorum alienat, actus quidem non est irritus, quia membra ejusdem civitatis Principis sui facta præstare tenentur, datur vero rerum alienatarum dominis regressus contra Principem alienantem, ubi quousque subditis progredi liceat ex Jurepublico tum universali, tum speciali cujusque populi repetendum. Vid. *Grotius* L. 3. c. 20. §. 7. sqq. Add. dicenda Lib. 2. Tit. 4.

§. XXCVII.

non autem de publicis Regni bonis.

Circa publica regni bona Principi eatenus competit paciscendi facultas, quatenus eadem ad publicam administrationem tanquam finem, ob quem summa potestas Principi confertur, est necessaria. Hinc non modo pacta, quæ ad conservationem bonorum publicorum tendunt, valida omnino sunt, sed & alienationes imo & donationes rerum modicarum a Principe factarum substinentur, quoniam sine eis administratio publica peragi commode nequit. Majoris autem vel integrantis partis alienatio Principi neutiquam est integra. Conservationis causa imperia sunt constituta. Sicut autem corpus, cui vel auricula amputatur, monstrosum efficitur, ita pariter alienatio cum Reipublicæ conservatione consistere nequit. Hinc lex dicitur esse generalis omnium regnorum cum ipsis nata, nihil rerum Imperii a Principe alienari, quod adeo verum, ut nec accedens Principis juramentum talem alienationem salvare queat, cujus rei memorabile exemplum extat cap. 33. X. de jurejur. ubi Hungariæ Rex alienationes in præjudicium regni factas non obstante juramento, si quod fecit de non revocandis, iisdem, revocare jubetur.

§. XXCVIII.

§. XXCVIII.

Cum 1318. Bohemiæ Rex Johannes inchoata cum Ludovico Bavaro Imperii permutatione Regnum Bohemiæ pro Palatinatu Rheni, quem Cæsar expulso Palatino occupaverat, commutare vellet, Bohemi graviter contradixerunt, adeo ut Rex suo proposito cedere coactus sit. *Goldast.* de Regn. Bohem. L. 3. c. 14. n. 5. *Bodinus* de Republ. L. 1. c. 9. p. 190. irritam pronuntiat cessionem Joannis Regis Francorum, qui pacis actione, quam cum Anglis inierat apud Caletes, omnia jura regni Francorum cum omnibus actionibus & exceptionibus, quæ ad se pertinebant, Anglorum Regi concesserat. Idem judicat de fœdere Tricassio, quo Carolus VI. Regni Francorum sceptra detulit ad Henricum V. Anglorum Regem sine populi consensu. Ubi num in hypothesi recte per omnia judicet Bodinus h. l. investigare nolumus. Addatur idem *Bodinus* L. 6. c. 2. p. 1001. ubi memorat, Alexandrum Poloniæ Regem 1503. sanctius legem renovari jussisse, ne prædia publica sine senatus populique consensione distraherentur. Trahit huc etiam Bodinus, utut præter rem, legem ultimam de Collatione fundorum fiscalium, qui & Madricense fœdus inter Carolum V. Imperatorem & Franciscum I. Gallorum Regem initum, ob id ruptum ait, quod contra jus omnium gentium contraque leges Imperii Gallici (Edictum de domanio factum a Carolo IX. 1506.) Carolus Burgundiæ ac Belgii dominatu Regem Franciscum sine senatus ac populi Gallici consensu cedere coëgisset. *Exempla.*

§. XXCIX.

Et quamvis negata hæc Principibus alienandi facultas summæ ipsorum, qua pollent, potestati, adversari ac derogare videatur, probe tamen tenendum, eorum potestatem summam saltem esse in administrando, non alienando, quæ tantum abest, ut minuatur per negatam alienandi facultatem, ut potius mediante eadem in suo conservetur splendore. Apposite hac de re nonnemo sequentem in modum judicat: quemadmodum candela vitreæ inclusa capsulæ æque ac si extra eandem posita lumen spargit suum, ac hoc modo conservatur, ne ventis hinc inde exposita extinguatur aut diffluat; ita Majestatis splendor circumstante at non *Quæ restrictio summæ potestati haud adversatur.*

obstante legis fabrica lucidius apparet, munitus tamen hac ipsa, ne favoniis adulationum ventis admissis prona licentia pereat, & summam denique patiatur ecclipsin. *Seisellii* hanc in rem effatum retuli in Jure Principum Reali L. 1. T. 4. §. 35.

§. XC.

Ut validum de iis sit pactum requiritur consensus eorum, quorum interest.

Quid igitur, numne sic omnia pacta circa publica bona inita erunt illicita ac irrita? Resp. Princeps quidem solus de publicis bonis pacisci nequit, quia eorum non est dominus, sed administrator. Quodsi vero omnes ii, quorum interest, ne talia bona alienentur, censentiant, nil vitii amplius ejusmodi pactum habebit. Quare ut tale pactum exitum sortiatur, requiritur primo consensus subditorum, sive qui eos repræsentant, Ordinum, quos inter si dissensus oritur, plurima vota concludent, quia maxima pars populi habet rationem integri. Porro si speciatim bona domanialia sint alienanda, ne subditorum quidem consensus sufficiet, sed præterea accedere debet consensus eorum, quorum sustentationi bona illa domanialia sunt destinata, utpote qui jus usuifructui simile in iisdem habent. Sic Principi heredi jus in bona domanialia per nativitatem quæsitum auferri ne unanimi quidem subditorum consensu potest, nondum autem existentium, sed diu satis post talem alienationem natorum nulla habetur ratio, quoniam jus ipsis nullum erat quæsitum. Denique requiritur ut ipsa pars alienanda in alienationem consentiat, quia conservationis causa in civitatis societatem concessit, quod factura haud fuisset, si alienationem præscivisset. *Grotius* L. 2. c. 6. §. 4. & L. 3. c. 20. §. 5. Interim cum necessitas legem non habeat, necessitatis casus omnino excipiendus, quippe quo etiam pars invita potest separari, ut totum civitatis corpus conservetur. * Quo tamen casu si pars illa viribus suis confidit, resistere potest, & peculiarem constituere civitatem. Sunt, qui præterea etiam causam alienationis requirunt, publicaque bona sine causa alienata revocanda censent, quorum tamen sententiam improbandam esse, recte monet *Grotius* L. 2. c. 14. §. 4. conf. tamen §. 12. Eo enim respiciendum, an Princeps alienandi facultatem habuerit, nec ne? qua posita, nihil amplius intererit, sive gratuito sive oneroso titulo fiat alienatio, cum sufficiat, alienari potuisse.

* Cum Carolus VI. Imperator in pace Gallica 1735. Sardiniæ Regi immediata Imperii feuda Italica, quæ *Langhæ* nuncupantur, ita in feudum concederet, ut eadem immediato Regis dominio ceu subfeudum subjicerentur, suscepto ab Imperatore onere, eorundem possessores & Vasallos, pro eo quod feuda hæc haud amplius Imperio immediate subsunt, indemnes præstandi: desuper valde conquesti sunt, dictamque indemnitatem postularunt Marchiones de Caretto, tanquam Vasalli & possessores immediatorum horum feudorum, quam tamen impetrare hactenus haud potuerunt.

§. XCI.

Sed fac, Principem neglectis requisitis ad alienationem necessariis e. c. sine Ordinum consensu propria autoritate bona publica alienasse. *alias revocatur.* Irrita sine dubio erit alienatio, & revocari ab iis poterit quorum interest e. c. a successore, item a Proceribus, & si domanium alienatum, etiam ab iis quorum sustentationi erat destinatum. Nec obstat, quod Proceres sint subditi, adeoque Principis sui facta præstare teneantur. Proceres enim sunt subditi, si considerantur ut singuli, collective autem sumti, & quatenus ipsis cura bonorum publicorum incumbit, pro subditis habendi non sunt, sed potius pro coimperantibus, quibus libera omnino est bonorum publicorum citra suum consensum alienatorum revocatio. Ubi vero quæritur, num actione reali contra possessores, an personali, contra alienantem instituenda, horum bonorum repetitio fieri debeat, prius quoque esse integrum, asserere non dubito, quia alienatio ipso jure est nulla, ac omni proinde destituitur effectu.

§. XCII.

Alia autem est quæstio, utrum talis alienatio adeo sit invalida, ut etiam Princeps alienans injuste alienata ipse revocare queat? *an ab ipso Principe alienante.* Affirmativam videtur probare cap. 33. X. de jurejur. & glossa ita pronuncians: Juramenta, quæ fiunt in damnum dignitatis, non juramenta sed perjuria censenda, unde qui præstitit sua autoritate potest venire contra ea & revocare. Add. L. 5. Dig. de decretis ab ord. faciend. Hæc tamen procedere saltem videntur in casu quo ex errore tale quid Princeps pro-

 misit

misit aut juravit, quodsi enim sciens, se talia alienare non posse, nihilosecius alienasset, ejusmodi certe dolus juvare eum non deberet ad circumveniendos incautos. Quare omnino putarem doli exceptione removeri posse Principem revocantem a se alienata, salvo interim successoris ceterorumque, quorum interest, revocandi jure. Dissentit, ipsique Principi alienanti jus revocandi tribuit. *Sam. Stryck.* de Principe evincente p. 63. sq. & *Jo. Sam. Stryck.* de derogatione futuræ dispositionis, p. 41.

§. XCIII.

Imperator in quantum alienet?

Ita se res regulariter habet circa alienationes summorum Imperantium. Posse tamen legibus, pactis & consuetudine multo hoc in passu mutari, res ipsa loquitur. In Imperio nostro Germanico Imperatori omni tempore licuisse ac hodienum licere, bona Imperii minora pro lubitu sine Ordinum consensu alienare, circa majora autem, quomodocunque olim * se res habuerit, inde tamen a temporibus Caroli V. in eorum alienatione Electorum, & inde a Caroli VI. omnium Imperii Statuum consensum collegialem intervenire debere, ostendimus in Reali Principum jure L. 3. Tit. 1. §. 364. Ubi autem de feudi vacantis vel vacaturi collatione agitur, si de Electoratu agitur, solorum Electorum, si de Principatu aut Comitatu, Electorum & Principum, si denique de civitate immediata, Electorum, Principum & civitatum consensus requiritur, per ea quæ diximus de Heredit. Tit. 14. §. 334. Regis Romani alienationes Imperatoris revocationi esse obnoxias, exemplo Caroli V. ex Symphor. *Gylmanni* Vot. 8. Tom. I. in causa Nordhausen contra Rothenburg docet *Lyncker*, de potestate Imperatoris alienandi bona Imperii p. 40.

* Feuda aperta Imperator olim non modo poterat, sed & debebat alii iterum concedere Schwäb. Land-R. c. 32. §. 3. Der König soll kein Fahnlehn in sein Gewalt haben Jahr und Tag, er soll es hinleyhen. Sächs. Land-R. L. 3. art. 60. Kein Fahnlehn mag der Kayser haben Jahr und Tag ledig. Hodie Imperii patrimonio sunt incorporanda. Capitul. Caroli VI. art. XI. n. 4. Cum Lotharingiæ Duci Abbatia Nivellensis absque Imperii Procerum consensu esset donata, Otto IV. Imperator

rator 1209. hanc donationem voluit eſſe nullam. Ipſas tabulas ex *Baronio* ſiſtit *Meibom.* in Apologia Ottonis IV. Tom. 3. Scriptor. Rer. Germ. Rudolphus I. Imperator in Comitiis Noricis 1287. revocavit factas a Richardo conceſſiones bonorum Imperialium. Diploma extat in *Martene* Theſauro anecdotorum T. 1. p. 1196. A quo tempore usque ad Maximilianum I. gravioribus ejusmodi negotiis majoris roboris ergo acceſſerunt tabulæ Electorum aſſenſum teſtantes, die Willbrieffe derer Churfürſten.

§. XCIV.

Circa fœdera laxior regulariter Principis eſt poteſtas, quam circa alienationes per dicta §. 85. Fœdera enim conſervationis cauſa ineuntur, cui contrariæ ſunt alienationes. Quare plerumque jus fœderum, ſicut pacis & belli ſummo imperanti competit. Nomine Imperii Germanici olim Imperatores pro lubitu fœdera ſanciebant. Maximilianus I. in pace publica 1495. promiſit quidem qro ſe & filio ſuo Philippo ohne Wiſſen und Willen der jährl. Verſammlung kein Bündniß oder Einigung mit fremden Nationen oder Gewalten zu machen, die dem Reich zu Schaden, Nachtheil oder zu wieder ſeyn möchten. Sed effectu dicta conſtitutio caruit ob ceſſantes annuos conventus, & Maximilianus I. 1508. fœderi Cameracenſi inconſultis Ordinibus nomen dedit. In Capitulatione Caroli V. Electorum, in Ferdinandi IV. & ſqq. omnium Statuum conſenſus requiritur, addita tamen limitatione, ut ſi res moram non pateretur, ſolus Electorum in conventu collegiali declaratus ſufficeret. Sic fœdus cum Sabaudo 1690. accedente Comitiali conſenſu a Leopoldo factum. Ratione vero ditionum hereditariarum, ſicut reliqui Imperii Principes ita multo magis Imperator, libere fœdera init, dummodo talia fœdera in Imperii perniciem non vergant. Tale fœdus Leopoldus 1683. cum Rege Poloniæ contra Turcas, qua Rex Hungariæ & Bohemiæ iniit. Plura exempla habet *Jo. Jacob Maſcov.* de jure fœderum in Imperio Lipſ. 1726. p. 27. *Fœdera ineat?*

§. XCV.

Principes ac reliqui Status Imperii ſuper allodiis valide paciſcuntur: Vid. Capitul. Leopold. art. 39. & Joseph. art. 38. verbis vom Lehnthum keine *Princi- pes Imp.*

keine dependenz habender (eos qui ideo bonorum allodialium alienationem illicitam existimant, quoniam sunt avita notabimus Tit. 13. §. 374. & de hered. §. 127. adeo ut etiam in exteros, qui hostes Imperii non sunt, citra Imperatoris consensum eadem recte transferant. Conf. de hereditat. T. XI. §. 270. De feudorum alienatione dicemus §. 114. sqq.

§. XCVI.

Ordinum consensus Num & in quantum Germaniæ Principum alienationibus Ordinum Provincialium assensus sit necessarius? generali regula definiri nequit, cum hoc in passu varient leges & consuetudines provinciarum. Præsumtionem pro Ordinibus Provincialibus militare, nec sine eorum consensu integras provincias posse alienari, aut subditos invitos alterius subjici imperio, existimat. *Jo. August Hellfeld* de restricta illustrium alienandi facultate p. 45. 46. ubi sequentia subjicit exempla.

§. XCVII.

an necessarius. Privilegium Ordinum & Ministerialium Styriæ de 1277. apud *Ludewig.* Reliq. MSCt. T. 3. p. 259. inter alia ita fert: nolentes ut iis ex causa rationabili renitentibus & invitis jugum novi domini, quod eorum statui non conveniat, imponatur.

Ferdinandus II. Imperator Alsatiam in Hispanos transferre recusabat, weil die Unterthanen dahin privilegiret, daß sie bey wehrender daraußigen Ertz-Hertzoglichen Linie auf keine Weiße und Wege können veralieniret werden *Khevenhiller* Annal. T. 10. p. 164. 478.

Cum Sveci ut ipsis cederetur Pomerania inter pacis Westphalicæ tractatus instarent, respondebant Brandenburgici: Pomeranos in commercio non esse, ut renitentes alienari queant, sui quondam juris populum, & Germaniæ obsequium sua sponte eaque lege indutum, ne invitus republica abstraheretur, cujus imperium non coactus subierit. *Pfanner* Hist. Pac. Westphal. L. 3. §. 17. *Puffendorg.* Rer. Brand. L. 2. §. 55. sqq.

Dum Ulricus Wurtenbergensis Dux post prœlium ad Muhlberg Carolo V. Cæsari 1547. reconciliatus præsidii jus Aspern, Kircheni, Schorndorfii

dorfii promitteret, inter alia cautum: intra sextam hebdomadam filius ejus Christophorus & *populus* ista firment, & habeant rata *Sleidan.* L. 18. p. 563.

Waldecciæ Comites Comitatum suum Hassiæ Landgravio 1438. in feudum oblaturi prius cum subditis egerunt: Waldeckische Ehren-Rettung L. 1. c. 2. ibi: Daher die Herrn Grafen zu Waldeck auf sich genommen, ihre Unterthanen zu behandeln, zu bitten und zu heissen, daß dieselbe solches placidiren und zum Zeugniß ihrer Beliebung dem Herrn Landgrafen huldigen und gehorsam seyn solten zu solcher Lehnschafft.

Cum 1660. Joannes Georgius II. Elector Saxoniæ nobilitatem Schriftsassicam in Præfecturis Weissenfels & Freiberg ignorantem & invitam cessisset fratri Augusto: non tantum ipsi denegarunt ut plurimum investituræ receptionem, verum & reliqui status Provinciales in proximis Comitiis Provincialibus 1661. d. 16. Dec. per literas graviter ea de re questi, cessionis cassationem urserunt. Quo factum, ut 1681. d. 18. Maj. filius Adolphus huic juri & cessioni renuntiaret. *Lunig* Reichs-Archiv Part. spec. Cont. 2.

§. XCVIII.

Addatur *Lynckerus* de his quæ Statuum Imperii libertati perperam accensentur §. 17. ubi sequentem in modum disserit: Quoniam cives non herili sed civili Imperio tenentur, quod ad ipsorum utilitatem comparatum est. Hinc invitam civitatem provincialem alienari non posse docet *Heigius* I. qu. 19. it. *Klock.* Cons. 13. n. 55. *Mev.* Consil. 91. n. 20. ibi: Der Unterthanen Freyheit in Teutschland sey, wenn sie nicht Leibeigen, daß man sie nicht veralieniren könne, sondern sie bey ihren alten Zustand sich durch rechtliche Mittel erhalten möchten. Et *Brunneman* Cons. 1. n. 205. Præfecturam ejusque subditos in ministrum quendam suum ne quidem posse alienare Principem, licet retenta superioritate, si isti subesse Principi malint: adeo ut ne quidem consensisse in alienationem censeri possint, quamvis superstite donante reditus donatario præstitissent n. 217. sqq. Non etiam posse Principem subditos suos immediatos subdere senatui civitatis suæ, ut ex hoc mediati fiant: neque enim in commercio esse, sed in imperio, indeque ob magnam hujus necessitatem alienari posse: sed non ex placito domini, ut potenti minus subjiciantur viliori, imo pluribus ca-

partis alienandæ

pitibus cum majoribus & pluribus oneribus. Ita Mevius dicto consilio ubi quod posteri etiam civitatis alienatæ, si vel maxime hæc aliquando annuisset, restitutionem in integrum petere possint, si appareat conditionem eorum deteriorem factam, quoniam status jurisdictionis etiam pro posteris introductus. Quod tamen difficulter procedere recte monet Lynckerus.

§. XCIX.

Pontificis? Idem *Lynckerus* l. c. §. 18. disquirit: num ad alienationem ab Imperii Episcopo factam Pontificis Romani consensus sit necessarius? & cum *Klock.* Consf. XI. n. 138. censet, posse res quoque Ecclesiæ inconsulto Papa alienari ab Episcopo, etiam eo, qui non alienare citra Papæ consensum juraverat, provocans ad præjudicium de Comitatu Lossensi ad Episcopum Leodiensem spectante apud *Gylman.* Tom. 4. Symphor. Cam. Vol. 3.

§. C.

In Civitatibus Imperialibus res minoris momenti a solo Senatu recte alienantur & oppignorantur, quia alias administratio publica geri commode nequit. At in rebus majoris momenti, tum civium quive eos repræsentant, tum Imperatoris consensus necessarius videtur.

§. CI.

fœdera pangant? Fœdera defensiva pangere propter naturalem defensionem cuivis, multoque magis Imperii Statibus omni tempore fuit integrum. Pium est *Sleidani* votum, dum, fœdus, inquit, per omnem Germaniam, & quam late Imperium patet, unicum esse debebat totius Reipublicæ spectans incolumitatem. Nunc vero plurima sunt seperatim & inter singulos, quod est maximum procul dubio & alienationis animorum & diffidentiæ & futuræ dissipationis argumentum. Sed reponi potest, quod graviter dicitur apud *Furstenerium* de supremati c. 22. p. 103. quoniam vinculum Reipublicæ nostræ nimis laxum est, ut Imperii tutelæ firma satis fiducia inniti non possimus, instar secundæ navigationis est exterorum ope securitati prospicere. Exempla fœderum a Statibus cum exteris initorum satis multa vid. ap. *Furstener.* l. c. ubi inter alia *Bodini* locum excitat, qui 47. fœderum meminit

minit in quæ Galliæ Reges Philippus V. Carolus V. VI. VII. Ludovicus XI. cum Germanis Principibus coierunt, quibus se auxilio futuros adversus omnes excepto Imperatore spoponderunt. Add. cap. 61. *Furstenerii*

§. CII.

Obstare quidem huic fœderum juri Statibus competenti videtur Aurea Bulla c. 15. reprobans *confœderationes & pacta.* Sed ex contextu patet, sermonem ibi saltem esse de privatorum ac subditorum contra dominos suos conspirationibus, in immediate autem subsequentibus NB. hæc subjiciuntur: illis confœderationibus & ligis duntaxat exceptis, quæ Principes & Civitates ac alii super generali pace provinciarum ac terrarum inter se firmasse noscuntur, illas enim nostræ declarationi specialiter reservantes in suo decernimus vigore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum. Tantum autem abest, ut aliud postea ordinatum sit, ut potius de novo hoc jus confirmetur Pace Westphal. art. 8. §. 2. ibi: inprimis vero jus faciendi inter se & cum exteris fœdera pro sua cujusque conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuo liberum esto, ita tamen ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem & Imperium. Add. Capitul. Caroli VI. art. 6. num. 3. *defensiva*

§. CIII.

Offensiva autem fœdera pangere Statibus Imperii integrum haud est, quoniam alias unicus Status totum Imperium bello implicare posset, hæc autem res nonnisi Comitiali Ordinum consensu decernenda. Jam anno 1430. Fridericus Austriacus cum Carolo VII. Rege Galliæ adversus Henricum Angliæ Regem & Philippum Burgundiæ Ducem, ac superiori Seculo Archi-Episcopus Coloniensis, & Episcopus Monasteriensis cum Rege Galliæ adversus Belgas fœdus offensivum inierant. Sed graviter his conatibus reliquos Status se opposuisse apparet ex *Puffendorf.* de Reb. Brandeb. Conf. *Jacob Brunnemann.* de fœderib. Statuum Jmp. cum exteris, qui jus fœderum offensivorum Statibus recte denegat, quod tamen iis vindicant *Henninges* Meditat. ad Instr. Pac. art. 8. §. 2. p. 897. & *Furstener* de supremat. c. 21. p. 97. Suum vero judicium suspendit *Mascov* de jure fœderum in Imperio. *offensiva*

§. CIV.

Universitates &

Personas mysticas, collegia, universitates imo integras Respublicas valide se obligare & pacisci dubio caret: At circa modum, quo voluntatem suam declarant, non omnis cessat difficultas, quæ tamen optime expeditur distinguendo inter id, quod omnes ut universos & in corpore consideratos, & inter id, quod omnes, ut singulos concernit. Priori casu major pars habet rationem integri, & quod major pars fecit pro eo habetur, ac si omnes egerint L. 19. Dig. ad Municipal. L. 160. de R. J. Posteriori casu major pars reliquis haud præjudicat, sed singulorum consensus requiritur. Quod enim omnes tangit, ab omnibus quoque consensu approbandum cap. 29. de R. J. in 6to L. 11. Dig. de servit. præd. rust. L. ult. C. de autor. præstand. Sic de jure pascendi, quod universitati competit, major hujus pars statuere nequit, sed unanimis singulorum requiritur consensus. Tributorum & collectarum materia num ad omnes ut universos an ut singulos pertineat dixi de dote Tit. 3. §. 564. Civile vero est, quod in universitatibus & capitulis ad votorum pluralitatem requiritur, ut ad minimum duæ tertiæ partes consentiant L. 3. Dig. quod cujusc. univ. nomine.

§. CV.

Infantes & minorennes an paciscantur?

Generatim vidimus, in quantum Princeps pacisci possit. Speciales nunc subjiciendi sunt casus, quibus impedimentum quoddam vel re vera adest, vel adesse saltem videtur, quare Princeps pacisci nequeat. Impedimentum autem vel in ipso Principe paciscente, vel in eo quocum paciscitur residet vid. §. 120. In ipso Principe paciscente nunc deficiens aut impeditus rationis usus, nunc deficiens in rem promissam facultas tale impedimentum producit. Qui rationis usu destituitur nec velle nec consentire, adeoque nec pacisci potest. Hinc minorennes, dementes, furiosi, ebrii ad paciscendum sunt inhabiles. Quare pro nullis reputandæ sunt e. c. donationes, quibus Henricus IV. Imp. in pueritia urbem nonnunquam pro a e dedisse perhibetur. Imo nec accedens juramentum pacta minorennium valida reddit. Quomodo enim jurare valebit, qui nec vim juramenti ob deficiens judicium intelligit. Quod vero leges civiles speciatimque Authentica Sacramenta puberum C. si adv. vendit. jurata minorennium pacta sustinent,

nent, fundamentum habet in eo, quod lex civilis terminum majorennitatis in ſeriores annos protendit, ac eos quoque minorennibus accenſet, qui licet rationis uſu non deſtituantur, annos tamen lege præfinitos nondum attigerunt; cum exadverſo naturaliter majorennis dicatur quilibet, qui ſigna perfecti judicii edit. Interim cum aliquando in tenellis quoque infantibus, aliisque qui judicandi facultate nondum pollent, conſenſu opus ſit, cum verum edere nequeant, ad præſumtum recurrendum, infantesque idem, quod parentes vel tutores ſui velle ſunt præſumendi: Unde improbanda cavillatio Ottomanni Imperatoris Turcici, qui Burſia Bythiniæ urbe 1326. expugnata, liberoque incolis diſcedere volentibus abitu conceſſo, infantes retinebat ſub prætextu, quod ob teneram ætatem declarare non poſſent, velintne remanere an diſcedere. Quodſi vero Princeps majorennis factus ſe ex facto tutoris læſum deprehendit, num & in quantum in integrum reſtituatur fuſe diſſeruimus de Tutela Tit. 10.

§. CVI.

De ſenum paciſcendi facultate per leges civiles paſſim reſtricta non eſt ut hic loci agamus. Vide dicta L. 2. T. 5. §. 479. & de tutela §. 580. *an Senes?*

§. CVII.

Principum pro prodigis declaratorum rara ſunt exempla. Nonnulla attigimus de Tutela §. 578. Interim cum prodigus intuitu adminiſtrationis furioſo comparetur L. 1. Dig. de Curator. furioſ. & in eum præciſe finem, ne bona ſua diſſipet, ipſorum adminiſtratione ſit interdictus, ſponte patet, eum absque Curatore de bonis valide non paciſci, adeo ut nec accedens juramentum quicquam operetur, licet contrarium, quodque juramento interveniente prodigi pacta & contractus ſuſtineantur, aſſerat *Setſerus* de juram. L. 1. c. 5. n. 3. aliique multi ibidem citati, ſed recte omnino notati a *Jacob. Frid. Ludovici* in diſſ. de Brocardico: omne juramentum eſſe ſervandum quod ſalva ſalute æterna ſervari poteſt Hal. 1705. p. 25. *an prodigi?*

§. CVIII.

an fœminæ? Fœminas naturaliter valide pacisci, ac licet leges civiles in certis actibus curatorem adhibendi necessitatem fœminis imponant, eandem tamen ad Principissas regentes, publicumque earum regimen non pertinere, sed ad sola privata ipsarum negotia monui de tutela Tit. 15.

§. CIX.

Princeps captivus vel exul Principem captivum de privato suo patrimonio pro lubitu, neutiquam autem de publicis bonis disponere, evici de tutela T. 14. §. 590. Rex exul pacisci poterit si constet, eum non obnoxium vivere, ceteroquin parum a captivo sors ejus distabit, nam sunt & laxæ custodiæ, verba sunt Grotii L. 3. c. 20. §. 3. Justam vero ob causam depositus, & sic exul factus, populum certe non obligat.

§. CX.

Episcopi Clerici de rebus plene ad se spectantibus valide disponunt & paciscuntur. At de Episcopis, eorumque circa potestatem suam Ecclesiasticam & res Ecclesiæ paciscendi facultate gravis est disceptatio, quæ ad duo capita commode revocatur, tum quæ ipsis ante collatum munus, tum quæ in ipsa muneris administratione paciscendi facultas competat? Ante collatum munus solent Capitulares Episcopis recens electis Capitulationes præscribere, quas quidem Episcopi, ne Episcopatu excidant, acceptare ac jurejurando confirmare solent, postea tamen facti pœnitentes interpositi juramenti relaxationem a Pontifice Romano nonnunquam petierunt, nec iisdem amplius teneri voluerunt, ipsique Pontifices ejusmodi Capitulationes variis impugnarunt constitutionibus, quas inter eminent Alexandri III. Innocentii III. relata in cap. 27. X. de jurejur. Nicolai III. in cap. 1. de jurejur. in 6. Piorum II. & V. Gregorii XIII. Clementis VIII. Urbani VIII. Alexandri VII. Inprimis autem hæc controversia exarsit, cum Joannes Gothofredus de Guttenberg Episcopus Herbipolensis a Pontifice Romano relaxationem peteret juramenti, quo Capitulationem suam confirmarat. Innocentius XII. Papa causam tribus Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus discutiendam deferebat, qui 1692. secreto decreverunt:

runt: Quascunque Capitulationes hucusque ſede vacante ante vel poſt electiones factas & juramento a neo-electo firmatas eſſe irritandas. Ne autem arduum negotium trium virorum judicio ſtaret, Pontifex tres alios addidit, qui 29. Mart. 1694. iterum decreverunt, omnes Capitulationes, conventiones, concordata & juramenta ſuper iisdem interpoſita eſſe caſſanda. Quod quidem decretum per Nuntium Pontificis Imperatori Leopoldo exhibitum, Auguſtus ſingulari decreto de 9. Februar. 1695. ſalvis juribus & Concordatis Germaniæ ratum habuit, eodemque anno d. 22. Sept. Innocentius XII. neglectis Capitulorum Germanicorum monitis factas ſuper hac materia prædeceſſorum Nicolai III. Pii V. & Gregorii XIII. Conſtitutiones Bulla Papali renovavit ac roboravit. Vid. *Buderus* de juramentis Principum Eccleſiaſticorum §. 5. ſqq.

§. CXI.

Æqua mentis lance ſepoſitisque partium ſtudiis ſi rem conſideremus, nec omnes Epiſcoporum Capitulationes illicitæ, nec tamen omnes univerſim licitæ videbuntur, pro diverſitate ſcil. promiſſorum, quæ iisdem continentur. Illas ſane, quæ Epiſcoporum illecebris ac profuſionibus modum ponunt, & bona Eccleſiaſtica conſervare jubent, non eſſe illicitas, tum ipſa earum utilitas, tum Eccleſiarum Germanicarum inprimis libertas, uſus antiquus & conſuetudo immemorialis evincunt, dum ultra ſex ſeptemve Secula in eruendis harum Capitulationum veſtigiis aſcendere liceat, ſicut & Gallicum Seculi XI. exemplum occurrit in Can. 2. cauſ. 8. qu. 3. Hactenus igitur Capitulorum partes merito ſunt tuendæ. At Capitulationes, quibus via debitæ correctionis Epiſcopis præcluditur, & Prælati a promovenda Eccleſiarum ſuarum diſciplina & utilitate impediuntur, Epiſcopatus bona Regalia, reditus & jura minuuntur, quæve alias eligentium lucrum burſale proprieque commoda reſpiciunt, illæ inquam Capitulationes, tanquam legibus Eccleſiaſticis & obligationi fortiori, qua tum Pontifici, tum Imperatori dominisque territorialibus Epiſcopi pariter ac Capitula obſtringuntur, contrariæ merito improbantur, ac juramenta deſuper interpoſita ipſo jure ſunt nulla. *ante aditam administrationem*

§. CXII.

§. CXII.

in muneris administratione In muneris administratione, quæ officii intuitu Episcopi acquisiverunt, Ecclesiæ relinquere tenentur. Vide dicta de Hereditat. T. 20. §. 465. Multoque magis Clerici publico regimine gaudentes a publicorum bonorum alienatione temperare sibi debent.* Quamvis enim administrationis intuitu publicoque dignitatis nomine (quorsum & pallii redemtio refertur) debita ita contrahere valeant, ut successores quoque ad eadem solvenda teneantur cap. I. X. de solutionibus, ** quoties tamen de alienatione bonorum Ecclesiæ agitur, requiritur ut major capituli pars in eam consentiat cap. 1. X. de his quæ fiunt a Prælato sine consensu Capituli. Conf. Tit. 4. §. 168. Nec obstat Concilium Agathense, cujus verba ita sonant can. 53. caus. 12. quæst. 2. terrulas aut vineolas exiguas & ecclesiæ minus utiles aut longe positas & parvas Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem. Ibi enim per *consilium fratrum* non consensum Capitularium, sed aliorum Episcoporum, quorum consensus eo tempore erat necessarius juxta can. 7. ejusd. Concilii item Concilium Carthaginense & Toletanum intelligi ostendit *Duarenus* de Sacris Ecclesiæ Ministeriis Lib. 7. c. 9. p. 378. Pontifex Romanus factas ab Episcopis alienationes aliter validas non agnoscit, quam si suum iis impertiverit consensum, quo spectat formula juramenti, quod recens electi Episcopi consecratori præstare adiguntur hunc in modum: possessiones ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignerabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli Ecclesiæ meæ inconsulto Romano Pontifice &c. Integram formulam exhibet *Buderus* de juramentis Principum Ecclesiasticorum p. 25. At summum imperantem invito Episcopo & Capitulo bona Ecclesiæ alienare posse, summæ potestatis indoles dictitat. Conf. Nov. 7. & 120. Quam vero Pontifici Romano tribuunt facultatem alienandi bona Ecclesiæ, sub prætextu quod sint dominium Christi, Pontifex vero Vicarius Dei in terris vid. *Tolosan.* de Republ. L. 7. c. 20. §. 55. id omne debili admodum nititur fundamento. Contrarium ipse fatetur Symmachus Papa caus. 12. quæst. 2. can. 20. qui ita habet: non liceat Papæ prædium ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliqua necessitate.

* Qui vero de re infeudari solita, eadem reversa, novam investituram concedit, nil alienare, sed publicæ administrationis actum peragere videtur. Conf. 1. feud. 3. Capitula sede vacante majorem quam ipsi Episcopi sibi arrogare potestatem nequeunt, nec proinde de novo infeudare, sed expectare tenentur, donec novus adsit Episcopus.

** Imo addunt Doctores, in dubio præsumendam esse debitorum in rem Ecclesiæ factam versionem ceu ex *Carpzov.* Part. 2. Const. 20. def. 21. docet. *Bodin.* de Contract. Summar. potest. c. 3. §. 18. p. 56. quod tamen simpliciter non admittendum. Conf. Tit. 2. §. 48. & de Hereditat. T. 41. §. 848.

§. CXIII.

Monachis qualis & quanta de rebus suis disponendi facultas competat, dicetur L. 2. T. 1. §. 421. *Monachi*

§. CXIV.

Vasallus de feudo disponere aut pacisci nequit, duplicem quidem ob rationem *primo* ob servitia feudalia domino præstanda, cui invito alius Vasallus obtrudendus non est, sicut & vice versa Vasallo invito dominus alius obtrudi nequit. * *Secundo* ob restrictum, quod in feudo habet, dominium, quippe quod post mortem Vasalli ad agnatos vel simultanee investitos, & his quoque deficientibus, ad dominum pervenire debet. Conf. 2. feud. 52. & 55. ubi Fridericus & Lotharius Imperatores restrinxere licentiam feuda alienandi, quæ olim liberior fuisse colligitur ex 2. feud. 9. Subinfeudatio tamen hodienum est licita. Per eam enim domino directo nullum creatur præjudicium, nec novus ipsi obtruditur Vasallus, ac feudo per extinctam Vasalli subinfeudantis stirpem ad dominum reverso, atque extincto jure subinfeudantis, etiam jus subinfeudati extinguitur. Conf. *Itter.* de feud. Imp. c. 22. §. 5. & 6. ubi haud abs re monet, inter solos Imperii cives tales subalternas infeudationes procedere, neque hac via ad extraneos feuda posse devolvi. *Vasalli alienare feudum nequeunt*

* Conf. 2. feud. 34. & Jus feud. Alem. c. 76. Idemque hodienum constanti usu servari testantur tabulæ Cæsareæ datæ 1707.

Joanni Casimiro super Comitatu Wartenbergico ibi: das es im H. R. R. wohlhergebrachten Rechtens und Gewohnheit sein Eigenthum ohne Verwilligung des Lehn-Manns in andre Personen mindern Standes nicht zu verändern. Cumque Comes de Flemming sibi aliquando Comitatum immediatum comparare vellet, ipsi a statibus provincialibus clypei exceptionem oppositam memorat *Euchar. Gottl. Kinck* de Clypeorum ratione habenda in alienandis feudis Altorf. 1732.

§. CXV.

Sine consensu

At de ipso feudo ut exitum capiat Vasalli dispositio, necesse est ut accedat in feudo novo consensus (sola scientia non sufficit arg. L. 4. C. de remiss. pignor) domini, in antiquo praeterea agnatorum & simultanee investitorum. * Quodsi vero Vasallus neglectis his requisitis de feudo disponat, tenetur quidem ei, quocum contraxit ad interesse, ** in tantum autem pactio est irrita, ut feudum licet jam sit traditum, revocari a domino & agnatis *** possit, & Vasallus eodem ob feloniam commissam privetur 2. feud. 55. quae tamen privationis poena ut locum inveniat, Doctores requirunt, ut consummatum facta feudi traditione sit delictum. An vero sufficiat traditio ficta e. c. per constitutum possessorium, non consentiunt. Ait *Ludwell* & *Vultejus* citati apud *Stryck* de Principe evincente p. 71. Negat *Struv.* & *Horn.* Jurispr. feud. c. 23. §. 11. ubi & videas quid juris sit, si post factam traditionem Vasallus alienans recuperet feudi possessionem. Si statim fit recuperatio, Jure feudali Saxonico c. 16. & 69. cessat poena, quae jure feudali Longobardico obtinere videtur, sive statim sive ex intervallo recuperetur possessio.

* Expectativarii consensus necessarius non est. Vid. de Heredit. T. XI. §. 274. nec subditorum. Ibid. T. XI. §. 273. nisi pacto peculiari desuper sibi prospexerint, prout in Ducatu Pomeranico Ordinum consensus ad domaniorum alienationem vi pactorum specialium requiritur. Domini & agnatorum consensus ne quidem in feudo franco alienando negligendus. Ibi enim servitia saltem remissa, salva reliqua feudi natura. In feudo autem

tem mere hereditario peculiare est, quod a Vasallo pro lubitu alienetur.

** Adeo ut si forte feudum tanquam allodium eidem ignoranti vendidit, ad pretium & id quod interest teneatur, etiamsi evictio expresse fuerit remissa, sin scienti, pretium fisco cedit 2. feud. 55.

*** Vid. tamen *Engelbrecht.* de Servitut. Jur. publ. p. 430. ubi feudo antiquo cum domini sine agnatorum consensu alienato, illud ab agnatis demum mortuo Vasallo alienante peti posse docetur.

§. CXVI.

Principum Imperii Germanici liberiorem esse de feudis disponendi facultatem & licet regulariter eadem integra alienare nequeant, partes tamen minores ab iis alienari posse dictum de Heredit. §. 480. & in Reali Principum Jure L. 3. T. 1. §. 367. Interim cum in pacificatione Noviomagensi Sveciæ Rex Domui Brunsvico-Luneburgensi cederet das Amt Tedinghausen, cavebatur in denen Nebenarticuln, effecturum Regem daß die in Krafft gegenwärtigen Tractats abgetrettene Lande von dem Kayser und dem Reich als eigenthümlich oder zum wenigsten in der Qualitæt eines feudi promiscui, und wie die Cron Schweden selbige in Besitz gehabt überlassen werden möchten. Conf. *Lyncker* de his quæ Statuum Imperii libertati perperam accensentur §. 16. Si forte Princeps Imperii de facto integrum feudum alienet, privationis tamen pœnam locum non invenire, Doctores volunt. Nec dubitandum quin Imperii Principes, sicut mortis causa inter liberos de feudis pro lubitu disponunt, ita idem ipsis inter vivos liceat, modo introducta primogenituræ aut similia jura non sint impedimento. Alias autem & si in extraneum Princeps Imperii feudum suum transferre cuperet, & Imperatoris & agnatorum, imo & Ordinum Imperii consensus necessarius videtur arg. Capitul. Caroli VI. art. 10. n. 1. Conf. dicta §. 93. & de Hereditat. §. 271. sqq. ubi simul ostensum, subditorum consensum regulariter non requiri. Imperatoris consensus erit necessarius, ne ipsi invito Vasallus obtrudatur. Ex privilegio tamen nonnullis personis vel familiis competit jus feuda Imperii citra Imperatoris consensum acquirendi & alienandi.

ne quidem Principes Imp.

§. CXVII.

Exc. Elect. Brandeb. Aurea Bulla Tit. X. §. 2. universis Electoribus tam Ecclesiasticis quam Secularibus, eorumque successoribus privilegium concedit, ut possint a quibuscunque Principibus Magnatibus, Comitibus, & personis aliis quascunque terras, castra, possessiones, prædia seu bona emere, comparare, sive in donum vel donationem ex quacunque causa aut in obligationem recipere sub conditione consueta, ut scil. propria recipiantur ut propria, libera ut libera, feudalia ut feudalia. Speciatim Electoribus Brandeburgicis omnibusque hujus prosapiæ Marchionibus Fridericus III. Imperator anno 1476. privilegium concessit, ut de singulis ditionibus suis feudalibus pro lubitu possint disponere * Vid. *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 17. §. 33. Nihilosecius majoris securitatis & solennitatis ergo Electores Brandeburgicos Cæsaris & agnatorum consensum requisivisse, ex *Schoppio* & *Ittero* de feudis c. 23. §. 9. observat *Engelbrecht* de Servitut. Jur. publ. p. 248.

* Atque hoc privilegio se tuebatur Borussorum Rex contra Marchionem Byruthinum. Scil. anno 1703. Fridericus I. Borussiæ Rex pactum iniverat cum Christiano Henrico Marchione Culmbacensi, vi cujus dictus Marchio pro se & descendentibus cessit jus succedendi, quod habebat in terras Byruthinas, & pro hac sua prætensione præter certam pecuniæ summam accepit Præfecturam Weberlingensem in Ducatu Magdeburgico sitam. Hoc pactum liberi Marchionis servare nolebant, & major ipsorum Georgius Fridericus simulac majorennis erat factus, contulit se ad Imperatorem, atque ipsius protectionem in casum successionis existentis imploravit. Borussorum Rex in Deductione, quam edi curavit, inter alia urgebat privilegium alienandi Marchionibus Brandeburgicis competens. Anno tamen 1722. transactione, ab Imperatore 1723. confirmata, res ita composita, ut pro certa pecuniæ summa Rex suo jure cederet, & mortuo Georgio Wilhelmo Marchione Byruthensi sine liberis dictus Georgius Fridericus ipsius successor extitit.

§. CXVIII.

§. CXVIII.

Austria pariter gaudet privilegio, vi cujus terræ Imperii feudales libere *Archi Duc. Austr.* in Archi-Duces Austriæ alienantur, qui & nullis heredibus extantibus libere de suis disponunt. Vide privilegium Caroli V. apud Limnæum Jure publico Lib. 5 c. 2. p. 58. ibi. Der Hertzog von Oesterreich hat freye Macht sein Land zu vergeben und zu verschaffen, wem er will, so er, das GOtt verhüte ohne Erbkinder abgienge, und soll daran durch das Reich nicht verhindert werden. So jemand in was Würden er wäre etwas seiner Landen oder wie das genant möchte werden, so er vom Reich oder von geistl. Fürsten Lehns oder andrer Gab weise innen hat, einem Hertzog von Oesterreich und Steyr verschafft, geben, verpfänden würd, daß dieselben Gaben, Kauff und Versatzung weder Kayser noch jemand verhindern mögen. Feuda illustrium & nobilium Austriæ Subditorum Herrn und Ritter-Stands unter und ob der Ens vi decreti Cæsarei de 12. May 1640. libere alienari possunt, solo casu excepto ubi alienans successores feudales haud habet. Wenn der letzte seines Namens und Stammes gantz keine Lehnsfolger hatte, und das Lehn auf den Fall stehet. In casu oppignorationis autem creditoribus ante omnia ex allodio satisfaciendum, quod ubi haud sufficit, in subsidium demum usque ad dimidium feudi pretium executio peragitur, ita ut reliqua dimidia pars libera maneat domino directo in casum consolidationis. Imo vi decreti ulterioris de 1. Sept. 1659. hæc quoque dimidia pars creditoribus cedit dummodo creditor qui feudum tale in solutum accipit, illud sub qualitate feudali iterum recognoscat.

§. CXIX.

Porro privilegio feuda alienandi fruuntur Duces Lotharingiæ vid. *alii.* *Limn.* Tom. I. c. 2. n. 3. Mantuæ vid. *Schopius* Thesaur. feudal. c. 1. Sect. 3. p. 88. De libera Dynastiam Mindelheimensem alienandi facultate dixi de Hereditat. T. 21. §. 489. Fridericus II. Imperator 1221. Ordini Teutonico privilegium indulsit, ut omnes Imperii Vasalli feuda sua, quæ ab Imperio teneant libere & licenter (h. e. ut *Schopius* Thesaur. feud. c. 1. Sect. 3. p. 89. explicat absque Cæsaris consensu) non modo tanquam feuda utque servitia eo nomine Imperio præstanda salva ma-

neant, sed & tanquam propria (h. e. ut *Itter.* de feud. Imp. c. 23. §. 11. explicat) tanquam bona allodii & patrimonii jure æstimanda in hunc ordinem conferre queant. Tabulas privilegii exhibet. *Goldast.* Reichshandlungen p. 167.

§. CXX.

Cum invasore ac usurpatore pacta invalida

Ex parte ejus, quocum (vid. §. 105.) Princeps paciscitur varia itidem oriri possunt impedimenta, quare perfici illa pacta nequeant, quoties scil. ille ad paciscendum est inhabilis. Hinc ex pactis & contractibus invasorum aut usurpatorum, qui sine jure imperium invaserunt, nec populus nec verus Rex tenetur. Nam hi jus obligandi populum non habuerunt, de in rem verso tamen tenebuntur i. e. quatenus locupletiores sunt facti. Vid. *Grotius* L. 2. c. 14. §. 14. & c. 16. §. 18. Add. dicenda §. 322. 324. 405. Exempla complura negotiorum a tyrannis ac usurpatoribus gestorum, at postea a populo rescissorum vide apud *Coccejum* de regimine usurpatoris. §. 59.*

* Acta Neronis rescissa legimus apud *Sveton.* in Galb. c. 15. *Tacit.* Annal. L. 3. Syllæ acta revocata sunt a Lepido *Flor.* L. 3. c. 23. Cromwelli & Pseudo-Senatus Acta flammis devoverunt populi Magnæ Brittanniæ *Bateus* Mot. Ang. p. 3. pag. 95. Sicyonii a Nicocle Tyranno expulsi, & ab Arato restituti, bona sua vindicarunt a possessoribus. Plutarch. in Arat. c. 11. Post Hyeronimi Siciliæ tiyranni cædem omnia Edicta rescissa sunt non tantum iniqua, sed etiam utiliter constituta, ne ulla usquam extarent vestigia tyrannorum. *Bodin.* de Republ. L. 2. c. 5. p. 280. Ita Acta Caroli VIII. a Ferdinando I. omnia rescissa sunt. *Matth. de Afflict.* Decis. Neapol. 55. it. Wenceslai a Statibus irrita pronuntiata. Alfonsus II. Legionis Rex Antecessoris Maugareti pactum de tributo centum Virginum Mauris solvendo sustulit. *Marian.* L. 7. c. 7. & 23.

§. CXXI.

ex prudentia ca-

Interim prudentiæ est, ut publicæ tranquilitatis ergo invasorum quoque pacta & fœdera ab eorum successoribus, quantum fieri potest, serventur.

ventur. Thrasybulus Atheniensibus post ejectos XXX. tyrannos, Aratus Sicyonis cæso Nicocle, Cicero Romanis occiso Cæsare suaserunt, ut tyrannorum acta valere juberent, & Carolus II. Anglorum Rex plerisque Cromwelli fœderibus stetit. Apposite observat *Mascovius* de jure fœderum in Imperio Rom. §. 8. frequentiores his de rebus in schola esse disputationes, quam in Aula, siquidem semper inter auspicia novi Principatus de instaurandis fœderibus fervere solent cum novi Principis, tum fœderatorum consilia. Plane si tyrannus per pacta subsequentia pro vero legitimoque imperante est agnitus, quin valide populum obliget, dubio caret. *pite susti- nentur.*

§. CXXII.

Nonnunquam vel pactis vel legibus publicis certæ personæ a certis pactorum generibus arcentur. In Polonia sub Sigismundo Rege statutum, ne Reges sibi immobilia in Polonia comparent. Duces Brunsuicenses pacto sunt adstricti, ne quis absque agnatorum consensu terras alienet. *Stuck.* Consil. 26. n. 189. & 197. Simile pactum inter Marchiones Badenses initum 1537. Duces Megapolitani pacto Hamburgensi de anno 1701. num. 4. extra familiam nihil alienare promiserunt, nec territorium debitis 50000. thlr. excedentibus onerare. Mansfeldenses Comites olim non ultra 20000. thlr. Talia vero pacta cum solas familias Principales tangant, iisdem extinctis Principatus ipsos, postquam ad alios devenere successores, amplius non stringere monet *Ludewig* de Obligatione Successoris in Principatus p. 60. *Pacto ab alienationibus & acquisitionibus arcentur nonnulli*

§. CXXIII.

Lege publica nonnullis in locis ut apud Venetos, piæ causæ arcentur ab acquisitione bonorum immobilium. Vid. *Sprenger.* de Prætension. illustr. p. 172. & a nobis dicta de Hereditat. §. 553. Cujus legislationis ratio in eo est quærenda ne substantiæ civium publico commercio subtrahantur atque in manus mortuas incidant, cum verendum omnino sit, ne Respublica viribus, succo & sanguine privata, tandem belli pacisque oneribus ferendis impar evadat, ac tandem cum ipsa Republica etiam Collegia religiosa & ecclesiastica collabantur. Nimia quippe opum profu- *Lege piæ causæ arcentur ab immobilium acquisitione*

profusione non fulcitur sed evertitur religio, quæ non male assimilatur matri ex qua partæ sunt divitiæ, sed quæ ab his suis filiabus suffocatur ipsa. Observat *Pfeffinger* in Memorabilibus Seculi XVII. c. 4. §. 9. p. 105. apud Venetos Clerum Seculo XVI. dimidiam bonorum immobilium cum 150. Monasteriis & templis possedisse una cum sorte 30. myriadum Ducatorum, quæ annuas usuras unius & dimidiæ Millionum referret ex quibus nihil plane ad onera publica collatum. In Brabantia teste *Meterano* L. 27. p. 372. ex numero 3500000. jugerum agri 2800000. jugera ad clerum spectabant, ita ut sola 700000. pro reliquis incolis superessent. In Hannonia ex 1800000. jugeris sola 300000. supererant Clero haud obnoxia.

§. CXXIV.

In Marchionatu Lusatiæ Superioris ignobiles ab acquisitione feudorum ac prædiorum nobilium arcentur per pactum Equitum de 1619. & 1654. a Jo. Georg. II. Saxoniæ Electore 1666, confirmatum ibi: Daß die Land- Lehn- und Erb- Güther in Verkauffung und Versetzung derselben allwege den nächsten Mitbelehnten aus andern Geschlechten und Wapensgenossen, oder da derselben nicht vorhanden, oder sich des Verkauffs begeben, andern ehrl. Leuten Herrn Standes oder von Adel auf ordentl. vorhergehende Annehmung ins Land angetragen, und kein Landsaß bey Verlust des halben Theils der Kauff Summa jemand anders als einem vierschildigten Herrn Standes oder vom Adel uralten Geschlechts und Herkommens zu überlassen, zu versetzen oder quocunque titulo auf ihn zu transferiren befugt seyn solle. 2c.

§. CXXV.

Præfecti provincianum

Olim apud Romanos hi, quibus provinciarum regimen erat commissum, cum subditis negotiari prohibebantur. L. 33. Dig. de reb. Cred. L. un. C. de Contract. jud. L. 46. Dig. de contr. emt. a quo rigore nostri mores sunt alieni, & pacta & contractus a provinciarum præfectis cum subditis celebratos omnino sustinent, nisi quod bona immobilia sine Principis præscitu in Ducatu Bavarico, Wurtenbergico, Marchionatu Badensi & alibi passim acquirere prohibeantur.

§. CXXVI.

§. CXXVI.

De usu Edicti Prætorii, ne quis rem alienando nobis alium (potentiorem) adversarium substituat dixi de Heredit. §. 573. Adde mox dicenda §. 129. de lite a privato in Principem transferenda. Hic quæstionem affinem proponere lubet, an subditus domino invito bona sua in potentiorem transferre queat? aut num dominus jurisdictionis vel feudi ab acquisitione bonorum, a plebejis antea possessorum, arcere queat nobilem vel illustrem, vel etiam mysticam personam, qua de re in ipsis rerum argumentis aliquando acriter disceptatum. Non enim desunt speciosæ in utramque sententiam rationes. A domino jurisdictionis urgebatur, personam illustrem vel mysticam non tam facile in ordinem posse redigi, exactionem servitiorum & præstationum fieri difficiliorem, jus cogendi liberos subditorum, ut per certum temporis spatium operas domino locent, plane perdi, bona universitatis non tam facile alienari, & vix possessoris mutationem esse sperandam. A parte universitatis regerebatur, nullibi universitates extra commercium rerum immobilium esse constitutas, paratam se esse ad offerendum Pro-Vasallum einen Lehnträger, a quo omnia exigi possint, quæ a possessore alio, locationem operarum cessare quidem, sed non magis universitatem ideo esse repellendam, quam accola novus cœlebs. *an potentiores*

§. CXXVII.

Distinguendum utique videtur inter bona, quorum alienatio possessoribus est libera vel minus. Hinc bona censitica, utpote quorum alienatio ob plenum, quod in iis competit, dominium est libera, utut hactenus a plebejis fuerint possessa, regulariter & nisi lege vel pacto ab immobilium acquisitione nobiles vel mysticæ personæ arceantur, libere iis alienantur. At secus se res habet in feudo & emphyteusi tum ob divisum dominium, cujus non modo una particula domino jam competit, sed & spes consolidationis in reliqua, tum etiam quoniam domino invito novus Vasallus obtrudi nequit. Utrobique igitur tam a feudi quam emphyteuseos acquisitione arceri a domino potest persona mystica seu universitas, quia tunc cessaret spes consolidationis, cui ne quidem per con- *distinctione expeditur.*

cessam Vasallo alienandi facultatem videtur renuntiatum, quia termini habiles supponendi, & talis emtor per quem domino non afferatur præjudicium, quale omnino subest, si res in manum mortuam cadit. At persona nobilis seu illustris a feudi quidem acquisitione arceri poterit, quia domino invito novus Vasallus non obtrudendus, ab emphyteuseos non æque, quia consolidationis spes non aufertur. Vid. Accessiones ad *Hornii* jurisprud. feudalem p. 10. & 28.

§. CXXVIII.

Subditus cum Principe valide paciscitur.

Neutiquam vero in numerum impedimentorum, pacta impedientium, referendus est nexus subjectionis. Equidem cum principe ab inferioribus non rite contrahi vult *Jo. Sichardus* apud Gundling. de principe herede p. 27. cujus tamen rei nulla ratio idonea reddi potest, & confundit forsan Sichardus obligationem, quæ omnino subditis contra Principem competere potest, cum jure per vim agendi, quod subditis negavimus §. 82. Vid. *Grotius* L. 3. c. 19. §. 6. Quod vero *Hobbes* de Cive c. 7. §. 12. asserit, Principem per pactum subditis obligari non posse, nam recepisse Principem imperium a populo, hunc autem, simulatque id factum est, desinere esse personam, pereunte autem persona, omnem etiam perire obligationem, nec proinde injuriam civibus a Principe fieri posse, cum injuria sit pactorum violatio &c. huic inquam merito reponitur, quod populus quidem post collatum in Principem imperium desinat esse persona, habito respectu ad extraneos, ita ut Princeps & populus unicam saltem constituere videantur personam, ut quicquid ille agit populus etiam egisse censeatur, non autem si negotium agitur inter ipsum Principem & subditos, hoc enim respectu & Princeps & subditi personas peculiares sustinent, ac obligationis capaces manent. Certe pacta Principum Imperii Germanici cum subditis suis inita approbantur publicis Imperii legibus Instr. Pac. art. 7. §. 1. ibi: salvis Statuum cum subditis suis pactis conventis Rec. Imp. 1654. §. 171. ibi: Des Hauses Anhalt mit ihrer Landschafft getroffenen transaction.

§. CXXIX.

§. CXXIX.

Num ſpeciatim lites & actiones a privatis in Principem vel fiſcum poſſint transferri dubitatur. Lege quidem Romana interdicitur privatis actiones, quas contra alios privatos habent, Principi aut fiſco donare L. 22. §. 2. Dig. de jure fiſci, in ſolutum dare L. 1. C. ne fiſcus vel Respubl. procurationem, aut per modum transactionis cedere L. 2. & 3. eod. aut quocunque alio modo deferre L. 2. C. ne liceat potentiorib. patrocinium litigantibus præſtare vel actiones in ſe transferre. Sed facile liquet, ipſos ſummos imperantes ejusmodi leges non ſtringere. In ſe autem ſi res ſpectetur, actiones Principi cedere, nil vitii alit, ſed adverſarium vexandi ergo easdem in alium transferre, ſive Princeps ſit ſive minus, illicitum. At vexandi ille animus ut temere non præſumendus, ita probatu difficillimus, quo ipſo fit, ut imperantis arbitrio ſit poſitum, num recipere factas actionum ceſſiones velit, an vitandæ ſiniſtræ ſuſpicionis ergo easdem ſpernere. In ceſſionibus actionum ſubditis potentioribus factis citatas leges Romanas hodienum uſum exerere, adeo ut invalidæ ſint, etiamſi animus vexandi probari nequeat, exiſtimo. Conf. dicta de Hereditat. §. 569. & *Leyſer.* de aſſentationib. JCtor. §. 21. *eidemque actiones cedit.*

§. CXXX.

In quantum vero Princeps cum ſubdito alieno & extraneo paciſci valeat, diſtinctione expediendum, num pactum tale ineatur de re ſubdito extraneo licita an illicita. Si de re licita e. c. quando Bibliopola extraneus a Principe ſibi privilegium, vi cujus ſolus librum quendam vendere poſſit, gratis vel pretio interveniente, ſibi expetit tunc certe expeditum eſt, validam eſſe conventionem, validam inde ortam obligationuem: ſin de re ſubdito extraneo a ſuo Principe prohibita pactum ineatur e. c. de mercibus prohibitis aſportandis, ſubdiſtinguendum videtur, ſitne ſubditi Princeps hoſtis Principis contrahentis nec ne? Si hoſtis non eſt, poſtulat certe mutua Principum utilitas, ne alter alterius ſubditos invitet ad delinquendum, quod ſi nihiloſecius fit, iuſtam belli præbet cauſam, idemque tum circa ipſam talem conventionem juris erit, quod in altero caſu, ſi ſcil. Princeps contrahens eſt hoſtis ejus, cum cujus ſubdito *Cum ſubdito extraneo in quantum Princeps recte paciſcatur.*

dito contrahit, irrita scil. erit conventio ex parte subditi, atque ab ejus Principe poterit annullari, sed valida erit ex parte Principis contrahentis, quippe qui valide omnino obligatur ad servanda ea quæ subdito alieno promisit. Quibus positis, facilis erit decisio quæstionis, in quantum fœdera cum subditis alterius Reipublicæ sint licita. Fœdera nimirum nonnisi publica autoritate ineuntur, qua cum destituantur subditi, nulla ac illicita erunt fœdera cum iis inita. Interim cum in hostem liceant omnia, quibus ad pacem ineundam potest adigi, non peccabit Princeps, hostis sui subditos sollicitans, licet peccent subditi, qui his sollicitationibus aures præbent.

§. CXXXI.

cum hereticis

Cum hereticis in quantum pacisci liceat, indeque pendens quæstio an fides hereticis sit servanda? passim, plerumque tamen confuse disceptatur. Distinctius igitur statuendum videtur. Pacta Privata, si reliqua se rite habent, cum infidelibus omnino sunt permissa. Alibi ostendimus, ipsa matrimonia cum iis non esse illicita, multo igitur minus erunt emtiones locationes, aliaque pactorum & contractuum genera. Exemplo sint pacta Abrahami cum Abimelech Gen. XXI. 27. Isaaci cum eodem Gen. XXV. 28. Jacobi cum Labane Gen. XXXI. 44. item quod Christus legis observantissimus a fœmina Samaritana aquam accipere non recusaverit Jo. IV. 9. Publica pacta, quæ pacis calendæ, imo quæ commerciorum causa cum his, qui a vera religione alieni sunt, ineuntur, itidem nil vitii alunt. Quamvis enim infideles destituantur Sacrorum, quibus utimur communione, continentur tamen communione juris naturalis, cujus palmarium de fide calenda & servanda est præceptum. Exemplum iterum sacræ nobis suppeditant Pandectæ in Israelitis, qui pacem cum Edomitis & Ægyptiis colere jubentur Deut. XXIII. 7. it. in Salomone Rege, qui NB. juxta sapientiam, quam Deus ei dederat, fecisse dicitur fœdus cum Hieramo Tyriorum Rege 1. Reg. V. 12. nec non in Maccabeis 1. Maccab. XII. In Historia profana similia exempla ubivis sunt obvia vid. L. 2. C. de off. præfect. prætor. Quod vero Deus Deut. VII. 1. septem populos & Deut. XXV. 17. Amalekitas excepit cum iisque fœdus pangere Israelitas vetuit, speciale est Theocratiæ Judaicæ, cui illos populos exitio futuros cum Deus pro sua omniscientia pravi-

prævidisset, omne eorum interdixit commercium, cui cum audientes non essent, pœnas divinitus inflictas esse secutas, mirandum non est. Vid. Jud. I. 21. III. 5. 1. Reg. XX. 42. Add. *Grotius* L. 2. c. 15, §. 9, sqq.

§. CXXXII.

Bellica fœdera infidelibus nonnisi sub certis restrictionibus, iis tamen a variis varie excogitatis, admittunt plerique. Id quidem planum existimo, ob causam, quam non credimus justam & in bello injusto talia fœdera cum infidelibus esse illicita. Nam neque cum ipsis fidei nostræ sociis tunc sunt licita. Deinde etiam in bello justo fœderatis infidelibus nihil permittendum illiciti, quodque in honorem divinum fideique nostræ fundamenta impingit e. c. veræ religionis in hostium terris extirpationem. Non enim facienda sunt mala, ut inde eveniant bona, neque nostræ fidei sociis talia salva conscientia permittuntur. *bellica fœdera licita*

§. CXXXIII.

Quod vero *Ziegler.* de Jur. Maj. L. 1. c. 38. §. 8. p. 653. quique eum sequitur *Martinus Hassen* in dissertatione an Princeps Christianus cum non Christiano fœdus inire possit Viteb. 1711. occasione fœderis a Svecorum Rege cum Turcarum Imperatore contra Russos & Polonos initi, scripta docent, fœdera cum infidelibus nonnisi contra infideles, minime autem contra fideles injusto bello nos invadentes esse licita, vix ferendum videtur, sed potius cum *Limnæo* faciendum, qui ad Capitul. Carol. V. art. XI. verb. alle Hülffe etiam contra fideles injusto bello nos petentes fœderi cum infidelibus locum facit. Hoc enim in passu infideles, quibus nos jungimus, justitiam potius promovent, nihilque quod errorem aut heresin sapiat committunt, quare recte etiam fidelibus opponuntur, non qua talibus, sed quatenus injuste agunt, & sine causa nos aggrediuntur. Quod vero *Zieglerus* suæ sententiæ adducit fundamentum, contra Christianos non concitandos esse infideles ob religionis periculum, quia sint nativi & jurati Christianorum hostes, qui pessime ipsis cupiunt, ac funditus eos deletos unico voto optant, quique nullo fœdere obstante fœderato non magis favent ac alteri; id inquam oppido esse falsum, mox ostendetur *etiam contra fideles*

§. 136. Exemplum autem quod illustrationis causa affert Francisci I. Galliarum Regis, qui ob fœdus cum Turca contra Carolum V. Imperatorem initum Rec. Imp. Spirens. de 1544. pro communi Christianorum hoste æque ac Turca est declaratus, quemque hujus fœderis in ultimo mortis agone fere ad desperationem usque pœnituit, huc prorsus non quadrat. Non enim eo, quod infidelibus se sociavit, peccavit Franciscus, sed NB. quod *sine causa* solius ambitionis ergo, ut æmuli sui Caroli V. gloriam infuscaret, ceu ipse moribundus est fassus apud *Sleidanum* L. 15. p. 332.

§. CXXXIV.

& offensiva

B. *Gerhardus* Loc. de Magistrat. num. 156. & *Neumayr* von Bündnissen und Ligen c. 9. per tot. ubi multa vide sis exempla fœderum cum infidelibus initorum, sola defensiva fœdera cum infidelibus licita, offensiva autem illicita esse retur, a qua tamen sententia recte discedit *Ziegler* l. c. Naturæ enim jus non modo nostra defendendi, sed & ablata recuperandi, injuriamque illatam reparandi facultatem indulget, adeoque & media permittit eo tendentia, quæque alias illicita esse doceri nequeunt, qualia inter alia sunt fœdera cum infidelibus.

§. CXXXV.

citra necessitatem extremam

Schœnbornerus Polit. L. 4. c. 36. p. 345. *Limnæus* l. c. in sola necessitate extrema eadem admittunt. At enim vero sufficit infideles hostibus nostris opponi, non qua tales, sed quatenus ad jus nostrum persequendum nobis sunt auxilio, & justitiam proinde promovent. Hoc sane mediis, quæ suppetunt, commodissimis & brevissimis facere licet. Quodsi ergo durioribus conditionibus a fidei sociis auxilia sunt impetranda, contra ab infidelibus eadem æquioribus longe conditionibus obtineri possunt, quid quæso suberit vitii, brevissimam elegisse viam.

§. CXXXVI.

modo ipsorum religio fidem

Si ullam in pangendis cum infidelibus fœderibus restrictionem admittendam censerem, illam solam admitterem, qua *Panormitanus* ad cap. 8. X. de Voto & *Bocerus* de bello & duello L. 1. c. 8. n. 16. distinguit,

num.

num infidelium, quibuscum fœdus ineundum ea ſit religio, quæ cum diſſentientibus fœdera pangere, fidemque ipſis datam ſervare prohibet, nec ne? Si hoc, non apparet, quid vitii in tali fœdere ſubſit. Sin illud, fruſtra ſane initur pactio, quam alterum ſervare non debere, in anteceſſum novimus. De Muhamedanis ſuperiori ætate plerisque fuit perſuaſum, eosdem nullo cum Chriſtianis fœdere ita obſtringi, quin permittente Mahomedis lege ab eo poſſint recedere, quoties e re viſum fuerit. Inprimis hoc dogma Alcorano fundatum perhibet *Ricaut* dans ſon hiſtoire de l'Etat preſent de l'Empire Ottoman, eidemque ſuam ſententiam ſuperſtruxerunt *Zieglerus* & *Haſſen* a nobis §. 133. notatam. Sed jam dum Autor eruditus, qui ſuas Ricautii hiſtoriæ ſubjecit Annotationes, falſo hoc dogma Alcorano affingi oſtendit, atque ex ipſo Alcorano contrarium clare ſatis deduxit. Quare & *Adrianus Relandus* de Relig. Muhamedanorum L. 2. c. 25. inter ea, quæ perperam Turcis affinguntur merito illud omne retulit. *ſervare haud prohibeat.*

§. CXXXVII.

Quæ cum ita ſint, cumque hactenus nullum innotuerit infidelium genus, quod nobiscum nata naturalis juris principia adeo ejuraverit, ut fœdera cum diſſentientibus in religione inita ſervanda neget, aſſerere non dubito, ſimpliciter fœdera cum infidelibus eſſe licita, ſive contra fideles ſive infideles, ſive defenſionis ſive oppugnationis cauſa, ſive ex neceſſitate ſive ſolius utilitatis cauſa ineantur. * Quidquod ipſi Athei (ſi datur tale hominum genus) licet nec Deum adeoque nec jura divina, in quorum numero eſt naturale, aut obligationem divinam agnoſcere videri velint, nihiloſecius vel ex philautia ſola mutuum conſervationis ſtudium colere, ſocialiter vivere, eoque ſpectantia præcepta ſervare debent, quæ inter illud de fide ſervanda non eſt poſtremum. Quare nec pacta cum Atheo inita penitus improbanda. *Etiam atheo*

* In ipſis ſacris literis exemplum memorabile præbet fœdus defenſivum pariter ac offenſivum Davidis cum Achide Philiſtæorum Rege initum I. Sam. XXVIII. 2. Aſſæ autem Judææ Regis fœdus cum Benhadad Syriorum Rege Deus improbat 2. Chron XVI. 7. non tam quia cum infideli initum, ſed quia diffidentiam

erga

erga Deum pro fundamento habebat. Vid. *Grotius* L. 2. c. 15. §. 9.

§. CXXXVIII.

& hereticis fides servanda.

Quodsi autem licita sunt cum hereticis inita pacta & fœdera, eadem quoque esse servanda, nec fidem illis datam fallendam sponte sequitur. Thesi, fidem hereticis non esse servandam, quam ex Jesuitis hodienum nonnulli propugnant, refellendæ eo minus immorabimur, quo magis ejusdem cordatiores ex ipso ordine Ignatiano pudet. Vid. Bibliothec. Jur. Imperant. II. VII. 17. Sufficit quod infideles licet sacrorum, quibus utimur communione destituantur, tamen teneantur communione juris naturalis, quod non modo *quoad fidem servandam*, sed & quoad alia humanitatis officia religionis discrimen haud admittit (licet alias naturam aliquod Religionum discrimen attendere, *Zieglero* lubenter largiar) In ipsis sacris literis multa satis occurrunt exempla exitus infelicis, qui fractam hereticis fidem est secutus. De Saule vid. 2. Sam. XX. 1. 6. de Zedekia Ezech. XVII. 19. de Moabitis 2. Reg. III. 5. 24. de Osea 2. Reg. XVII. 4. de Jojakimo 2. Reg. XXIV. 1. Ex dictis porro & id sequitur, illicita & injusta esse fœdera, ob solum religionis dissensum contra infideles inita. Ea vero quæ *Grotius* de fœdere universali contra hostes Christiani nominis L. 2, c. 15. §. 12. affert, nonnisi de hoste armis ob religionem grassante priusque Christianos invadente admittenda videntur.

§. CXXXIX.

it. hosti

Cum hostibus (quo nomine utor non in sensu Veteris Latii, quo externos quosvis & peregrinos denotabat apud *Varronem* L. 4. de lingua Latina & *Ciceronem* de Off. L. 1. c. 12. sed in sensu communi ac vulgari pro iis qui arma contra ferunt, ut ait Cicero ibid. seu ut malunt JCti, qui nobis, aut quibus nos *publice* bellum decrevimus L. 24. Dig. de Captivis L. 118. de Verb. Signif.) cum his inquam pacta & fœdera iniri quotidiana docet experientia *, eademque valida esse & obligatoria, dubitationem non habet. Rationem autem hujus rei *Grotius* L. 3. c. 19. §. 1. hanc reddit, quod hostes qui sunt, homines esse non desinant, homines autem capaces sint juris ex promisso. Quæ quidem ratio nimis lata ac remota videtur,

detur, neque male opponit *Feldenus*, quod hostes prius vincula societatis humanæ ruperint, adeoque & vicissim illa officia, quæ quibusvis aliis hominibus debentur, recte ipsis negentur, alias enim, & si hosti omnia ea exhibenda essent, quæ aliis hominibus debentur officia, neque lædendus foret. Rectius igitur ratio, quare fides hosti servanda, repetitur a tacita remissione. Quamvis enim possim hosti tamdiu, donec pro læsione illata satisfactionem acceperim, omnia negare officia, eo tamen ipso, quo hosti quid promitto in tantum, quantum promittitur, abitur a statu dissolutæ societatis, tacite remittitur jus, quod habebam in hostem, ea siquidem omnis promissionis est indoles, ut jus conferat ei, cui fit, quod ni admitteretur, nullus foret bellorum finis. Conf. Grotius L. 3. c. 1. §. 18.

* Cautelas circa pacta cum hostibus ineunda collegit *Frid. Rudolph de Kanitz* in dissertatione sub *Jacobi Thomasii* præsidio habita Lips. 1674. de cautelis Principum circa colloquia & congressus e. c. ut ipsi Principes colloquia cum hostibus vitent atque negotia per legatos agant: aut si ut moras præcidant, ipsi convenire satius ducunt, ut æquali illud fiat comitatu: ac si justæ diffidendi adsint suspiciones, interjecto quodam sepimento, quod modo non uno fieri potest. Vel enim scisso ponte in ejus abrupta parte conveniant, Cerialis & Civilis exemplo apud *Tacit.* L. 5. qui Vassalis fluminis pontem scindi curarunt: vel in medio ponte cancellis, velut fenestris factis, quod Ludovicus XI. cum suo equitum magistro in colloquium descensurus observavit apud *Paul. Æmil.* L. 10. vel in medio fluminis, ubi pons aut navibus aut alia materia ita structus sit, ut inter utrumque vallum intercedat, quod tamen frustra a Galliæ Rege petiit Ludovicus Sfortia Mediolanensis Dux apud *Guicciard.* L. 3. Rectius vero ubi suspiciones prægnantes adsunt, has scrupulositates omitti censerem, Principibusque tali casu plane a congressibus abstinendum atque per legatos agendum.

§. CXL.

Hinc simul apparet ratio ejus, quod dici solet: licere hostem fallere sermone asserente, non autem promittente. Nam obligatio non fal-

lendi per sermonem asserentem est ex societate rationis & sermonis, quæ bello fuit anterior ipsoque bello sublata. At obligatio non fallendi per sermonem promittentem oritur ex ipsa hac promissione, quæ cum post bellum facta sit, remittit de belli jure in tantum, in quantum promittitur. Merito igitur taxantur facta Zopyri Babyloniam, quæ ipsum bona fide ut transfugam receperat, prodentis ap. *Heredot.* L. 3. p. 294. & Tarquinii Gabios, qui eum receperant, itidem prodentis ap. *Livium* L. 1. p. 24. adeoque hostem fide tacite interposita fallentium. Vid. *Grotius* L. 3. c. 24. §. 2. Parum abest, quin addam factum Husai transfugam se simulantis 2. Sam. XV. 34. XVII. 16. Aliud exemplum de Antonino Caracalla Imperatore refert *Herodianus* Hist. L. 4. c. 10. sq. qui sub prætextu ducendi in matrimonium Artabani Parthici Regis filiam, in Parthicum Regnum penetrans signo dato impetum cædemque in Parthos fecit.

§. CXLI.

an perfido

Expediri etiam ex dictis poterit, an perfido hosti fides sit servanda? Nimirum pactum, in quo hostis perfidum se præbuit, servari amplius non debet, quia hostis recedendo prius a pacto alteri quoque parti recedendi facultatem tacite concessit. Nam sub tacita servandi conditione pacta quævis ineuntur. Sic Capitulationes bellicæ, quas ipse hostis prius non servavit, recte ab altera quoque parte negligi videmus. At fides post perfidiam commissam de novo data servanda omnino est, quia novo hoc promisso de pristina perfidia tacite transactum.

§. CXLII.

an rebelli

Ab hostibus distant latrones, prædones, addo & hodie rebelles ac perduelles (utut olim perduellis fuerit synonimum hostis Cic. Offic. L. 1. c. 12.) quod hostes publica autoritate, reliqui privato ausu decertent L. 118. Dig. de Verb. Signif. Quæritur itaque an & latroni, rebelli item tyranno (quoad hoc enim pari passu ambulat, nam utut forte regimen, non autem facta tyrannica publica autoritate peragit) data fides sit servanda? *Cicero* licet hosti fidem servandam asserat Off. L. 1. c. 13. negat tamen piratæ, latroni &c. fidem utut juratam esse servandam, utpote qui commu-

communis hostis omnium, cum quo nec fides esse debeat, nec jus jurandum commune Off. L. 3. c. 29. Idem sentit de tyranno, quia nulla nobis sit societas cum tyrannis, sed potius summa distractio. * Sed recte hæc omnia refutat *Grotius* L. 3. c. 19. §. 1. Promissionis quidem, quam vi injusta extorsit prædo, impletio recte postmodum ipsi negatur, conf. Tit. 5. §. 201. At quæ cessante vi latroni sunt promissa, sub solo obtentu, quod latro, quod hostis communis sit injuste negantur. Quamvis enim nulla nobis sit societas cum tyranno, rebelli, latrone &c. tamen per interpositum novum promissum de prisco crimine tacite est transactum, novumque ipsis jus collatum. Accedit, quod in hypothesi incertum plerumque sit, sintne subditi rebelles, an Princeps tyrannus.

* Ex quo principio Michael Ephesius in tyranni uxorem adulterium committi negat. At enim vero jus quidem est, illatam injuriam per vim vindicandi, non tamen adhibenda est vis, quæ ad finem propositum, damni nimirum reparationem, nil prorsus confert, quo spectat adulterium cum uxore tyranni.

§. CXLIII.

Vix certe commodior recuperandi ablatam a tyrannis libertatem datur ratio quam mediante pacto. Ipsos Romanos a Ciceronis principio fuisse perquam alienos, ac in ipsis rerum argumentis longe aliter agere solitos scite monet Grotius. Belli piratici magnam partem Cn. Pompejus pactionibus confecit. Augustus Crocotæ latroni persolvit pretium capiti ejus impositum, cum ipse se sisteret. Nec tyrannus nec rebellis ad officium revocari possent, si scirent promissa ipsis facta non iri servatum. Populus semel sic deceptus ultra se decipi non pateretur exemplo plebis Romanæ apud *Livium* L. 2. c. 28. sed semel ad arma dilapsus eo usque Principem persequeretur, donec ipsum penitus delevisset, sicque tragœdia Anglicana sæpius luderetur. Frustra obvertitur, Principem tamen habere jus puniendi subditos rebelles. Habet scil. illud jus, si *per vim* eos ad officium redegerit, non vero si, semel concessa impunitate, injuriam sibi illatam remiserit, graviter scribit *Bœhmer* de exceptione metus injusti. Pro tyrannicis merito ac injustis reputanda sunt, quæ in contrarium prostant exempla

e. c. Christiani II. Danorum & Svecorum Regis, qui 1520. in laniena Holmiensi, spe quam publice fecerat perduellibus gratiam faciendi frustrata, quotquot comparebant ultimo affecit supplicio. Simile exemplum datæ & fractæ a Carolo Burgundiæ Duce Gandavensibus fidei ex *Comin*æo L. 2. c. 5. affert *Bæhmer* l. c. Confer. dicenda Tit. 5. §. 210.

§. CXLIV.

Pacta cum exteris. Cum exteris non hostibus quo minus pacisci liceat, nil obstat. Ab Imperii tamen Germanici Principe terras, utut allodiales ac alias alienabiles, transferri in exteros non posse existimat *Horn.* Jur. publ. c. 50. §. 8. & *Stryck* de Jur. allod. p. 78. Vide tamen dicta de Heredit. Principum §. 269. Sane per fœminas exteris nubentes talia territoria ad exteros posse pervenire, nemo dubitat. Quidni igitur idem per pacta liceret? Inferioris dignitatis homini Principatum allodialem recte vendi &c. ita tamen ut sine dignitate personali cum solis juribus realibus transferatur censet *Stryck.* l. c. p. 79.

§. CXLV.

inter parentes & liberos. Dum in recensendis occupamur impedimentis, quæ pacisci illustres personas prohibent, proponi posset, num in eorum censum referri debeat potestas patria, indeque ficta jure Romano personarum unitas? Eandem ne quidem inter plebejos nostros, nedum Principes animadverti, multoque minus esse impedimento, quo minus inter patrem & filium celebrentur pacta, donationes, contractus monui L. 2. T. 1. §. 432. & de patria potest. §. 241.

§. CXLVI.

cum Medico & advocato Leges civiles quoque improbant pacta ægroti cum Medico pro salute L. 9. C. de Profess. & Medicis L. 3. Dig. de extraord. cognit. item Advocati cum cliente de quota litis L. 53. Dig. de pactis L. 5. sq. C. de postulando L. 6. §. ult. Dig. Mandat. Sed ostendit *Beyer* Jur. Germ. L. 3. c. 4. prius pactum concussionem Medici supponere, quæ in hodierna Medicorum frequentia vix locum invenit, posterius autem itidem usum non præbere, cum non tam rei quam vocabulo lex posita videatur, si quidem si e. c.

si e.c. lis sit de 600. fl. integrum quidem sit Advocato Salarii & Palmarii loco 200. fl. promittere, trientem autem spondere, piaculum habeatur. In judicio Imperii Aulico hodienum pacta cum agentibus de palmario inita tolerantur, in Camerali non item vi Decr. Com. d. 7. Apr. 1608. 1668. & 15. May 1693. In priori procurator quidam ob tale pactum 5. Marcis auri multatus.

§. CXLVII.

Denique nec omnem personæ, quacum paciscimur, incertitudinem pactis impedimento esse, sed sufficere, dummodo ex postfacto e. c. per sortem it. factam primi venientis acceptationem persona, quæ antea fuerat incerta, certa evadat, docemur exemplo Lotteriarum, missilium, præmii promissi ei, qui primus metam attigerit, quo casu si duo simul attingant, utrumque ad præmium concurrere vult *Grotius* L. 2. c. 16. §. 19. Alii ut *Speidelius* Voc. Wett-Rennen cursum ita reiterandum judicat, ut alii etiam præter illos duos admittantur, hac addita ratione, quod nemo vicerit. Sed cum hi duo reliquos jam dum vicerint, rectius alii denuo hos duos solos certare debere contendunt. Vid. *Ludovici* de Natura & interpretatione Sponsionum Hal. 1704. p. 31. Præmium ei, qui primus hostium vexilla ceperit, aut castra vel munitionem eorum ingressus, promissum, si plures simul id præstant, inter eos dividendum, si dividi nequit, singulis debetur solidum. Scipio Africanus, cum ei dandum esset præcipuum muralis coronæ præmium, qui primus urbis Carthaginiensis muros conscendisset, incertumque esset, ex duobus, qui hunc sibi honorem vindicabant, uter prior oppidum transcendisset, utrumque corona murali donavit *Liv.* Lib. 26. c. 48. *Plutarch.* in Vita Scipionis. Apud Cumanos cum dubitaretur, utrum Aristodemo an Hippomenontæ corona deberetur ex victoria, contra Etruscos & Umbrios relata, censuerunt Seniores, utrique eum honorem impertiendum ap. *Dionys. Halic.* L. 7.

cum incerto

§. CXLVIII.

Solent quandoque Principes in latronum rebellium, aliorumve delinquentium capita præmium certum statuere proposita simul venia correis talem delinquentem tradituris. Quodsi igitur ipse ille, cujus capiti præmium

e. c. præmium capiti impositum

mium est impositum, se sistat, illudque cum venia promissa petat, quid tunc faciendum? Dubitandi ratio hæc est, quoniam primo offerenti præmium est promissum, hic autem in casu proposito satis determinatur. Verius tamen est, eidem nec veniam nec præmium deberi. Quamvis enim primo tradituro hæc sint promissa, ex ipsa tamen negotii indole ipse delinquens, de cujus traditione agitur, tacite excipitur. Finis enim totius negotii est pœna in delinquentem statuenda, quæ cum eo ipso eluderetur, facile patet, ingeniosam subesse cavillationem, atque ad mentem potius, quam verba promittentis hic esse respiciendum. Quod vero Augustus apud *Dionem* Lib. 56. p. 775. Corocottæ latronum in Hispania Duci se ipsum sistenti veniam & præmium X. Sestertium capiti ipsius impositum dari jusserit, ad fidei exuperantiam, generositatem, & liberalitatem, neutiquam vero ad juris necessitatem est referendum.

§. CXLIX.

Pro aliis pacisci- mur vel mandato instructi

Priusquam personas, quibus pacisci est integrum linquamus, paucis exponere placet, in quantum per alios valide ineantur pactiones. Alia sine dubio est ratio pactorum, quæ alius pro nobis nostro mandato instructus, alia eorum, quæ proprio motu sine prævio mandato celebrat. De prioribus valet illa naturæ regula: quod quis per alium facit, ipse fecisse censetur, adeo ut mandans ex pacto mandatarii obligetur, etiamsi mandatarius contra arcanum mandatum egerit, aut quod utiliter ex principalis sui mandato egerat, citra mandatum postea revocaverit L. 68. Dig. de procur.

§. CL.

utut ta- cito

Nec interest, num expresse, an tacite negotium sit mandatum, cum utrobique intervenerit consensus. Hinc provinciarum gubernatoribus data censetur potestas ea omnia peragendi, quæ ad provinciæ regimen vel necessaria vel utilia sunt, advocato vel procuratori ea, quæ ad litem dirigendam necessaria, belli Duci concessa videtur potestas peragendi omnia, quæ ad bellum gerendum sunt necessaria. Hinc metata potest imperare, ac pro illis pecuniam exigere, obsidiones suscipere, obsessis inducias, capitulationem indulgere, accipere &c. quæ omnia libere sine speciali mandato

aut

aut consensu reliquorum Officialium * vi concreditæ sibi potestatis peragit * * Interim sicut omne mandatum stricte interpretandum, ita nonnisi ea per illud concessa intelligitur facultas, quæ ad negotium demandatum necessaria. Sic gubernator provinciæ regendæ non alienandæ, procurator litem dirigendi non autem finiendi aut transigendi, belli Dux bellum gerendi, uon autem pacem faciendi potestatem regulariter habere censetur Conf. *Grotius* L. 3. c. 22.

* Quem tamen prudenter ad amoliendam omnem culpæ a se commissæ suspicionem feliciusque rerum actarum rationes domino reddendas adhibet, sicuti & si tempus sinit super quibusvis speciale domini mandatum prudenter expectat. Vid. *Ludovici* de Capitulationib. bellicis p. 42.

** Hinc cum in Capitulatione Cæsaris Werdæ 1702. Marchio de Blainville art. 21. postularet: daß die gegenwärtige Capitulation von allen Generalen derer Aliirten solle unterzeichnet werden, respondebatur weil dieses wieder die Gewohnheit, so soll dieses durch den commandirenden General geschehen. Similem fere casum meminit *Ludovici* l. c. p. 46. bene ita concludens. Ille Officialis, cui oppugnatio fortalitii commissa, in hoc negotio repræsentat personam supremi Ducis, quippe a quo speciali mandato instruitur, unde ejus subscriptio eundem effectum habet, ac si a supremo belli Duce facta esset. Apud Batavos tamen receptum, ut Capitulationes ex parte obsidentium a Deputatis Status von denen Deputirten zu Felde simul subscribantur.

§. CLI.

Proprio ausu absque mandato si alius pro nobis contrahit aut paciscitur, meliorem conditionem nostram reddere potest, deteriorem non æque, quare exinde demum subsecuta ratihabitione tenebor, acquiri tamen mihi ignoranti ex facto tertii naturaliter posse dictum Tit. 1. §. 25. & L. 2. T. 5. §. 481. 483. utut jure Romano nemo alteri stipulari adeoque nec acquirere possit L. 38. §. 17. Dig. de Verb. Obl. §. 19. Inst. de inutilib. stipulat. nisi servus domino, filius patri stipuletur, quam quidem juris Romani doctri-

vel absque mandato.

doctrinam frustra ex ipsa naturali æquitate & communi quodam gentium consensu deducere conatur *Ludovicus Charondas* in scholiis ad dictam L. 38. Frustra interseritur, ut alii detur, nihil nostra interesse. Nam interest omnino hominis, beneficio affici hominem, recte ait *Papinianus* L. 7. Dig. de servis exportand. unde & jure Codicis L. 3. C. de donationib. quæ sub mod. alteri per alterum in donationibus actionem quæri permittitur.

§. CLII.

Absenti valide acquiritur.

Certe in Germania quemlibet alteri absenti valide acquirere, non modo communis Doctorum est sententia, sed idem jam inde ab antiquis quoque temporibus ita fuisse observatum patet ex Sächs. Lehn-R. c. 36. ubi dominus, cui Vasallus feudo cessit hac lege, ut alii illud conferret, promissis stare jubetur. Ex generali hac regula, quod tertio ignoranti valide acquiratur, haud inepte *Laurent. Andr. Hamberger* de non-usu stipulationum in Germania Jen. 1714. p. 84. deducit jus Notariis publicis tribui solitum acceptandi pro tertio ignorante, eidemque obligationem acquirendi. Sane longe commodius ita res conficitur, quam si, quod *Bartolo* aliisque præplacet, hoc inde arcere velis, quod servus publicus, cui Notarios æquipparari volunt, pro alio stipulari sinatur L. 2. Dig. rem pupilli salvam fore. Nam servus publicus saltem pro pupillo non pro aliis stipulari permittitur. Et Notarii male servis annumerantur, cum nonnisi liberi homines ad Notariatus munus admittantur juxta Ordinat. Notar. Maximil. I. præf. & §. 1.

§. CLIII.

Consul & Senatus in quantum civitatem obligant.

De pactis & contractibus a Consulibus ac Senatibus oppidanis &c. nomine civitatis civiumque initis controversia sæpe oritur, in quantum ex iis teneantur cives. Solent haud raro Senatus debita contrahere, & pro iisdem non modo bona civitatis communia, sed & singulorum civium bona intra & extra civitatem sita obligare. Sunt, qui tali casu nonnisi de in rem verso cives teneri existimant, quos & juvat L. 27. Dig. de reb. credit. ad quas tamen angustias redigi civitates nolim, cum rebus sic stantibus vix secum contracturos sint reperturæ. Respiciendum potius eo erit, num Senatui cives obligandi facultas competierit? Nimirum senatus est constitutus ad regimen civitatis administrandum, ea igitur omnia potest pera-

peragere, sine quibus illud administrari commode nequit, quorsum & spectat, debita modica contrahere, pro iisque res civitatis communes oppignorare. Singulorum autem civium bona ne summus Princeps, nedum magistratus inferior sine summa necessitate potest alienare aut oppignorare. Conf. §. 86. Quare ut illa valide obligentur ac oppignorentur, singulorum civium consensus erit necessarius. Imo si majora debita contrahenda, pro iisque communia civitatis bona oppignoranda, sola senatus autoritas non sufficiet, quia ad regendum non alienandum est constitutus, horum autem bonorum dominium non ad Senatum solum, sed & reliqua civitatis membra collective sumta spectat. Hinc ad eorum oppignorationem præter Senatus consensum etiam ille civium seu Deputatorum ex iis derer Verordneten von der Gemeine oder derer Viertels-Meister requiritur. Conf. L. 2. T. 7. §. 515.

§. CLIV.

Quare in casu ubi pro debito civitatis non modo bona civitatis, sed & singulorum civium rite cum consensu Consulum, Senatorum, Deputatorum ac singulorum civium, tanquam dominorum rerum oppignoratarum sunt oppignorata, executio ita instituenda, ut prius fiat in pensiones, & servitia universitati debita, deinde in reliqua communia universitatis bona, his non sufficientibus demum in bona singulorum civium, qui consenserunt, & quidem pro rata, non secundum numerum personarum, sed pro ratione facultatum. Conf. *Kœppen* Decis. 60. qui tamen existimat, administratores ex contractu teneri non tantum per id tempus, quo officium durat, sed etiam eo finito, quod ita limitandum videtur, ut is, qui solius officii intuitu contraxit, eodem deposito teneri saltem dicatur ad rationes rerum actarum reddendas. Quodsi autem citra suam culpam Respublica solvendo esse desinat, non apparet, cur adigendus sit ad reddendum ex bonis suis privatis, qui ut privatus non contraxit, nec culpam ullam commisit.

TITULUS IV.

DE

Objecto Pacti.

*　*
*

Rebus suis imo & Regnis & juri in regna potest renuntiari. Factorum impossibilium & turpium nulla est promissio. Alienorum citra mandatum vel ratihabitionem facta saltem ad diligentiam adhibendam promittentem obligat.

§. CLV.

Objectum pacti sunt bona & facta.

Jam dum in superioribus, cum ageremus de personis paciscentibus, data occasione exposuimus, de quibus rebus Principes pacisci valeant? Ea vero, quæ circa hanc materiam dicenda restant, in sequentibus jam erunt supplenda. Patet nimirum ex ipsa pacti indole, cum illud vel ad dandum vel faciendum tendat, in genere pacisci licere *de bonis & factis* * in nostra potestate positis, iisque certis, ac determinatis. Frustranea foret promissio rerum extra potestatem nostram positarum. Incertorum autem ideo nulla esse potest obligatio, quia in effectu eodem res recidit, sive ad nihil obligeris, sive ad aliquid, quod quid & quale sit, dici nequit. Unde ad nihil obligat clausula man wolle vor Contrahenten Consideration haben, und es ihm wieder geniessen lassen ic. es solle ausser der verglichenen Mitgabe noch ein mehrers folgen. Non tamen requiritur, ut objectum pacti statim ab initio tempore pacti initi sit certum. Sufficit si & ex post facto certum

certum fiat. Alii rem ita efferunt, incertum quidem in obligationem venire, sed nonnisi certum præstari posse. Neque etiam incerta est obligatio alternativa, ubi electio regulariter est debitoris, secus ac in obligatione pura, cujus ubi difficilis persecutio existit, creditori datur electio agendi ad interesse. Vid. Tit. 10. §. 336.

* Ad neutra pertinet religio in se spectata, unde & de ea pacisci non possumus. Externa religionis cura nunc ad facta, nunc ad bona recte refertur, recteque de eadem paciscimur.

§. CLVI.

Bona quæ dominio nostro subsunt.

Seorsim videamus de singulis tum factis, tum bonis pacti objectum constituentibus. Prius quidem de bonis. Cum autem illa saltem bona in potestate nostra sint posita, quorum sumus domini, in tantum saltem, in quantum dominio nostro subsunt, de iis pacisci licebit. Hinc res pluribus communis nonnisi communi dominorum, familiæ fideicommissum nonnisi unanimi omnium familiæ membrorum consensu alienatur. Cumque olim in Germania omnia bona avita immobilia essent familiæ communia, certoque sensu fideicommissa, invalida eorum erat alienatio citra heredum consensum facta Sachs. Land-R. L. 1. art. 52, poteratque etiam absque pretii restitutione ab heredibus revocari ibid. art. 36. Unde chartæ alienationum antiquæ consensum filiorum & agnatorum assidue testantur. Exempla collegit *Jo. Aug. Hellfeld* de restricta illustrium alienandi facultate p. 8. sqq. Conf. dicenda Tit. 13. §. 376. & de heredit. tit. 7. §. 127.

De feudis dictum Tit. 3. §. 115.

§. CLVII.

In quantum Princeps paciscitur.

Hæc ubi ad summos imperantes applicamus, tres casus probe a se invicem sunt distinguendi, primo num de rebus tertii extranei, secundo num & quatenus de bonis subditorum, & tandem in quamtum de rebus publicis disponere valeant?

§. CLVIII.

de rebus tertii

Ad res tertii extranei quod attinet, cum Principi nullum in eas jus competat, sponte sequitur, nullam ipsius de iis esse dispositionem. Hinc

male audiunt Pontificum donationes quibus Seculo XIII. Siciliæ Regnum Carolo Andegavensi (superstite ac contradicente legitimo herede Conradino Svevo) & Seculo XV. Hispanis Indorum ditiones donare sunt conati. Confer dicenda L. 2. T. 4. §. 461.

Neque mitius sentiendum videtur de pactis & fœderibus Principum nostro Seculo super bonis tertii inviti haud raro initis. Noti sunt tractatus partitionum (Partage Tractaten) sub principio hujus Seculi initi, quibus inter Gallos, Anglos & Belgas conventum ut mortuo Carolo II. Rege Hispaniæ Neapoleos & Siciliæ Regna cum Ducatu Lotharingiæ Galliæ Regi, Lotharingiæ autem Duci Mediolanum in compensationem cedere deberent.

Pariter 1729. Sevillæ nomine Regum Galliæ, Hispaniæ & Angliæ conventum, ut Ducatus Parmensis & Placentinus cum expectantia in Magnum Hetruriæ Ducatum Carolo Infanti Hispanico tribueretur insuper habito consensu Imperatoris qui directus horum Ducatuum erat dominus.

Novissime 1745. tractatu Hannoverano Angliæ & Borussorum Reges sunt pacti, ut Saxoniæ Elector (desuper haud requisitus) urbem Furstenberg cum telonio Borussorum Regi cederet.

Ad summum talia pacta id saltem operari possunt, ut paciscentes bona sua interponant officia apud tertium de cujus bonis & præjudicio agitur, ut his eorum desideriis annuat, jus autem cogendi eum ad annuendum tribuere nequeunt.

§. CLIX.

Subditorum Quoad bona subditorum in tantum se prodit exceptio, ut licet bona subditorum in Principis dominio haud sint, valide tamen a Principe in alium transferantur, quia subditi Principis facta præstare, suumque regressum contra ipsum Principem sumere debent. Vide dicta Tit. 3. §. 87. & L. 2. T. 4. §. 462.

§. CLX.

de publicis Quodsi denique animum a privatis singulorum subditorum bonis abstrahamus, quoad reliqua publica nimirum bona in summis pariter imperantibus obtinebit regula, quæ de re aliena disponere vetat. Hinc Princeps in tantum saltem de rebus publicis, quorum dominium penes universum populum existit, disponit, in quantum disponendi facultas a populo

ipsi

ipſi conceſſa. In dubio ſola adminiſtrandi, non alienandi facultas conceſſa intelligitur. Res ſigillatim deduci meretur.

§. CLXI.

Et primo de univerſo regendi jure Principi concredito ſi quæratur, in quantum ad Principem ſpectet, ipſique de eodem diſponere ſit integrum, diſtinctim ita tenendum. In territorio patrimoniali ſeu alienabili regendi juri valide tum pro ſe, tum pro liberis, natis æque ac naſcituris, Princeps renuntiat. Nulli enim alii ſicut in ipſo territorio, ita & in jure illud regendi jus eſt quæſitum. In terrio autem, cujus ſucceſſio ex populi voluntate defertur, quin pro ſe quisque abdicare regulariter poſſit, non eſt dubium, pro liberis autem naſciturıs nonniſi accedente populi conſenſu renunciatur, non enim ex parentum, ſed populi voluntate ſuccedunt. Liberis vero jam natis, nec patris nec populi factum nocere poteſt, quia (ni regnum mere eſt electivum) ſimul atque exiſtere cœperunt, jus proprium eis quæſitum eſt ex lege, quod de naſcituris dici nequit. Vid. Tit. 3. §. 90. & de Hereditat. Tit. 1. §. 9. Add. *Grotius* L. 2. c. 7. §. 26. & L. 3. c. 20. §. 5. *de universo regendi jure*

§. CLXII.

Galli nonnulli, (nam univerſæ nationi hunc errorem imputari nolim) ut blandirentur Regum ſuorum ambitioni, ac cupiditati recuperandi omnia, quæ unquam ad Gallos pertinuerunt, eousque ſuperiori inprimis Seculo proceſſerunt, ut plane negarent, poſſe ſummos imperantes regnis ac juri in eadem ſuccedendi renuntiare. Primus, quod ſciam, hanc doctrinam propugnavit *Bodinus* de Republ. L. 6. c. 2. p. 1000. Magis autem eam exornavit *Aubery* ſive Albericus, Advocatus Parlamenti Pariſienſis in Opuſculo des juſtes pretenſions du Roi ſur l'Empire, quod cum privilegio Regis d. 19. Jul. 1649. dato demum prodiit Pariſ. 1667. Eodem fere tempore, anno ſcil. 1667. cum Ludovicus XIV. nomine uxoris ſuæ Mariæ Thereſiæ Hiſpanicæ, non obſtante facta ab eadem renuntiatione, Belgium invaderet, idem principium ſuum fecit Archi-Episcopus Ebrodunenſis (Embrun) in Tractatu publico juſſu edito des droits de la Reine tres Chretienne ſur divers Etats de la Monarchie d'Eſpagne. Eodemque in Manifeſto ſuo provocavit Ludovi- *Galli Regnis renuntiari negant*

cus XIV. Rex cum 1700. ſucceſſionem Hiſpanicam nepoti ſuo Philippo V. vindicaret. At refutatum illud videas dans la defenſe du droit de la Maiſon d'Autriche, & in *Jo. Franciſc. Buddei* disquiſitione de jure gentis Auſtriacæ in Regnum Hiſpanicum.

§. CLXIII.

1. quia extra commercium poſita

Longum foret, cuncta & ſingula repetere, quæ fuſe & cum magno exquiſitiſſimæ eloquentiæ apparatu hanc in rem attulerunt Galli. Potiora tamen ipſorum argumenta commode ad tria capita revocantur. *Primum* petitum eſt a natura & indole Regnorum. Extra commercium eadem eſſe poſita ajunt, a Deo ac Divina diſpoſitione pendere, eorum ſucceſſionem ſanguini cohærere, cui fruſtra renuncietur. At enim vero utut regna in privatorum commercio non ſint, eadem tamen in commercio Regum & populorum exiſtere, quotidiana docet experientia, quæ integra regna permutari, donari, aliisve modis transferri teſtatur. Cumque a populis regna primitus fuerint conſtituta, certaque ipſis forma indita, nihil magis eſt naturale, quam ut contraria populi ſeu eorum qui primitus regnum conſtituerunt, aut in horum locum ſucceſſerunt, voluntate priſca Reipublicæ compages iterum mutari queat. Quo ipſo ſimul corruit id, quod dicitur, a Deo ſolo divinaque diſpoſitione regna pendere. Pendent enim a Deo non immediate, quæ quidem ſuccedendi jus ad familiam certam & ſanguinem Regium reſtringere poſſunt, ſed quilibet videt, hoc ſuccedendi jus non ex ſanguine principaliter oriri, ſed ex pacto regni conſtitutivo. Licet igitur ſanguini renuntiari nequeat, poteſt tamen renuntiari pacto quod ſanguini jus certum contulit. Quod niſi eſſet, eodem jure concluderetur, nobilitatem ſanguini cohærentem nulla ratione, nullo delicto, aliter quam ſanguine fuſo poſſe amitti.

§. CLXIV.

2. quia ſubditis tali renuntiatione præjudicatur

Alterum Gallorum argumentum petitur a conditione ſubditorum. Horum cauſa interſerunt Reges conſtitui, nihil itaque ſuſcipi a Rege poſſe, quod in ſubditorum vergat præjudicium, jurejurando a Regibus inaugurandis hoc promitti. At præjudicari ſubditis per Regis renuntiationem, quippe quibus ex mutua inter principem & ſubditos contracta obligatione jus ſit

ſit quæſitum, vi cujus principi non magis ab inita ſocietate civili recedere liceat, quam ſubditi. Reſp. Veriſſimum eſt, Reges ſubditorum cauſa conſtitui, eosque NB. ſolos nihil in populi præjudicium valide poſſe ſuſcipere, at poſſunt populo conſentiente. Volenti enim non fit injuria. Porro quod ſubſumitur, ſubditis jus eſſe quæſitum, ne Princeps pro lubitu poſſit abdicare & renuntiare juri ſuo, ſimpliciter non admittendum. Poſſe pacto inter ſubditos & Principem conveniri ne invitis Ordinibus abdicet, expeditum eſt, & exemplo Regni Polonici confirmatur. At regulaliter in omnibus regnis ita ſe rem habere, merito negatur. Diſpar hoc in paſſu eſt conditio imperantium & ſubditorum. In regni enim conſtitutione ſubditis parendi onus imponitur, Principi autem imperandi prærogativa ac jus eminens confertur. Onus pro lubitu excuti nequit. At prærogativa nemini invito obtruditur. Quanquam igitur ſubditus obſequio ſe ſubducere nequit, poterit tamen Princeps, ſi cetera ſunt paria, & periculum nullum imminet, pro lubitu abdicare, renuntiare, quod ſi fiat in favorem ejus, quem ſuccedendi ordo non tangit, populi vel Ordinum conſenſu eſſe opus, manifeſtum. Ceterum omne hoc argumentum Gallis in ſpecie nihil prodeſt, quia omnes illæ renuntiationes, de quibus infringendis laborant, non a Principibus ſolis, ſed Ordinum conſenſu accedente ſunt factæ, adeoque omni vitio carent.

§. CLXV.

Tertium argumentum deſumitur a conditione principum renuntiantium. *3. quia obligari Princeps nequit.*
Principes adeo reliquis mortalibus ſupereminere contendunt, ut obligari prorſus nequeant, nihilque contra propriam utilitatem valide ſuſcipere. At renuntiationes tum utilitati ſuæ, tum amori ſui, ac prolis ſuæ repugnare. Quorum omnium nihil admittendum cenſeo. Natura omnes ſumus æquales, & obligatio ad pacta ſervanda cum naturalis ſit, per ſupervenientem & impoſitam humano inſtituto prærogativam Principalem deleri nequit. Et quis quæſo cum Principe contraheret, ſi noviſſet, Principem ad ſervandum non obligari. Irrita autem pronuntiare cuncta, quæ propriæ utilitati repugnant, periculoſa ac noxia Pſeudo-Politicorum principia ſapit, quibus admiſſis homines erga ſe ſe invicem concitarentur, ac bellum omnium in omnes oriretur. Certe ipſos Gallos non ſerio atque

ex

ex animo, ſed ſaltem dicis cauſa hæc talia attuliſſe, habeo perſuaſiſſimum, quoniam alias nullam pacem, (quippe cui ex dicto principio fidere nemo poſſet,) endurance initiuri eſſent. Taceo renuntiationes non ſemper eſſe noxias ſed plerasque majus incommodum avertere, pacemque conſervare, ac proinde valde eſſe utiles.

§. CLXVI.

Regalia an alienari poſſint?

Ab univerſo regendi *jure* ad ſingulas ejus partes digrediamur. In regno patrimoniali cum integrum alienare Regi liceat, quin & partes ſingulæ alienari ab eo queant, dubium non habet. Sed quid de regno, cujus ſucceſſio ex populi voluntate defertur, dicendum. Ibi certe concludi nequit.: Rex totum alienare nequit, ergo nec partem. Quare diſtinctione res ita expedienda. Majorum quidem Regalium avulſio ſeu alienatio mutationem formæ in Republica ſemel ſtabilitæ involvit. A formula autem, ſub qua imperanti regimen eſt concreditum, pro lubitu recedere integrum ipſi non eſt, cui eſt conſequens, majora regalia nonniſi ex populi conſenſu nunc expreſſo, nunc tacito aut præſumto, ſeu præſcriptione in alium valide transferri. At exercitium majorum horum Regalium cum ad ſolam adminiſtrationem publici regiminis pertineat, quæ tota Principi eſt commiſſa, pro lubitu a Principe cuivis recte conceditur, dummodo hæc conceſſio non ultra vitam Principis concedentis extendatur, utpote cum qua omnis ipſius jus expirat. Minora autem regalia & res infeudari ſolitæ itidem a Principe pro lubitu, etiam ſub conditione & in eventum aperturæ, (dummodo apertura vivo Principe concedente contingat. Vid. Reale Principum Jus L. 3. T. 14. §. 333.) conceduntur, cum ad adminiſtrationem pertinere cenſeantur.

§. CLXVII.

an domania?

Quid circa domaniorum alienationem juſtum ſit, dixi Tit. 3. §. 90. Rex Sacræ olim nullius, ſed Deorum ſive divini juris eſſe exiſtimabantur §. 7. Inſt. de Rer. diviſ. quo poſito, nec ab ipſo Principe alienari poterunt. Imo nulla eſſe dicitur rei ſacræ ſtipulatio, etiamſi in caſum ſi ſacra eſſe deſierit, concepta §. 2. Inſt. de inutil. ſtipul. Nihiloſecius ipſo jure Romano in neceſſitatis aut utilitatis caſu alienatio rerum ſacrarum permittitur L. 21. C. de SS. Eccleſ. L. 63. Dig. de religioſ. Felicius

licius hodie hæc difficultas solvitur, ex quo a pristina superstitione in tantum recessum, ut res sacræ, si non in universitatis, seu Ecclesiæ, cui subsunt, (quod existimat *Kemmerich* de divis. rer. in divini & humani juris p. 62.) certe in publico Reipublicæ patrimonio, seu dominio (quæ est sententia *Grotii* L. 3. c. 5. §. 2.) esse reputentur. Ex priori hypothesi sequitur, a quovis magistratu, ex posteriori a Principe saltem res sacras valide alienari. Utrobique tamen requiritur, ne citra necessitatis casum res sacris usibus destinata ad profanos, aut alios quam quibus primitus destinata, transferatur.

§. CLXVIII.

Bona Ecclesiastica, quæ a rebus sacris differunt eo quod hæ divino cultui immediate, illa mediate e. c. Ministrorum sustentationi inserviant, itidem citra necessitatis casum ad usus profanos transferri nequeunt, quia primitus a suis dominis nonnisi sub conditione sacris usibus inserviendi fuerunt data. Hoc illud est, quod sibi volunt L. 14. sqq. C. de SS. Eccles. & tot. tit. Decretal. de rebus Ecclesiæ non alienand. dum non *sine causa* certisque solennitatibus e. c. Capituli consensu bona Ecclesiastica alienari præcipiunt. Ad Capituli vero consensum votorum pluralitas non sufficit sed ad minimum duæ tertiæ partes consentire debent, quia major Capituli pars non ratione personarum, sed totius Collegii æstimatur, cui opinioni occasionem forte præbuit L. 3. Dig. quod cujuscunq. univ. nomine. *Bona Ecclesiastica*

§. CLXIX.

Decimas in specie Laicis concedi vetat concilium Lateranense vid. cap. 17. X. de decimis & cap. 7. X. de præscriptionib. Add. dicenda L. 2. T. XI. §. 579. Summum tamen imperantem his legibus non subesse, sed si reliqua se rite habent, etiam Laico decimas recte concedere, manifestum. Mirum itaque quod in cap. 31. X. de decim. cum Rex & Regina Hungariæ hospitali cuidam decimas donasset, & Clemens Pontifex hoc confirmasset, tamen inutile & nullius momenti negotium esse pronuntietur, quod de Laicorum utpote decimarum incapacium manibus decimas recipere sit illicitum. Postea Alexander IV. in cap. 2. de decim. *Decimæ*

in 6. ſanxit, quod ex privilegio Romani Pontificis Laicis competere poſſit jus ptercipiendi decimas. Quod vero citatum cap. 7. X. de præſcipt. ſtatuit ne præſcribi quidem a Laicis decimas poſſe, aut de ordinario præſcriptionis tempore accipiendum, aut apud nos contraria conſuetudine mutatum, ubi 40. annis quævis res Eccleſiaſticæ valide præſcribuntur. Pontificis ſententia erroneo nititur principio, quaſi decimæ ſint juris divini univerſalis c. 14. X. de decimis. At ea, quæ in ſacro Codice de jure decimarum occurrunt ad ſolam Theocratiam Judaicam ſpectaſſe, nec ad ſtatum noſtrum præſentem applicabilia egregie oſtendit *Bœhmer* de præſcriptione circa decimas.

§. CLXX.

An privilegia concedi?

Privilegia Princeps concedit vi poteſtatis legislatoriæ * quæ Principi in dubio tanquam medium adminiſtrationis peragendæ pleniſſime competere cenſetur. In Ariſtocratiis poteſtas legislatoria Optimatum eſt communis, ac proinde nonniſi ipſorum conſenſu privilegia conceduntur. In Democratiis cum æqualitas inter cives deſideretur, rarior eſt privilegiorum uſus, unde in legibus XII. Tabularum cautum legitur: privilegia ne irroganto, & *Cicero* illa paſſim vocat injuſta, crudelia, pernicioſa. Exiſtere interim poteſt caſus, ubi alicui propter bene merita etiam ex civium, quos penes poteſtas legislatoria exiſtit, ſuffragio privilegia concedantur. Sive autem gratuito ſive oneroſo titulo per modum contractus privilegia concedantur, perinde erit. Conf. Tit. 9. §. 326. ſqq.

* Ergo proprie privilegia plane non ſunt, quæ nonnullis dicuntur conventionalia (rectius hoc nomen quadrat in privilegia a Principe titulo oneroſo conceſſa, quæque gratuitis opponuntur) quando ab onere, quod Princeps certæ univerſitati impoſuit, *reliqua civitatis membra* aliquem eximunt, illiusque præſtationem in ſe recipiunt. Econtra extraneo ſive non - ſubdito a Principe indulgeri poterit verum privilegium, ad effectum ut talis extraneus conſequatur jus prohibendi, ne ſubditi hujus Principi faciant rem, quæ alias ipſis fuiſſet licita & permiſſa, quale quid quotidie animadvertitur in privilegiis Bibliopolarum.

§. CLXXI.

Res, super quibus privilegia concedi possunt, sunt omnes in imperantis arbitrio positæ, uno verbo sua natura indifferentes, quæque sive concedantur sive minus societatem humanam ac civilem non turbant. Ergo privilegia quæ contra publicam sunt salutem e. c. ne subditi factorum suorum rationes reddant, Princeps conferre nequit. Vid. *Sam. Stryck.* de jure Principis circa rationes civitatum c. 2. n. 59. & de privilegiis titulo oneroso quæsitis c. 3. §. 13. Ipsam Majestatam ex privilegio originem posse ducere affirmat *Titius* Spec. Jur. publ. L. 7. c. 7. §. 97. at negat *Kulpis* ad Monzamban. c. 5. §. 28. Mihi disceptatio illa de casu non dabili videtur. *Affirm.*

§. CLXXII.

Aliquando jura, quæ sine ulla privilegii concessione jam dum competerent, per privilegium majoris securitatis & roboris ergo de novo impetrantur. Aliquando tamen consultius ejusmodi privilegia, utut ultro oblata, renuuntur, ne, quod suo quodam jure jam dum poterat, postea ex gratia peragere videatur. Sic Elector Saxo oblatum sibi anno 1608. indultum, quo ante acceptam investituram jus sessionis in Comitiis a Cæsare ipsi concedebatur, accipere recusavit, cum etiam absque hoc istam sibi facultatem competere putaret. Vid. *Muldeneri* Extract aus dem Churfürstl. Protocoll. p. 116. ex eoque *Gribner.* de jure legitimandi Principum Imp. §. 7.

§. CLXXIII.

De Monopolio disquiritur, an a Principe per contractum alii, sive is sit subditus, sive extraneus permitti possit? Affirmativam tuetur *Grotius* L. 2. c. 2. §. 24. & c. 12. §. 16. & qui eum sequitur *Henr. Bodinus* de Contractib. Summar. potestat. c. 3. §. 9. licere scil. populo cum alio pacisci, ut is populus certi generis fructus, qui alibi non nascuntur, sibi soli vendat, dummodo is, qui emit populus, paratus sit aliis vendere æquo pretio, nam aliis non interesse, a quo emant. At negativa præplacet *Zieglero* de Jur. Maj. *an Monopolia?*

L. 1. c. 38. §. 4. quia inter populos deficit moderator juſtum pretium conſtituens, quo ipſo haud obſcure monopolia privatis ſeu ſubditis conceſſa probare, quæ vero populo extraneo conceſſa improbare videtur.

§. CLXXIV.

Affirm. Nobis quidem ejusmodi monopolia ob rationem a Grotio adductam injuſta non videntur, atque ſi monopolæ eodem abutuntur, illud ſaltem per accidens contingit. In quantum vero eadem conſtitui publicæ rei conducat, ex prudentiæ regulis pro temporum & ſtatus ratione dijudicandum. Hinc ſolius lucri cauſa monopolia non indulgenda, cum reliquis ſint noxia, atque Reipublicæ pernicioſa, quare & prohibentur tot. tit. C. de Monopol. & Ordin. Polit. 1577. tit. 8. & 37. Quæ vero commercia magnos ſumtus requirunt e. c. Societatum Indicarum vix ſine monopolii jure poſſunt exerceri, & nihilo ſecius valde ſunt utilia. Sic porro tutius privato ac ſubdito, qui, ſi nimium exinde lucrum vult captare, in ordinem redigi facilius poteſt, monopolium conceditur, quam Principi extraneo. Hinc Gedanenſes accipere noluerunt conditiones ab Hiſpanorum Rege oblatas, ut ſuum frumentum ſolis Hiſpanis venderent, teſte *Puffendorf.* de Reb. Suec. L. 1. §. 52. Conf. dicenda L. 2. T. 13. §. 642.

§. CLXXV.

De anima, corpore, fama, an paciſci licet. Circa privata ſua bona Reges ac Principes liberrima diſponendi facultate gaudere, ſæpius monitum. Num vero & in quantum anima, corpus, fama, &c. obligari poſſint, otioſæ videntur quæſtiones. Nec anima nec corpus dominio noſtro ſubeſt, ſed eorum ſaltem cura nobis incumbit, qua de cauſa obligari proprie nequeunt vid. Tit. 7. §. 249. Certe cum anima in ſenſus non incurrat, adeo ut ne quidem conſtet, quid ſit anima, omni civili effectu ejusmodi obligatio deſtituitur. Sed nec corpus ejusve membra ſunt in commercio. Nam in mancipiis, nec non iis, qui ſe obſtagii jure obligant, item in iis, qui ſuæ fidei relinquuntur, die auf parole loß gelaſſen werden * non ipſa corpora eorum, ſed libertas ſola venit in obligationem. Quare nec pro lubitu de eorum corporibus poteſt ſtatui. Æſtimatio vero, quæ ex Lege Aquilia debetur, ſolam damni dati reparationem,

non

non alienandi facultatem involvit. Cadaverum & reliquiarum nundinationes ſicut in genere valde ſunt exorbitantes ac irregulares, ita ad corporum commercium vix referendæ. Fama denique ab aliorum opinione pendet, nec proinde noſtro arbitrio ſubjacet. Jus autem & obligatio quam alii famæ intuitu nobis debent, ne ſcil. illam lædant, in tantum omnino poteſt remitti, ut alter impune conviciis nos afficiat in caſum fracti promiſſi, utut parum conſultum ſit, ejusmodi ſecuritatibus ſibi proſpicere. Certe qui fidem fallere parvi æſtimat, ne conviciis afficiatur, parum curabit & raræ ſunt exempla irrogatæ infamiæ ob non ſervatam promiſſionem ſub famæ amiſſione e. c. bey Adelichen Ehren factam.

* Pactum quo promittitur reditus ad cruciatus ſuſtinendos, quale erat Reguli vid. Tit. 5. §. 205. illicitum & contra officia ſibi debita pronuntiat *Glafey* im Vernunfft- und Völcker-R. p. 501. Sed jus ſupplicium ſumendi hoſtis non ex pacto, ſed victoriæ jure habet. Per pactum tale mortem mihi non adſciſco, ſed ſupplicii dilationem impetro, quæ & ipſa pro beneficio reputanda.

§. CLXXVI.

Vidimus bona, quæ pacti objectum conſtituunt. Superſunt facta. Ea naturalis omnium hominum eſt libertas, ut cuncta, quæ a Deo nec præcepta nec prohibita ſunt, vel facere vel omittere poſſint. In illicitis enim & prohibitis conſenſus nullum plane effectum poteſt habere, ſicut nec diſſenſus in abſolute præceptis. Ad ea vero quæ nec præcepta nec prohibita ſunt, vel ideo, quod indifferentia ſunt, pro lubitu quis & ſpecialiter mediante pacto ſe determinare valet. Quoties igitur quis pacto ad aliquid faciendum vel omittendum ſe adſtringit, in tantum naturalem ſuam libertatem abdicat, adeo ut non modo libertas in commercio eſſe, ſed & omne de faciendo vel non faciendo pactum in libertatis abdicatione ſeu reſtrictione conſiſtere animadvertatur. Variis autem diverſisque modis libertas abdicatur. In ſpecie ſi privati imperii cauſa abdicatur, inde oritur ſervitus *, ſi publici imperii cauſa, producitur ſocietas civilis ſeu Respublica, ſi denique ſolius ſecuritatis cauſa, conſtituuntur obſtagia ſeu captivitates ſpontaneæ, ſi alius privatæ utilitatis cauſa libertatis particulam abdicat, oriuntur varia contractuum genera. De ſervitutibus

Ad facta indifferentia valida obligatio.

& ſocietatibus civilibus agere in præſenti noſtrum non eſt. De obſtagio dem Einlager infra ſuo loco dicetur.

* Pro variis ſervitutum generibus libertas nunc magis nunc minus abdicata cernitur. Minime omnium in contractibus innominatis. Magis in famulis. Adhuc magis in hominibus propriis. Quod quidem ultimum ſervitutis genus per libertatem Chriſtianam abrogatum nonnulli fruſtra interſerunt. Libertas Chriſtiana ſolam liberationem a lege ceremoniali, non a reliquis inſtitutis ſive divina ſive humana ſint, involvit.

§. CLXXVII.

ad impoſſibilia non item. Quæ vero præciſe facta pacto promitti poſſint, ex ipſa eorum indole dijudicandum. Impoſſibilium phyſice talium, eo ipſo quod impoſſibilia ſunt, & præſtari nequeunt, fruſtranea eſt promiſſio. * Sed nec moraliter impoſſibilia, ſeu lege prohibita, valide promitti, modo audivimus. Qui enim lege ad non faciendum obligantur, ad idem faciendum obſtringere ſe nequeunt, eo ipſo quod ipſorum actus legislatoris arbitrio ſubſunt quodque obligatio qua legislatori tenentur, ſi non ſemper antiquior, certe fortior eſt illa, qua ex promiſſo tenentur. Præceptorum denique, ſive talium ad quæ aliquis jam dum lege obligatur, ſuperflua eſt promiſſio niſi per eandem alteri, cui e. c. antea imperfecte obligabar, jus fortius magisque determinatum, aut ſaltem facilius illud conſequendi medium acquiratur. Reliquum igitur eſt ut ſola facta indifferentia verum ac juſtum pactorum objectum conſtituere dicamus.

* Si tamen impoſſibilitatem, quæ tempore pacti adfuit, ſolus ſcivit promittens, ad intereſſe tenetur quia alterum invitum læſit: Nonnulla in ſe ſpectata ſunt quotidiana ac poſſibilia, at impoſſibilia reſpectu promittentis, quorum promiſſio eo ipſo eſt fruſtranea e. c. ut ſol ſplendeat. Figurate tamen nonnunquam per ejusmodi impoſſibilia denotantur poſſibilia, quorum valida eſt obligatio. Refert *Lopeſius Gomara*, Mexicanos Reges, cum inaugurantur, jurare: effecturos ſe, ut ſol curſum ſplendoremque ſuum teneret, nubes pluerent, rivi currerent, & terra produceret omne genus frugum. Hoc juramentum abſurdum non eſt, ſed id

id sibi vult, velle Reges, quantum in se est, Reipublicæ felicitatem promovere.

§. CLXXVIII.

Nec aliud in ipsis summorum imperantium pactis obtinet, qui pariter *quod ad*
ne quidem sub publicæ utilitatis aut necessitatis obtentu illicita promittere *Principes*
valent, sed si forte de facto promittunt, tali promisso non tenentur, ac in *applica-*
iis quoque obtinet, quod in genere dicitur, peccare qui illicita promittit, *tur.*
sed bis peccare, qui præstat, illudque *Isidori* caus. 22. qu. 4. Can. 5. In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti ne facias. Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur. Hinc Turcæ pacem contra Alcoranum factam recte frangunt. Vide Jus Militare Turcarum, quod *Adrianus Relandus* subjunxit suis de Religione Muhamedanorum Commentariis. Hinc Princeps innoxium hosti dedere nequit, etiamsi ejus deditionem promiserit. * Conf. Tit. 3. §. 120. in fin. Hinc denique Princeps licet recte ea promittat, quæ aliquale quidem Reipublicæ detrimentum afferre videntur, in effectu tamen majus malum avertunt, nequit tamen promittere ea, quæ totalem Reipublicæ ruinam sunt allatura e. c. vitia non punire. **

* Vid. tamen *Grotius* L. 2. c. 25. §. 3. Addatur fabula *Demosthenis* Athieniensibus, a quibus Alexander M. Oratores petierat, proposita de pace inter lupum & oves sub conditione canes dedendi apud *Justin.* L. 10. c. 4.

** Quid igitur sentiendum 1) de privilegio quo e. c. Austria pollet recipiendi bannitos? Resp. per illud delinquentibus sive bannitis non simpliciter venia datur, sed Archi-Ducis arbitrio relinquitur, num iis asylum præbere velit, nec ne? Nec protinus Reipublicæ ruina sequitur, si uni alterive delinquenti fit gratia, sed id, quod diximus saltem accipiendum de casu, si Princeps *nulla* vitia punire promitteret. 2) de promissione & juramento quo Imperator art. 1. Capitulationis suæ Papam sedemque Romanam tueri pollicetur. *Titius* in Specim. Jur. publ. L. 5. c. 5. §. 4. hanc obligationem consensu saltem particulari imponi, & Vice-Deatum respicere, adeoque inefficacem censet. Neutrum tamen admittendum

dum videtur. Nec enim Capitulatio, quæ ab Electoribus omnium Statuum, tam Pontificiorum, quam Protestantium nomine Imperatori præscribitur, particulari consensu imponitur, neque hæc promissio Vice-Deatum respicit, sed sola illa sacrorum jura, quæ alias regulariter in quavis Republica summo imperanti, in Imperio autem Germanico vi pactorum legitimorum Pontifici Romano competunt, ut plane opus non sit, hoc in passu legibus Germaniæ fundamentalibus inefficacem quandam obligationem affingere. Majus dubium se exerit 3) circa pactum & juramentum, quo e. c. Princeps hereticos extirpare promittit. Improbari illud nequit, quatenus hereticorum extirpatio fit mediis licitis, non violentis, amica informatione, convictione &c. Sic Guilielmus III. Magnæ Britanniæ Rex jusjurandum de extirpandis hereticis præstitum stricta hac interpretatione temperavit, quod persecutionis necessitas ipsi haud sit imposita. Vid. *Hochstetter* Colleg. Puffendorf. p. 317. At ubi in Regno quodam lege fundamentali religio certa est stabilita, ut eam Rex persequatur promittere aut jurare nequit. In Suecia, ubi sub Gustavo I. Rege religio Lutherana lege fundamentali ita est recepta, ut qui eam deserit, jure suo in Regnum cadat, cum nepos ipsis Sigismundus III. recepto aureo vellere jurasset, se Romanam fidem propagaturum, hereticis prorsus extirpatis, Sueciæ Regno propterea fuit exutus. Vid. exegesis historica causas commemorans, quibus Ordines Regni Suecici provocati Sigismundum Rege Poloniæ ejusque progeniem Suecano exuerunt diademate Francof. 1617.

§. CLXXIX.

Super crimine quæ pacta licita?

Ferri ex dictis poterit judicium de promissis, pactis, & transactionibus super crimine factis. Et quidem pacta de condonando crimine patrato, remittenda injuria illata, nil vitii alunt. Crimen quidem est injuriam inferre, at condonare, remittere vitio vacat. Leges civiles permittunt transactiones super criminibus privatis, item super publicis NB. *capitalibus*. At si transigatur super delicto publico, cujus pœna capitalis non est, tunc actor incidit in crimen falsi, & reus pro confesso habetur L. 18. C. de Transact. *

L. ult.

L. ult. Dig. de prævaric. quod merito durum videtur *Titio* ad Lauterb. Obſ. 71. cum transactio ſuſpectum quidem, non autem ſtatim confeſſum faciat. Quid vero de pactis ſuper crimine patrando, & demum committendo initis, ſentiendum ſit, fuſius dicetur L. 2. T. 6. §. 501. Hic monuiſſe ſufficiat, ipſum delictum promiſſum non eſſe committendum, at eodem commiſſo naturaliter deberi, quod ejus intuitu promiſſum. Nam licet delictum remunerare, æque ſit illicitum ac ipſum delictum, hoc tamen inter correos criminis ob parem, quæ inter ipſos deprehenditur, turpitudinem urgeri nequit. Leges autem civiles prudenti inſtituto actionem negant ei, cui ob turpem cauſam quid promiſſum. Plane veniam criminis futuri, ſub conditione ſi reſipiſcatur, promiſſam revocari non poſſe, indubium videtur. Talis enim venia non tam ad deliquendum quam reſipiſcendum invitat. Unde venia militiæ deſertoribus intra certum tempus redeuntibus propoſita in ipſis exaratis deſuper tabulis publicis, ad eos etiam ſolet extendi, qui poſt illas exaratas & publicatas vexilla ſua deſerturi ſint.

* Cujus legis occaſione Doctores acriter diſputant, an maritus cum adultero de adulterio commiſſo poſſit tranſigere? Puto quod ſic, modo abſit omnis lenocinii ſuſpicio. Inter ſummos Principes res dubio caret. Waldemarus II. Angliæ Rex ab Henrico Suerinenſi Comite, ob adulterium cum hujus uxore commiſſum 1223. captus, nonniſi ſub conditione ſolvendi 45000. marcas argenti dimittebatur.

§. CLXXX.

Dubium ſæpenumero ſuboritur, quænam facta ſint licita nec ne? quod vel de legislatoris voluntate clare ſatis conſtat, vel officia pluribus debita inter ſe collidunt, quibus caſibus nunc ad præſumtiones recurrendum, nunc diſpiciendum, utra obligatio ſit fortior, aut ſi utraque æque fortis, utra ſit antiquior? Sic ubi duella, ideoque & pacta duelli ſuſcipiendi cauſa, ſunt illicita, quæritur, an & prohibita ſint pacta, ubi citra rancorem fortitudinis & virium experiundarum cauſa, de pecunia utrinque depoſita vel ſaltem promiſſa, pugnis, fuſtibus aut gladiis decertatur. In Anglia talia pacta ſunt frequentiſſima, ibique eadem ſuſtinentur. Secus forte de Germania ſentiendum. Certe cum quidam in convivio ingentem pecuniæ ſum- *Dubium ſæpe, quæ facta ſint licita?*

mam obtulisset, si quis ipsi colaphum impingere sustineret, aliusque inveniretur, qui interrogato prius, num serio hoc ageret, & postea annuenti, dextramque porrigenti, insignem infligebat alapam, laboreque peracto, pecuniam promissam petiebat, eam tamen non deberi existimarunt *Schilter.* Prax. Jur. Rom. Exerc. XXI. §. 23. lit. V. & *Jacob. Frid. Ludovici* de natura & interpretatione sponsionum p. 14. sq. Cur ita? injuria prætendi nequit. Volenti enim non fit injuria, * nec jocus, utpote prævia interrogatione & responsione seria exclusus. Nullam igitur aliam ob rationem, quam quia certamina singularia sunt prohibita & illicita. De re autem illicita nullum ac irritum promissum.

* *Puffendorfii* de Off. Hom. & Civ. L. 1. c. 9. §. 18. hæc est philosophia, non servari debere promissa, quæ illi, cui fiunt noxæ sunt futura, cum naturali lege prohibitum sit, ne quis alteri etiam stolide volenti malum inferat. Sed multis restrictionibus, (inprimis illi, quod *quæ ei cui promittuntur sunt noxia, & NB. ei qui promittit nulla ratione prosunt, servari non debeant*) hæc sunt obnoxia. Alias enim & si crude nimis acciperentur, facillime inde ansa quævis pacta rescindendi arriperetur.

§. CLXXXI.

In collisione obligatio fortior & antiquior cedit debiliori recentiori.

Collisionis exemplum præbet pactum, quo captivus ab hoste dimittitur sub promissione & armis contra dimittentem nunquam ferendis. Redit captivus in patriam, recipit pristinum statum, vel novum plane in patria obtinet officium, cujus intuitu de novo Principi suo fidelitatem & obsequium jurat. Recrudescit interim pristinum bellum. Quid igitur numne potius fides hosti aut patriæ data servanda? Fatentur omnes abstinendum esse ab armis contra hostem ferendis, quia obligatio, qua talis captivus hosti, qui eum servavit, & cui vitam debet, est fortior illa, quæ patriæ tenetur. Conf. *Grotius* L. 3. c. 23. §. 8. ubi ex Polybio affert exemplum Numidarum ab Amilcare dimissorum sub lege, ne adversus Carthaginenses eorum quisquam arma hostilia ferret. Aliquando tale promissum ad tempus certum restringitur. Urbe Guastalla d. 9. Sept. 1702. expugnata obsessi,

quorum

quorum ſummus Præfectus erat Solari, promittebant usque de 1. April. arma contra Gallos & Hiſpanos nulla ferre.

§. CXXCII.

Nonnunquam factum aliquod per ſe eſt licitum, & demum ex accedentibus circumſtantiis, imo ex ſolo interveniente pacto fit illicitum. Unde tale factum recte quidem ſuſcipitur. Male autem pactum de eodem initur. Sic religionem mutare in ſe illicitum & turpe non eſt, ſed tale fit per pactum, quo quis ſe ad Apoſtaſiam perduci patitur. Quare tale pactum merito reprobatur. Confer dicenda L. 2. T. 6. §. 504. Illicita autem non ſunt pacta, quæ indirecte ſaltem ad Apoſtaſiam invitant, quippe quod ex accidenti ſaltem contingit. *Turpe factum ob accedentem a pacto neceſſitatem.*

§. CXXCIII.

Alia adhuc facta in ſe conſiderata itidem ſunt licita, ſed ob peculiarem favorem lege civili prohibentur aut infirmantur, adeoque civiliter fiunt illicita aut invalida. Huc refero quod transactiones, compromiſſa, & juramenti delatio contra matrimonium non admittantur cap. fin. X. de transact. cap. 9. fin. X. de in integr. reſtitut. porro quod mulierum fidejuſſiones non valeant vid. §. 792. item quod transactio ſuper alimentis futuris teſtamento relictis non valeat ſine cauſæ cognitione & decreto L. 8. Dig. de transact. quod eousque extendunt nonnulli, ut ipſum juramentum deſuper interpoſitum nullum exiſtiment, & temere ſic jurantem puniendum cenſeant. it. quod transactio ſuper relictis teſtamento, cujus tabulæ non ſunt inſpectæ, aliter non valeat, quam accedente juramento arg. L. 6. Dig. de transact. *Pacta civiliter irrita.*

§. CXXCIV.

Ipſa Gaji ſeu Caji verba ita ſonant in L. 6. Dig. de transact. de his controverſiis, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, neque tranſigi neque exquiri veritas aliter poteſt quam inſpectis cognitisque verbis teſtamenti. Et in L. 1. §. 1. Dig. teſtam. quemadm. aperiantur: neque enim ſine judice tranſigi neque apud judicem exquiri veritas de his controverſiis, quæ ex teſtamento proficiſcerentur, aliter poteſt, quam inſpectis cognitisque verbis teſtamenti. Propter has leges plerique Doctores illicitam ac invali- *Transactio*

validam putant ejusmodi transactionem. At *Anton Faber*, *Pagenstecher*, *Schulting*, *Noodt*, *Gundling*, *Heineccius* aliique valere ejusmodi transactionem putant, & Caji verba non prohibitionem sed consilium involvere, ceu ipsa verborum docet inspectio.

§. CXXCV.

non inspectis *Carol. Frid. Schuberth* in dissertatione de justitia transactionis testamenti nondum inspectis tabulis ob sublatam vicesimam hereditatum Helmst. 1749. existimat, olim talem transactionem fuisse prohibitam, ne per eam defraudetur vicesima hereditatum & donationum, quas morientes aliis, quam proximis agnatis & pauperibus, relinquebant, constituta ab Augusto A. U. C. 759. teste *Dione Cass.* L. 55. add. L. 23. C. de testam. Postquam autem a Justiniano hæc vicesima circiter post annum Christi 524. fuerit abrogata, cessare hanc prohibitionem & ex incuria Triboniani irrepsisse in Digesta. Sed audax nimis videtur, Triboniano vel ignorantiam abrogatæ vicesimæ hereditatum, vel incuriam exprobrare. Nondum satis est evictum, verba Caji continere prohibitionem, & si continerent, pariter non probatum, causam hujus prohibitionis in vicesima hereditatum latere. Unius rei plures esse possunt causæ. Ac si forsan hæc causa cessaret, non tamen illico ipsa legis dispositio vel prohibitio protinus cessaret. Sic septenarius testium testamentariorum numerus originem debet antiquæ venditioni per æs & libram. Vid. dicta de hered. tit. 29. §. 663. quis autem dixerit, cessante venditione per æs & libram cessare quoque debere numerum testium testamenti.

§. CXXCVI.

testam. tabulis Mihi circa transactionem non inspectis testamenti tabulis casus diversi probe a se distinguendi videntur. Si ab alterutra parte testamentum dolose supprimitur, transactio repertis tabulis recte rescinditur. Si transigens tabulas quidem non inspexit, at ab alio vera earum contenta rescivit, ac transegit? pœnitere postmodum nequit sub obtentu, quod tabulas non inspexerit. Si vero falsa contenta transigenti fuere narrata, ex capite erroris rescindetur transactio, qui est casus L. ult. C. de reb. credi-

creditis, ut & ſi plane ignoravit tranſigens, adeſſe teſtamentum vel codicillum L. 12. Dig. de transact. Quodſi vero norunt tranſigentes, adeſſe teſtamentum, at ignorarunt contenta, & nihiloſecius volentes ac aperturæ & inſpectioni renuntiantes tranſegerunt, valida erit transactio, multoque magis ſi juramentum acceſſit. Abſurdum enim eſt, eum qui totum remittere poteſt donationis cauſa, parte debiti contentum eſſe non poſſe, re adhuc in certa. Tertio tamen id omne fraudi eſſe non debet, ac ſi forſan pro publicatione teſtamenti ex lege vel conſuetudine quicquam debetur, & tranſigentes ideo tabulis non inſpectis tranſegerunt, ut his ſumtibus parceretur, exigi illo nihilominus poterunt.

§. CXXCVII.

factorum alienorum promissio num obligat

Propria facta, quæ promitti poſſunt, vidimus. Superſunt aliena. Hæcce promittimus vel mandatario nomine, & tunc ſolos internuntios agimus, nec tali promiſſione obligamur, vel ita promittimus ut ipſi obligari exinde velimus, quod *guarantir* * Galli vocant, & tunc iterum diſtinguendum, an promittatur factum alterius, ad quod jam dum obligatus eſt, an tale ad quod obligatus non eſt. Prius negotium nomine *fidejuſſionis*, poſterius *ſponſionis* in ſpecie ſic dictæ ** venit. In fidejuſſione, de qua ſuo loco ex inſtituo agetur, debitores ſubſidiari & eventuales conſtituimur. In ſponſione autem ſeu promiſſione facti alieni, ad quod tertius ille nondum eſt obligatus, pro negotii indole & caſuum varietate variat quoque obligatio qua ſpondens ſeu ſponſor tenetur.

* Guarantir Gallis proprie idem ſonat, quod Germanis die Gewehr leiſten, evictionem præſtare, in genere autem quamvis facti alieni promiſſionem denotat, adeoque & fidejuſſionem comprehendit de qua L. 2. Tit. 20. & ſponſionem in ſpecie ſic dictam, de qua h. l. & promiſſionem de evictione præſtanda de qua L. 1. T. XI. Nam ipſa evictionis præſtatio in effectu continet facti alieni promiſſionem, ne ſcil. alius quispiam rem, quæ in pactum deducitur, ſibi attribuat. *Henr. Coccejus* in diſſ. de Guarantia, paci sGuarantiæ nomine comprehendit omnia ſecuritatis vincula, cautionumque firmamenta e. c. juramenta a

paciſcentibus pactis addita, clauſulam fidei Principalis vel equeſtris, pignora, obſides, indeque ipſos paciſcentes proprii ſui facti Guarantiam poſſe præſtare infert. Quo ipſo partim ad Guarantiam refert negotia, quæ ad eandem haud pertinent, partim ab ea excludit talia, quæ ſub eadem comprehenduntur. Auſim affirmare nuſpiam obſides guarantatorum nomine venire, nuſpiam etiam guarantiam de *proprii facti* aſſecuratione ſeu cautione prædicari. Novi quidem in pace Olivenſi art. 35. & in aliis pacificationibus paſſim ipſos paciſcentes ad guarantiam ſe obſtringere, ſed NB. non propriorum, quæ promiſerunt, factorum ſed compaciſcentium ſuorum, ad evictionem mutuam & defenſionem reciprocam, *ſi contingat unam partem ab altera impeti*, prout in dicta pace Olivenſi res diſerte explicatur, ut proinde ſecuritas ſuper facto *proprio* interpoſita male Guarantiæ nomine a Coccejo inſigniatur. Econtra ſi Coccejanam Guarantiæ notionem ſervaremus, ſequeretur, quod Guarantia ſemper debeat eſſe pactum acceſſorium, quodque proinde Guarantiæ nomen non quadret in promiſſionem facti alieni, ad quod tertius obligatus non eſt, quam tamen communis loquendi uſus itidem Guarantiæ nomine inſignit e. c. wenn einer Parthey die ſtreitige Succeſſion von einem tertio guarantirt wird. Quæ Guarantia concipi ac fieri poteſt, etiamſi inter competentes nullum pactum principale præceſſerit.

** Sponſio in genere ſignificat omnem ſtipulationem promiſſionemque L. 19. Dig. de Ædilit. Edict. L. 7. Dig. de Verb. Sign. Sed & ſpecialiores ſignificationes ſponſio recipit. Aliquando idem ſonat ac fidejuſſio, quo ſenſu ſponſor pacis æquipollet fidejuſſori, ſeu guarantatori pacis. Aliquando ſponſio denotat conventionem, ubi de veritate vel eventu alicujus rei contendentes aliquid quod victori cedat, promittunt, eine Wettenſchafft de qua L. 2. T. 6. §. 495. ſqq. hic autem ſumitur, pro pacto, ubi quis alicui factum tertii, ad quod ille non obligatur, promittit, quo ſenſu occurrit in famoſa illa ſponſione Caudina & Numantina.

§. CXXCVIII.

§. CLXXXVIII.

Quando enim tertius ille, de cujus facto agitur, in nostra est potestate, vel saltem penes nos stat, ad illud faciendum eum adigere, facile patet, nos non tam alienum, quam proprium factum promisisse, nimirum nos curaturos ut faciat, quod si omittimus, omnino ad interesse vel evictionem tenemur. Sic Princeps qui promisit factum subditi, Respublica quæ promittit factum Principis eligendi, victor qui promittit factum Principis, quem victricibus suis armis in regnum unde erat pulsus restituit, tali facto non secuto omnino tenentur ad interesse. Stat enim penes Principem ad illud compellere subditum, stat penes Rempublicam, Principem eligendum nonnisi sub conditione præscripta faciendi eligere *, stat denique penes victorem, Principem pulsum prius non restituere, quam postulata adimpleverit.

ad interesse si adigere tertium possumus.

* Belgæ in pace cum Cromwello Angliæ Protectore 1654. inita promittunt, si quem electuri essent vel Capitaneum generalem, vel Imperatorem militiæ, vel Amirallum, eos omnes devinctos fore istum Tractatum juramento confirmare, observare, exequi &c.

§. CLXXXIX.

Econtra quando in potestate spondentis non est, tertium cujus factum spondet, ad illud adigere, ea saltem paciscentium fuisse videtur intentio, ut spondens omnem, quam potest, adhibeat diligentiam, qua forte tertium ad faciendum disponere * valet. Neque enim imputari ei potest, quod non præstiterit, quod nemo præstare potest, incertum & ab aliena voluntate pendentem eventum, graviter scribit *Gribner* Princip. Jur. Nat. L. 3. c. 5. §. 7. In Pace Ultrajectina Ludovicus XIV. Galliæ Rex Belgis promiserat, se curaturum ut Coloniensis Elector ipsis Bonnæ aliquid cederet. Nolebat postea Coloniensis. Sufficiebat Gallum omnem, quam poterat, apud Coloniensem adhibuisse operam, nec æquivalens aliquod erat præstandum. Anno 1732. Imperator Romanus & Russorum Impe-

alias ad diligentiam

Imperatrix Daniæ Regi promiſerunt, ſe curaturos ut Dux Holſato-Gottorpienſis a Danorum Rege pro ſuis prætenſionibus 1000000. thl. accipiat, deſuperque intra biennium Apocham tradat. Effectus hujus ſponſionis hic eſt, ut ſponſores omnem adhibeant diligentiam apud Ducem Slesvicenſem ad conditionem accipiendam, & ſi forte eandem recuſet, ſuisque prætenſionibus inſiſtat, bellove Regem petat, ut ſuppetias Regi ferant.

* Romani verba captabant, & ſi quis alium facturum promiſerit, non obligabatur, quodſi effecturum ſe ut alius daret ſpoponderit, obligabatur §. 3. Inſt. de inutil. ſtipul. Sed hanc formulariam ſubtilitatem ab uſu receſſiſſe, & factum proprium tacite ſubintelligi monet *Beyer* Jur. Germ. L. 3. c. 5. in fin.

§. CXC.

Tales ſunt ſponſiones legatorum

Frequentes tales ſunt ſponſiones legatorum, quibus facta Principalis ſui, quorum promittendorum mandatum non habent, Principi apud quem agunt, ſpondent. Tales legati ad ſolam tenentur diligentiam, domino ſuo referendi & repræſentandi ea, quæ acta ſunt, quæ ſi ratihabere dominus nolit, legati ſuum fecerunt, nec ad id, quod intereſt, ulterius ſunt obligati. Fruſtra eſt *Grotius* dum L. 2. c. 15. §. 3. & 16. exiſtimat bona primum ſponſorum ad id quod intereſt, & ſi ea non ſufficiant, corpus ad ſervitutem obligari. Stricta, quam pacta poſtulant, interpretandi ratio duram ejusmodi extenſionem haud admittit. Poſthumii orationem, quæ huic ſententiæ occaſionem dedit, ipſi improbarunt Caudini. Vid. §. ſq.

§. CXCI.

Caudina & Numantina.

Talis quoque ſponſionis rationem habent bellica pacta a Ducibus præter datam poteſtatem facta. Illuſtre exemplum præbet ſponſio Caudina & Numantina. Caudinam deſcribit *Livius* L. 9. pr. Pacem fecerant Conſules Romani Poſthumius & Veturius cum exercitu ſuo a Samnitibus in anguſtias redacto. Populus Romanus poſtea improbat pacem interſerens, Conſules

ſules poteſtatem pacem faciendi non habuiſſe. Debuiſſent Samnites exercitum Romanum clauſum tenere, & per legatos prius Senatus Populique Romani ſententiam exquirere, quo omiſſo populus ad nihil obligabatur. Cum me, inquit Poſthumius apud Livium, ſeu turpi ſeu neceſſaria ſponſione obſtrinxi, qua tamen quando injuſſu populi facta eſt, non tenetur populus Romanus, nec quicquam ex ea præterquam corpora noſtra debentur Samnitibus. Dedamur per feciales nudi vinctique Negabant tamen eos recipere Caudini, dicentes publicam violationem fidei non debere unius lui ſanguine, teſte *Vellejo Paterculo* L. 2. pr. De Numantina ſponſione Epitome Liviana Lib. 55. Senatum, ait, Romanum vetuiſſe ratam eſſe pacem quam C. Hoſtilius Mancinus cum Numantinis fecerat, omneque dedecus Mancini deditione expiatum cenſebant Romani. Add. *Flor.* Hiſt. Rom. L. 2. c. 18. *Thomaſ.* pec. diſſ. de ſponſion. Caudina & Numant. Simili ratione Camillus Dictator Romanus conventionem a Manlio cum Gallis initam improbavit apud *Livium* L. 5. c. 48. ſq.

TITULUS V.

DE

Pactorum forma & requiſitis

ſpeciatimque conſenſu ejusque impedimentis

Errore, dolo ac metu.

* *
*

Pactum conſiſtit in conſenſu ad aliquid vel dandum vel faciendum vel non faciendum. Conſenſus excludit errorem & dolum, qui pacti eſſentialia ingreditur, nec non vim injuſte illatam. At belli metus cum ſemper cenſeatur juſtus, quæ eodem extorta ſunt promiſſa, vix unquam metus exceptione recte revocantur. Deficientem vel vitioſum conſenſum ratihabitio ita ſupplet, ut ad negotii quoque initium retrotrahatur. Solennitates pactorum ſubditis præſcriptæ ipſos Principes legislatores nec ſtringunt nec juvant, quos & ex promiſſo ſine cauſa teneri exiſtimo.

§. CXCII.

§. CXCII.

Forma pactorum alia est *substantialis*, quæ ipsa essentia pacti continetur, & necessario adesse debet, quorsum in omnibus pactis spectat consensus: alia *naturalis* quæ complectitur vim & proprietates pacti, quæ eidem regulariter insunt, at mutuo paciscentium consensu possunt mutari e. c. evictio in negotiis onerosis, alia denique *accidentalis*, quæ pro paciscentium arbitrio constituitur, quorsum spectant solennitates in pactis condendis adhiberi solitæ. Hic inprimis sumus solliciti de forma pactorum substantiali, quæ justo paciscentium consensu absolvitur. Consensus ex ipsa pactorum indole est necessarius, utpote sine quo nullum pactum nec fingi quidem aut concipi potest *. Est autem consensus mutuæ voluntatis declaratio. Voluntas autem decretum rei amplectendæ. Tale decretum præsupponit cognitionem rei, quæ sine rationis usu obtineri nequit. Quibus positis facile erit ad dijudicandum, quis paciscentium consensus justus sit nec ne? & in quantum error, dolus, vis ac metus exulare a pactis debeat? *Forma pacti consensus*

* Unde sequitur solo unius facto nullum pactum constitui, sed alterius acceptationem omnino esse necessariam. Alia autem est quæstio, num unius facto citra acceptationem alterius constitui possit obligatio, de qua L. 2. T. 5. §. 481. Minus accurate loquitur *Beyerus* Jur. Germ. L. 3. c. 6. pos. 35. dum pactum liberatorium ait esse posse sine acceptatione. Liberatio quidem & renuntiatio valida est citra acceptationem, non tamen vocari potest pactum ante secutam acceptationem.

§. CXCIII.

Error, (qui ita differt ab ignorantia, ut error esse non possit absque ignorantia, sed ignorantia sæpe absque errore) est existimatio, qua verum vel certum esse putatur, quod falsum aut incertum est. In quæstione igitur an error vitiet pactum, probe secernendus est error accidentalis, seu concomitans, ab efficaci seu illo, qui ipsum pactum in partibus suis essentialibus afficit. Accidentalis pactum vitiare nequit, quia extra sphæram pacti versatur. At error qui ipsum pactum in partibus suis essentialibus *quem excludit error efficax seu essentialis.*

 afficit,

afficit, illud omnino vitiat * ob defectum cognitionis, sine qua nec voluntas nec consensus intelligitur, solo casu excepto ubi is, qui ex errore se læsum interserit, eundem vitare potuisset ** ipseque in culpa est, quod eundem admiserit, tunc enim damnum, quod propria culpa sentit, sentire non videtur. *** Alias autem error substantialis semper a pacto liberat **** sive ab alterutra paciscentium parte, sive a tertio quodam erroris causa fuerit data. Priori enim casu alterius culpa vel dolus & delictum concurrit, quo sane ditari non debet, posteriori autem objici quidem posset factum tertii paciscentibus fraudi esse non debere. Sed respondeo, agere quidem potest alter paciscentium, cujus interest, ut pactum capiat exitum, contra tertium, qui dolose erroris ansam præbuit, ad interesse, ipsum vero pactum propterea validum dici nequit, quia eidem deest rei cognitio, adeoque & voluntas, consensus & tantum non omnia pacti requisita. Plane si tertius citra dolum aut culpam paciscentibus errandi ansam præbuit, nec pactum erit validum, nec ad interesse tenebitur tertius, sed res omnis ad casus fortuitos, quos nemo præstare tenetur, pertinebit. Conf. *Grotius* L. 2. c. 11. §. 6. *Puffendorf* de Off. hom. & civ. L. 1. c. 9. §. 12. ibique *Titius*.

* Hinc error ex æquivocatione ortus pacta plerumque reddit irrita. Sic si e. c. Honorius Imperator Romam alicui vendidisset, & emtor urbem Romam, Honorius autem gallinam suam, cui Romæ erat nomen, quamque maximi æstimabat, intellexisset, irritum fuisset totum negotium. Ex eodem fundamento facultas Juridica Jenensis 1683. stipulationem vel sponsionem (Wettenschafft) quam civis quidam Quedlenburgensis cum ruricola inierat super quæstione, quot sint cœli, cive decem cœlos, ruricola unum asserente, inutilem, nullam ac irritam pronuntiavit, quoniam ruricola per cœlum sedem beatorum, civis autem sphæras cœlestes intellexerat. Vid. §. 23. Inst. de inutil. stipul. & dissert. *Jac. Frid. Ludovici* de natura & interpretatione Sponsionum occasione dictæ sponsionis ventilatam Hal. 1704.

** Hinc indebiti condictione saltem repetitur id, quod per errorem vel ignorantiam *facti* est solutum. Quæ vero ex *juris* ignorantia indebita pecunia est soluta, non potest repeti L. 10. C. de juris

juris & facti ignorantia. Juris enim ignorantia est vincibilis, & evitari potuisset. Sic filiusfam. mutuum, quod reddidit, non repetit sub obtentu ignorati SCti Macedoniani L. 40. Dig. de Condict. indeb. Ob peculiarem autem favorem, & speciale privilegium etiam ex juris ignorantia solutum repetunt fœminæ fidejussores cit. Leg. 40. Dig. de Condict. indeb.

*** Leges civiles plures adhuc casus excipiunt, quibus indebite solutum repeti vetant, scil. si ex causa in qua lis inficiando in duplum crescit (veluti ex L. Aquilia & legato pietatis) indebitum quis solverit §. ult. Inst. de Oblig. quæ quasi ex contract. nascunt. L. 32. §. 2. in fin. Dig. de condict. indeb. it. si piæ causæ facta est solutio L. 32. §. 2. Dig. de Condict. indeb. Quod autem indebiti condictio cessat si transactionis causa indebitum solutum L. 65. §. 1. Dig. de Condict. indeb. non mere civile, sed naturale maxime videtur. Naturalis enim est ratio, quam dicta Lex subjicit his verbis: nam si lis fuit, hoc ipsum, quod a lite disceditur, causa videtur esse, sin autem evidens calumnia detegitur, & transactio imperfecta est, repetitio dabitur. Optime etiam in §. 2. sq. subjicitur, errorem circa causam impulsivam a donante admissum repetitioni locum non facere. Sufficit enim quod donare voluerit.

**** Ac si id, quod tali pacto promissum reapse præstitum, ac solutum fuerit, tanquam indebitum recte repetitur. Est scil. indebitum defectus obligationis nunc naturalis, quæ ex naturali, nunc civilis, quæ ex civili lege oritur, addunt nonnulli & mixtæ, quæ ex jure statutario oritur. Naturalis obligatio ubi deest promisso e. c. ob errorem circa pacti objectum, promissum adeo est nullum, ut, quod ex eodem reapse solutum, valide repetatur. Quid enim æquius, quam ut id, quod ex alterius bonis sine causa & prævia obligatione apud nos existit, eidem reddatur. Civilis autem obligatio ubi a lege denegatur e. c. in SCto Macedoniano res omnis a legislatoris arbitrio pendet. Cum enim actus subditorum imperantis arbitrio subsint, dubium non est, quin legislator promissa subditorum adeo nul-

la ac irrita pronuntiare possit, ut etiam id, quod ex tali promisso solutum, repeti queat. Interim cum jura ad liberandum quam obligandum sint proniora, legislatores quoque quoad retentionem naturalem æquitatem lege civili fortiorem esse voluerunt, & civiliter indebitum licet promissum sit, peti valide non sinunt, si vero reapse solutum, retineri permittunt, nec repeti sinunt exemplo filiifam. qui mutuum reddere non tenetur per SCtum Macedonianum, sed semel redditum, indebiti condictione non repetit L. 40. Dig. de Condict. indeb. L. 9. §. 4. 5. Dig. ad SCt. Maced.

§. CXCIV.

Dissentientium rationes excutere ab instituto erit alienum. Iis sane, qui errorem semper erranti nocere volunt, postulatum suum nonnisi sub multis restrictionibus concesserim. Qui vero distinguere satagunt, dederitne error causam pacto nec ne? itidem falluntur. Potest enim error mere accidentalis causam dare pacto, quod tamen ideo non vitiabitur e. c. si falso accepto nuntio de ædibus exustis alias emo, aut spe me a debitore pecuniam accepturum fretus tertio certam summam promitto, tunc omnino teneor ex emto & promisso, etiamsi error causam his negotiis præbuerit. Conf. Notam præc. *** in fin.

§. CXCV.

Dolus Dolus est calliditas ad alterum decipiendum adhibita L. 1. §. 2. Dig. de dol. mal. fitque vel verbis & tunc appellatur fallacia, falsiloquium, vel factorum technis, & tunc vocatur machinatio, simulatio. In quantum ejusmodi calliditas licita sit nec ne? ex fine cur adhibetur, æstimandum. Aut enim per eandem alterius jus læditur, aut non? Hoc casu calliditas *boni doli* nomine venit, ac nil vitii alit, nam suo tunc jure utitur decipiens. Spectant huc stratagemata bellica, & falsiloquia in bonum finem adhibita, atque in hostes omnino licita, dummodo sermone asserente, non promittente, vid. Tit. 3. §. 140. afferantur.. * Imo talis calliditas haud raro virtuti placet, & pro solertia est. Laudabilius quippe

est

eſt aſtu, quam ſanguinis effuſione hoſtem vincere. *Grotius* L. 3. c. 1. §. 6. ** Utut nonnulli e. c. Alexander M. nec non veteres Romani ob eximiam animi celſitudinem, viriumque fiduciam, furari ſe velle victoriam negaverint, & *Cicero* ex omni vita ſimulationem & diſſimulationem tollendam malit. Altero caſu ſi nimirum adhibetur calliditas ad jus alterius lædendum, *mali doli* nomine venit, qui eo ipſo, quod jus alterius lædit, ſemper involvit crimen, imo fons atrociorum criminum exiſtit.

* Innoxium eſt etiam promittente ſermone alios fallere, NB. ſi impoſſibilia in bonum finem promittuntur e. c. ſi ad ſedandum infantem vel furioſum lunam ipſi promittimus. Forte & huc ſpectat ſtratagema Concionatoris, qui auditores alliciendi ergo ſe cum diabolo locutum dixerat, eaque quæ ſibi diabolus aperuerit, proxima concione exponere promiſerat.

** Ad bonum dolum referre non dubito illum Gibeonitarum, peregrinos ſe eſſe ſimulantium. Joſ. IX. Decipiebant hoſtem ſermone aſſerente, non promittente, neminique proinde injuriam faciebant. Sed finge, eos injuriam eo ipſo feciſſe Joſuæ, & malum proinde ipſorum fuiſſe dolum, nihilo tamen ſecius circa accidentalia ſola verſabatur, & Joſua ex Dei præcepto Deut XX. 10. etiamſi veritatem fuiſſent profeſſi, veniam petentibus dare debuiſſet, nec pro conditione pacti erat peregrinitatis circumſtantia. Alias Joſua hanc conditionem exprimere diſerte debuiſſet. Quæ omnia pacti hujus validitatem ſatis evincunt. Sed & a poſteriore eadem exinde eluceſcit, quod Deus miraculo illud comprobavit, ſtante ſole cum Joſua pro Gibeonitis pugnaret Joſ. X. quodque Saul contra hoc pactum agens, trium annorum fame ſeptemque filiis multatus legitur 2. Sam. XXI. Alii contendunt, Joſuam non Gibeonitis ad pactum ſervandum fuiſſe obligatum, quia dolo elicitum, ſed Deo, quia juramento confirmatum. At juramenta ſaltem eſſe acceſſoria, & negotii principalis jure æſtimanda, alibi docebitur. Conf. *Grotius* L. 2. c. 13. §. 4. Alii nec ex pacto, nec ex juramento, ſed ex ſecuta poſt dolum compertum ratihabitione Joſ. IX. 16. negotium ſuſtinent.

§. CXCVII.

§. CXCVI.

Si substantialia pacti tangit, vel conditionis vicem subit.

Cave tamen inde inferas, omne negotium & pactum, quod circa dolus malus est commissus, ideo protinus est nullum ac irritum. Distinguendum potius est, numne dolus malus versetur circa accidentalia an circa substantialia pacti. *Priori* casu tunc demum pactum erit nullum, si id quod dolose simulatum, sustinet vicem conditionis, sub qua pactum est initum, id quod tamen a promittente non reticeri, sed specifice exprimi debet, quoniam conditionis adjectio tanquam res facti non præsumitur. Alias autem & si dolus circa pacti accidentalia commissus pro conditione non fuerit, pactum omnino erit firmum validumque, & is, qui dolum adhibuit, sive ipse ex paciscentium numero, sive tertius quispiam fuerit, saltem ad interesse tenebitur. *Altero* casu si nimirum dolus pacti substantialia tangit, in læsi arbitrio erit, velitne a pacto recedere, (imo rem jam dum vi pacti traditam repetere & vindicare,) an stante eodem, saltem ad id quod interest, contra decipientem agere, hanc potissimum ob rationem, quoniam læsus in tali versatur errore, ob quem pacta rescindi ostendimus §. 193. cui & alia accedit in casu, ubi ipsa altera paciscentium pars dolum commisit, quia nimirum suo delicto alterum nemo potest obligare * licet eodem ipse obligetur **

* Hinc David a Siba ministro Mephibosethi deceptus rescidit promissum, quod ei fecerat 2 Sam. XVI. 34. XIX. 29.

** Qu. an & ejus heredes? Resp. tenentur ex dolo defuncti non ad pœnam sed interesse civile. Sed an in solidum an saltem in quantum ad eos pervenit. Prius naturali juri congruit, quippe quod simpliciter heredem facta defuncti præstare jubet, posterius legibus Romanis L. 17. §. 1. Dig. de dol. mal.

§. CXCVII.

Sive paciscens sive tertius eum adhibuerit.

Aliis aliæ placent distinctiones. *Thomasius* & *Gribner* distinguunt, utrum ipse paciscens dolum adhibuerit, an tertius, priori casu a pacto recte recedi, non posteriori. At enim vero etiamsi tertius talem adhibuerit dolum, qui errorem invincibilem circa pacti substantialia parit, * nulla aderit

aderit ratio idonea, quare ad pactum ſervandum læſus debeat adſtringi. Excludit dolus veram rei cognitionem adeoque & voluntatem & conſenſum, ſine quo nullum pactum validum pronuntiari poteſt.

* E. c. ſi magiſtratus doloſe mihi alterius fundum emturo diſſimulaverit onera realia eidem inhærentia.

§. CXCVIII.

Alii adhuc diſtinguere ſatagunt, an dolus cauſam dederit pacto nec ne? Sed quid ſi tertius dolo ſuo circa ſola tamen accidentalia verſanti mihi cauſam paciſcendi præbuerit e. c. doloſe nuntiarit ædes meas exuſtas, ego hac cauſa motus alias a tertio emam. Nonne obligor ad pactum ſervandum, etiamſi dolus eidem cauſam dederit? Coincidit fere cum dicta diſtinctione illa *Titii* ad Lauterb. Obſ. 116. inter dolum antecedentem, incidentem & conſequentem. Priori caſu volente læſo, nullum eſſe negotium contendit, quod tamen ex modo dictis refutatur. Altero ita ſubdiſtinguit, ut ſi dolus incidens principalis contrahendi cauſa fuerit e. c. objectum pacti alteret, contractus ſit nullus, ſi non fuerit cauſa principalis, ſaltem ad intereſſe actio detur. Tertio denique negotia eſſe valida ſalva ad intereſſe actione.

§. CXCIX.

Vim indeque ortum metum voluntati ac conſenſui plane eſſe contrariam, adeoque pacta reddere nulla, communis eſt doctrina, quam & juvare videntur L. 1. Dig. quod metus cauſ. L. 116. Dig. de Reg. Jur. Penitius tamen ſi rem conſideremus, deprehendetur, neceſſitatem, vim & coactionem cum voluntate omnino conſiſtere, libertatem econtra a voluntate abeſſe poſſe. Voluntas enim ſaltem eſt decretum rei amplectendæ. At poſſum etiam me determinare ad amplectendam rem prorſus neceſſariam. Mori eſt neceſſe, & tamen poſſum velle mori. Cogor a prædone ad aliquid ipſi dandum, & tamen poſſum malle dare, quam mori. Coacta igitur voluntas eſt etiam voluntas, tantumque abeſt, ut vis voluntatem tollat, ut potius augeat & enixiorem reddat. Quare falſum eſt, quod dicitur, pacta vi expreſſa non valere ob defectum voluntatis atque conſenſus. Nam vera voluntas, verus omnino conſenſus adeſt in decreto vi expreſſo. Quid igitur, *an vis?*

numne omnia pacta vi expressa erunt valida? Hoc non dico. Id saltem volo, eadem non esse invalida ob defectum consensus ac voluntatis. Sed possunt adesse alia impedimenta, quæ eadem reddunt nulla atque invalida. Unde eadem arcebimus? Distinguendum erit, sitne vis juste illata, metus juste incussus nec ne? *

* Probatur hæc distinctio in Instrum. Pac. art. 4. §. 46.

§. CC.

Justa vis pactum non vitiat.

Si alter jus habet, vi exigendi ea, quæ ipsi pacto promisi, validum illud omnino erit, nec metus exceptione poterit everti. Suo enim jure utitur. At qui suo jure utitur, alteri injuriam non facit. Quo fundamento nititur justitia & obligatio Urphedarum. Ais, ni fallor, frustra validitatem promissi repeti ex pacto metu inito, ubi jam antequam pactum illud iniretur, adfuit obligatio ad præstandum id, quod promittebatur. Resp. potest adesse ante tale pactum obligatio, sed indeterminata, quæque demum pacto est determinanda. Sic inter belligerantes laedens læso ad damni reparationem jam ante pacem initam est obligatus, sed per eam demum, in quo satisfactio debeat consistere, determinatur, recteque proinde ex illa pace utut vi armorum expressa obligatio repetitur.

§. CCI.

at injusta.

Quodsi autem alter jus non habet me cogendi ad pactum ineundum, tunc eo ipso, quod cogi ad tale pactum juste nequeo, circa idem libertas seu facultas pro lubitu agendi mihi debet competere. Cum libertate autem vis & coactio consistere nequit. Quare ut tale pactum sit validum non modo requiritur consensus atque voluntas, (quæ etiam in pacto vi expresso adest,) sed præterea requiritur libertas, libera voluntas, liber consensus, qui si defecerit, tale negotium omnino nullum erit, ac irritum ob deficiens principium, quod actui validitatem dare debebat. Alii ita rem efferunt, eum qui injuste vim infert, acceptandi jus non habere, sine acceptatione autem consensum nullum, pactum nullum posse concipi. Vid. *Gundling* de usu actionum bonæ fidei & stricti juris p. 95.

§. CCII.

§. CCII.

Vis bellica semper præsumitur justa.

Id saltem difficultatis superest, quod dubium sæpe numero existat, sitne juste vis illata, nec ne? In statu quidem civili superior seu judex desuper cognoscit. At inter summos Principes, in statu naturali judicii experte viventes, ipsa vis belli, * de cujus justitia judicandum, ejusque eventus judicii instar existit, quo fit ut metus bellicus semper censeatur justus, ac proinde metus exceptio inter summos imperantes, si non prorsus exulet, raro certe occurrat. Raro enim injuriæ confessione venitur ad pacem. Quod tamen si quando contingat, aliqualis se exerere posset inter summos Principes usus exceptionis quod metus causa, ejusque ope retro acta atque promissa infringi. Sed cum spontaneæ ejusmodi confessionis casus sint rarissimi, regulariter metus bellicus ** semper præsumitur justus, nec ejus obtentu promissa rescinduntur, aut cessante vi metuque evanescunt.

* Sed quid dicendum, de promissis, quæ summi Principes sibi extra statum belli vi extorquent? Resp. eo ipso, quod summi sunt, neuter jus habet alteri vim inferendi, ac proinde quicquid ab alterutro vi extortum, ipso jure est nullum, sed convalidari potest per ratihabitionem subsequentem, sive illa sponte fiat, sive bello extorqueatur. Subsequens enim vis bellica omnino justa reputanda. Pertinet huc quodammodo casus, quem ex *Dubravio* meminit Dn. *de Kanitz* de cautelis Principum circa colloquia & congressus §. 14. Convenerant Bambergæ Fridericus Imperator & Wenceslaus Bohemiæ Rex. Wenceslaus quidem a Vilibrando Magdeburgensi Præsule pacis publicæ turbatæ reus factus erat. Quo audito Cæsar statim a prandio Regem acciri in conclave uno tantum Comite comitatum jubet. Comes Vogirius erat. Ubi comparuisset Cæsar itidem uno Præsule Bambergensi adhibito, acerbius illum quasi pacis turbatorem appellat, cunctaque ab illo repetit, quæ quondam patri illius dono dederat. Confusus Wenceslaus re improvisa paulum initio reticuit, mox recepto animo libere satis sese Cæsari purgavit: Quin mea, inquit, mihi redhiberi volo, quod nisi propere fiat, ab invito per vim extorquebo. Pertinacius deinde obsistentem obluctantemque

que Wenceslaum, nec minas ſuas magni pendentem a ſe manibus retrudit Cæſar. Ambo autem vino haud minus quam ira æſtuabant, ut fieri ſolet a lauto prandio. Wenceslaus retruſus dextram Cæſaris manu ſua læva arripit, alteraque ſtringit gladium, ſanctеque jurat, ſe illum in corpore Cæſaris demerſurum, ſi non ſoſpes omnibus ſuis fortunis ſalvis dimittatur. Quod dum ille facit, Vogirius interim Præſulem Bambergenſem, qui ſolus Cæſari aderat, tanquam viribus valentior arctiſſimo complexu retinet, nec cubiculo egredi neve vociferando quenquam in auxilium vocare poſſet. Ita Cæſar intra ſacrum quod dicitur & ſaxum poſitus, ſancte promittit, ſe nihil Regi nociturum, neque quicquam illi ademturum.

** Quatenus intra fines metus bellici ſubſiſtit. Nam ſi ſtuperi inferendi metu hoſtis quicquam extorquet, obligatio eſt nulla, quia hoſtis talem metum inferendi jus non habet. Vid. *Grotius* L. 3. c. 19. §. 12.

§. CCIII.

Quare metus exceptio inter ſummos Principes exulat.

Non equidem deſunt exempla Principum, qui pacta ſub metus prætextu revocare ſunt auſi. Stephanus VI. Pontifex Romanus coronationem Arnulphi Imperatoris a prædeceſſore ſuo Formoſo Papa peractam, tanquam *metu extortam*, declaravit irritam, teſte *Sigonio* de Regn. Ital. L. 6. ad an. 896. Paſchalis II. Papa conventionem cum Henrico V. anno 1111. initam & ſacra ſynaxi firmatam, Imperatore cum copiis vix reverſo, quaſi violentia extortam publico Concilii Lateranenſis anno 1112. habiti decreto revocavit. Vid. *Abb. Urſperg.* ad an. 1112. & 1116. Joannes Cypri Rex a Genuenſibus captus, datoque obſide filio, liberatus poſtea revocare omnia non dubitavit. Vid. *Bodin.* de Republ. L. 5. c. 6. p. 931. Franciſcus I. Galliæ Rex pace Madrica anno 1526. Carolo Imperatori jurejurando promiſit, ſe cum primum Regni fines attigiſſet, pacis conditionem ratam habiturum, aut in captivitatem rediturum, datis Franciſco & Henrico filiis obſidibus. Sed ſimulac Hiſpaniæ fines evaſerat, revocavit omnia, ita ſuadente imprimis Selva, Præſide Curiæ Pariſiorum, Zabarellæ Cardinalis autoritate uſo, qui Conſil. 137. quod in eo genere vi ac metu factum ſit, ratum haberi non

putat

putat oportere. *Bodin.* l. c. add. Tit. 6. §. 232. fin. Suffragatur huic opinioni integra Machiavellistarum cohors, quæ credit, non chartas aut scripturas, sed vim & necessitatem Principem ad fidem servandam adstringere, qua cessante etiam pacta & fœdera evanescere, Regiaque metus exceptione enervari.

§. CCIV.

Sed enim vero non tam quid, sed quam bene, actum dictumque fuerit dispiciendum. Metus autem obtentu si promissa revocare liceret belligerantibus, nullus controversiarum ac bellorum inter gentes finis, nulla pax tuta satis foret. Quis est enim, qui nesciat pacis conditiones fere semper invitis dari, victosque a victoribus ad easdem accipiendas armorum vi majorumque malorum metu adigi. Pro beneficio reputat pars victa, quod victor, in cujus potestate erat, penitus eam delere ac pessundare, oblatas pacis indulgeat conditiones. Quas ni servat postmodum pars victa, eo certe gravius peccat, quo majori periculo mediantibus iisdem fuit erepta. Viderint Pontifices, quibus colorum fucis prædecessorum suorum facta obducant. Gallos sane, Regum suorum ceteroquin ad superstitionem usque reverentes, pudet si non fractæ a Francisco Rege pacis certe prætextus a vi & metu desumti. Audiamus *Bodinum* l. c. Miror ego, scribit, non erubuisse Principem tanti Senatus, (intelligit Selvam) quo nullus toto terrarum orbe illustrior est, non modo juris fecialis imperitum hominem (Zabarellam) testem laudare, sed etiam ejus tam ineptis argumentis sese munire. Bodinus ut meliora adducat, non potuisse interserit Regem Regni provincias sine populi consensu hostibus promittere. Sed cum alternativa fuerit promissio, aut de ratihabendo, aut de redeundo in carcerem, & posterius ad minimum in Regis potestate fuerit, ulterius prætendit Bodinus, eum qui obsides dedit, amplius non teneri, quod tamen quam falsum sit, suo loco demonstrabitur.

alias nulla pax tuta, nullus bellorum finis.

§. CCV.

Nec desunt contraria, quæ dissentientibus obverti possunt, exempla. Marcus Attilius Regulus ex insidiis a Carthaginensium Duce Xantippo captus, Romamque dimissus, sub redeundi conditione, si captivorum permutationem Romanis persuadere non valeret, sciebat, se ad cruciatum & ex-

Exempla.

quisita supplicia reverti, vim tamen aut metum non excusavit, sed ad hostes rediit. *Cicero* de Off. L. 3. c. 29. Idem cap. seq. 30. aliorum similia exempla præcipueque illud Mancini laudat, qui ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem suasit. Et quid Consul Posthumius, de quo supra Tit. præc. §. 191. quid sexcenti obsides cum ageretur de pace Caudina. Nulla vis major videri potuit, quam cum inter angustias Apennini montis hostium fraudibus sic interceptus Romanus exercitus, sic conclusus erat, ut nec progredi, nec regredi, nec dimicare cum hoste posset. Nihilo tamen secius nec vim nec metum obtendebant, sed id saltem, pacem injussu populi sanciri non potuisse, malebant nudi vinctique hostibus dedi, quam metus obtentu fidem datam fallere. Gallis in specie illustre opponimus Joannis Valesii exemplum, qui tametsi obsides fidemque Eduardo III. Anglorum Regi dedisset, cum ea, quæ promiserat ac sperarat, efficere non potuisset, in Angliam rediit.

§. CCVI.

Hinc & lytrum incendiarium hosti promissum eidem fugato debetur.

Singularis plane eorum est sententia, qui contendunt, metus quidem exceptionem exulare inter hostes, quoties pacto armorum vi expresso finis bello imponitur. Si autem inter hostes qua tales, & durante statu bellico promissum quoddam vi extorqueatur, illud cessante necessitate evanescere, atque hinc promissum lytrum incendiarium cessante metu, hosteque fugato amplius non deberi. Est hæc sententia *Ernesti Vogtii* in dissertatione de lytro incendiario Kilon. 1703. quemque in suas partes vocat *Gundlingii* de efficientia metus. Eodem quoque argumento utebantur socii Memmingensium, cum reddere Memmingensibus negarent lytrum incendiarium, quod hi pro illis brevi ante proelium Hochstadiense exercitui Gallico solverant. Vid. *Ludewig* de sociis stipendiariis hosti p. 9. Speciem quandam huic opinioni conciliat, tum quod lytrum exigi nequeat, nisi ab eo, qui justam belli habet causam, hæc autem non ex uno alterove conflictu, sed totali belli exitu æstimanda, tum etiam quod cum hoste qua tali nullum detur juris vinculum. Hinc ubi hostis unum hostilitatis genus mutat in aliud e. c. stipendia accipiendo pro deprædationibus, ibi pacta non ulterius obligatoria videri possent, quam quousque exigit vel necessitas vel utilitas.

§. CCVII.

§. CCVII.

Utut ſolutum eripi ipſi iterum poſſit.

Verum tamen qui belli aleæ enſisque judicio deciſionem de juſtitia cauſæ ſuæ permittit, hoc certe enſis judicium agnoſcere tenetur non ſolum in principali deciſione, ſed & in incidentibus, ſicut in foro civili ſententia interlocutoria æque vim rei judicatæ obtinet, ac definitiva. Unde & falſo interſeritur, vinculum juris nullum eſſe cum hoſte. Si enim non eſt cum hoſte qua tali, eſt tamen eatenus, quatenus ipſi aliquid e. c. lytrum promiſſum. Eatenus enim receditur a ſtatu diſſolutæ ſocietatis, quod ni admitteremus, cogeretur hoſtis ad omnem effrenationem, impetum & furorem, nec unquam moderate victoria uteretur, tolleretur omnis Capitulationum & pactorum, quibus milites fidei ſuæ relinquuntur, lytrorum &c. uſus. Quare non modo in Reſponſo quod *Ludewig* dictæ diſſertationi ſubjecit pro Memmingenſibus pronunciatum, ſed & in dicto Reſponſo provocatur quoad hunc paſſum ad uſum practicum militiæ forenſis, & præjudicium ac teſtimonium Eugenii Sabaudi, invictiſſimi Copiarum Cæſarearum Ducis, qui ab Auguſtanis interrogatus, num ad ſolvendum lytrum incendiarium, quod Gallis promiſerant, Gallis fugatis tenerentur, affirmative reſpondere non dubitavit. Interim ſufficit, ſemel ſatisfeciſſe promiſſis, & poſtea liberum omnino erit, belli jure in hoſtes uti, ipſisque uti alia ipſorum bona, ita & lytrum, quod antea iis ſolvimus, iterum eripere. Sic Cæſar apud Pharmacuſam inſulam a piratis captus 50. quidem talentis dimiſſionem redemerat, ſed ſimulac eſſet dimiſſus, ſtatim navibus inſtructis adverſus piratas ex portu Mileſiorum eſt profectus, pleroſque cepit, pecuniaque prædæ ceſſit, teſte *Plutarcho* in Cæſare mox ab initio.

§. CCVIII.

Quoad rebelles diſtinguendum: num arma capta.

Ceterum quod diximus de ceſſante inter hoſtes metus exceptione, reſtringendum eſt ad hoſtes vere tales, quibus belli jus eſt, quique illud publicis auſpiciis gerunt. De ſubditis perduellibus ſeu rebellibus anceps magis eſt quæſtio. Mihi diſtinguendum videtur, ſitne jam ad arma deventum nec ne? Eo ipſo enim, quo armis committitur deciſio, dubium redditur, ſintne ſubditi rebelles, an Princeps tyrannus? Nunquam tali caſu ab ulla parte ſpecioſi ſatis deerunt prætextus. Quamdiu igitur certum eſt, ſubditos Principi vim inferentes e. c. captivum detinentes eſſe rebelles h. e. an-

tequam

tequam armis decertatum, ob deficientem rebellibus justitiam recte, quæ vi metuque ipsis promissa, revocantur. Postquam vero arma sunt capta, frustra metus obtentu revocantur, quæ Princeps, utut a subditis captus, vique coactus, ipsis promisit. Nam jus quidem est Principi per vim subditos in ordinem redigendi, eo ipso autem dum arma eos capere patitur, armorumque decisioni rem committit, sibi imputet, si voto eventus haud respondet. Hoc ni admitteremus, in infinitum contra Principem sævire cogeremus rebelles, nullis enim oblatis conditionibus reduci possent ad officium, si scirent, easdem metus obtentu revocatum iri, sed tamdiu Principem persequerentur, donec penitus delevissent. Utrumque exemplo illustrasse juvabit.

§. CCIX.

Exemplum Scoticum

Maria Scotiæ Regina intercepta 1567. a subditis quibusdam, atque in carcerem ad Lacum Levinum contrusa, mortis terrore injecto compellebatur, regnum cedere filiolo vix XIII. menses nato. At evasit Regina anno sequenti e custodia ad castrum Hamiltonium, ubi auditis Roberti Melvini & aliorum testimoniis lata est sententia declaratoria *unanimi consensu omnium nobilium*, qui frequentes convenerant, cessionem a Regina in carcere metu extortam ab initio nullam fuisse, verba sunt *Guil. Camdeni* Annal. Angl. part. I. ad an. 1567. & 68. p. 122. & 140. Regina quidem scelere, Regicidio, in proprio marito commisso, aliisque factis tyrannicis non vacabat, ceu pluribus ex *Buchanani* historia rerum Scoticarum apparet, jus tamen non erat subditis, sine Ordinum decreto votorum pluralitate firmato, Reginam detrudendi in carcerem. In eo quidem res erant, ut arma caperentur, hactenus tamen nondum contra Reginam apprehensa, unde satis elucet, manifeste rebelles fuisse, qui cessionem Reginæ extorserant, recteque illam ob metum injuste illatum ab Ordinibus annullatam.

§. CCX.

Gandavense

Contrarium exemplum præbent Gandavenses, qui postridie quam Carolus Burgundiæ Dux urbem ipsorum erat ingressus, in forum armati confluxerunt. Eo tandem & ipse Carolus descendit, ut turbam sedaret, sed frustra. Per totos enim octo dies ibi constiterunt, & inter alia petierunt, sibi restitui omnia, quæ ipsius pater Philippus ademisset &c. Cum aliud

non

non posset, neque satis in tuto versaretur, temporibus coactus largitur iis omnia, & quæ postulabant privilegia concedit - - - - - ne belli daret occasionem tam suis, quam Leodiis, interea tamen non dubitabat, quin si Leodios debellaret, facile ipsos esset cohibiturus. Atque ita quidem accidit, ceu fusius memorat *Philip. Cominæus* Commentarior. Lib. 2 p. 364. sq. Probat laudatque hoc factum *Jo. Frid. Reinhardus* in Theatro prudentiæ elegantioris ad Lipsii Politic. L. 6. c. 4. n. 4. ubi *Lipsius* irrita facere, quæ per seditionem sunt expressa, ad bonum dolum refert, subditosque fallere potius quam cædere suadet. Sed recte eum reprehendit, Carolique factum improbat *Bœhmerus* de exceptione metus injusti, in suas partes vocans Commentatores Lipsii *Tomsonum* & *Loccenium*. Ponamus iniuste egisse Gandavenses, eo ipso tamen quod ad arma erat deventum, aut vi in ordinem eos redigere Carolus debuisset, aut si transactione mallet, datam ipsis fidem servare.

§. CCXI.

De Germaniæ Principibus constat, quod belli jura ipsis contra exteros omnino competant. Quare metus, quem exteris hostibus armorum vi incutiunt, omnino justus reputandus, nec revocari possunt promissa, quæ hostes ad angustias redacti ipsis fecere. At Statibus inter se armis decertare per leges Imperii, publica pace firmatas, nefas est. Sed si quæ inter ipsos controversiæ oriuntur, ad summa Imperii tribunalia sunt deferendæ. Si vero de facto Status Statum vi ad transigendum adigat, talia promissa tanquam metu injusto extorta, recte revocantur, & contra eadem in integrum restitutio ab Imperatore indulgetur. Hinc cum Henricus Brunsvicensis anno 1404. a Bernhardo Lippiaco Comite caperetur, ac libertatis recuperandæ ergo lytrum 100000. fl. promitteret, rescidit hæc omnia Rupertus Imperator & Lippiacum Comitem proscripsit. Rudolphus I. Imp. 1290. rescidit & annullavit literas, quas Hannoniæ Comiti Subditi ipsius pro confirmandis legibus municipalibus vi extorserant ap. *Mardene* & *Durand.* Thesaur. Anecdotor. T. 1. p. 1241.

Statib. Imp. ut inter se belligerare prohibitum sic metus exceptio integra

§. CCXII.

Regulam habemus in jure: id quod ab initio est vitiosum, tractu temporis convalescere non posse L. 29. de R. J. Cato hujus regulæ Autor, a quo

Pacta ab initio vitiosa

tiosa ratihabitione convalescunt. aquo & Catoniana vocari consuevit, eandem solis legatis accomodaverat. Sed eodem, si non fortiori (ultimæ enim voluntates benignius sunt interpretandæ, indeque factum, ut limitationibus ac restrictionibus multis dicta regula circumscribi debuerit, ceu patet ex Tit. Dig. de Regula Catoniana) jure eadem ad pacta etiam transfertur. Quæritur igitur, num pactum ab initio vitiosum e. c. errore dolo aut metu injusto elicitum, ex subsequente ratihabitione convalescere possit? Quod affirmandum omnino non obstante dicta regula, quippe quæ saltem nudo temporis tractui vim pristinum vitium sanandi denegat * non autem impedit, quo minus vitio illo aliunde purgato, per intervenientem novum actum, justum consensum involventem negotium restrauretur **

* Imo in ipsa præscriptione non solius temporis hæc est vis, ut vitiosam possessionem purget, sed præsumtus a lege consensus, aut in statu naturali deficiens vitiosæ possessionis probatio id omne operatur.

** Illustrari hoc poterit sequenti casu: Maria Francisca Elisabetha Sabauda nupta Alphonso VI. Lusitaniæ Regi coram Capitulo Ulissiponensi accusaret Regis impotentiam & propterea hoc matrimonium nullum declarari postulabat. Interea dum Capitulum causam cognoscit, Regina a Cardinali de Vendome tunc in Gallia Pontificis legato de latere dispensationem petit, vi cujus sibi liceret nubere Petro Alphonsi fratri. Præsumebat Cardinalis nullitatis Sententiam a Capitulo Ulyssiponensi tunc temporis jam fore pronuntiatam. Quare dispensationem expediri jubet d. 16. Martii 1668. At apparuit postmodum, divortii Sententiam a Capitulo Ulyssiponensi demum fuisse pronunciatam die insequenti 24. Mart. Præsupponebat sane Cardinalis dispensatio, ut ipsa ejus ferunt verba, *nullum & invalidum via juris declaratum fuisse matrimonium.* Ac si forsan Capitulum Ulyssiponense pro prioris conjugii validitate pronuntiasset, sine dubio nulla extitisset Cardinalis dispensatio. At purgato, quo laborabat præcipitantiæ vitio per subsecutam divortii sententiam, vires omnino accepit dispensatio, nec ejus reiteratio fuit necessaria, præsertim cum contineret clausulam: *Certam de præmissis*

ſis notitiam non habentes, Officiali Ulyſſiponenſi committimus ut de præmiſſis ſe diligenter informet, & ſi preces Veritate nitantur. diſpenſet &c.

§. CCXIII.

Quo tamen caſu nova ſuboritur difficultas, num ſcil. tunc ſubſecuta ratihabitio demum vim & effectum ſuum exerat a tempore factæ ratihabitionis, an retrotrahenda ſit ad initium negotii? Res omnis dirimenda videtur ex voluntate ratihabentis vel expreſſa vel tacita vel præſumta. Si expreſſe declaraverit, ſe retrotrahere velle obligationem ad initium negotii, aut ſe demum a tempore interpoſitæ ratihabitionis velle eſſe obligatum, res difficultate caret. Sed & tacite per facta ratihabens ſuam deſuper voluntatem nonnunquam declarat. E. c. fac lege civili nulla haberi matrimonia liberorum ſine parentum conſenſu inita. Contrahitur tale matrimonium. Ex poſt facto autem parentes illud ratihabent. Tunc ſine dubio retrotrahenda eſt ratihabito ad tempus initi matrimonii, & eo ipſo, quo matrimonium ratihabent parentes, tacite etiam liberos ex eodem natos ſtatim & etiam quoad intermedium tempus pro legitimis agnoſcere videntur. Obſt. L. 6. C. de Nupt. Sed ubi nec de expreſſa nec de tacita ratihabentis voluntate ſatis conſtat, quid in dubio erit præſumendum? *Ratihabitio retrotrahitur.*

§. CCXIV.

Diſtinguerem an negotium ab initio fuerit nullum, an ſaltem ſuſpenſum? Si fuit nullum e. c. ob conſenſum dolo aut metu injuſto expreſſum, demum a tempore ratihabitionis vim exerit obligatio, utpote quæ ſtrictam recipit interpretationem, ſin ab initio negotium ſaltem fuit ſuſpenſum e. c. ſpondet legatus, de cujus mandato, num ad negotium celebrandum ſufficiens ſit, dubium ſuboritur, aliquid ſub conditione, ſi principalis ratihabuerit, tunc ſubſecuta ratihabitio retrotrahitur ad tempus celebrati negotii. Facilius etiam ratihabitio retrotrahenda erit in negotiis oneroſis, quam in beneficis ac ſtricti juris. *in negotio ſuſpenſo*

§. CCXV.

Conſtat ex ſuperioribus, juſtum, qui ad pacta requiritur, conſenſum eum eſſe, qui nec errore invincibili nec dolo malo nec metu in- *Civilia pactorum*

requisita ipsum legislatorem nec stringunt. justo est elicitus. Atque tali consensu naturali jure omnia absolvuntur pacti requisita. Civilia quæ subditorum actiones moderantur jura alia nonnunquam subditorum pactis superaddunt requisita. Sic donatio 500. solidos excedens insinuatione judiciali, & jure Saxonico Electorali Part. 2. Const. 35. fœminarum renuntiationes juramento indigent, & a cujusque legislatoris arbitrio pendet, quænam ipsorum negotiis & pactis solennia præcipere velit. Exigi debere conventiones ad jura loci contractus dicetur Tit. sq. §. 226. Dicitur autem locus contractus, ubi reus ex conventione quid præstare tenetur, licet contractus alibi celebratus. Id saltem hic requiritur, an ipse legislator observare teneatur solennia & requisita pactorum, quæ subditis præscripsit. De pactis publicis, quæ Reges & Principes qua tales celebrant, expeditum est, ea solo naturæ jure regi, nec memini, quemquam in iis legum civilium solennia requirere. In Pactis vero & contractibus privatis, Principem privatorum jure gaudere, communis est doctrina, quæ tamen aliter admitti nequit, quam si per privatorum jus intelligamus illud, quo homines extra nexum societatis civilis constituti in statu naturali vivunt, non autem leges civiles, quippe quibus Princeps subditos quidem, non autem se ipsum obligasse censetur. Nec obstat, non Princeps id quod aliis æquum censet, sibi iniquum judicare nequeat. Largimur enim posse Principem se obligare ad idem observandum, quod subditis præscribit, sed negamus eum præsumi idem velle. A posse ad esse non valet consequentia.

§. CCVI.

nec juvant. *Grotius* L. 2. c. 11. §. 5. in fin. & L. 2. c. 14. §. 2. & 5. civiles oppidi ubi Rex habitat leges in actibus ejus privatis locum habere contendit in favorem Regis, non in pœnam, quia punitio & coactio nonnisi a diversis voluntatibus procedere possunt. Verius tamen omnino est, ne quidem in favorem suum Regem leges civiles suis negotiis & pactis posse applicare. Nam dispar longe hic est conditio Principis & subditorum. Subditis vi potestatis legislatoriæ certam actuum formam præcipere potest Princeps, non sibi ipsi. Unde Princeps majores, quam subditis licitæ, promittens usuras, civilibus, quibus subditis succurritur, remediis sibi consulere plane nequit, quod infra L. 2. T. 15. §. 10. uberius deduce-

ducetur. Ac monstrosa plane ex dicto Grotii principio sequerentur e. c. quod Principi usuras lege civili prohibitas promittenti succurendum sit, privato autem contra Principem usurarium non item. Repugnat hoc ipsi adductæ a Grotio rationi, quare leges civiles Principum actibus privatis censet applicandas, quasi nimirum Rex in tali negotio non qua talis, sed qua civilitatis membrum sit considerandus. Si enim Rex jure reliquorum civitatis membrorum in negotiis privatis e. c. mutuo est judicandus, idem quod aliis justum est, Regi quoque justum esse debebit, sive debitor sive creditor existat. Sed prouti diximus, universim falsum est Regem in negotiis suis privatis subditorum jure teneri. Non enim temere subjectio in ullo, nedum in Rege præsumitur. Rectius solo naturali jure Rex in privatis quoque negotiis censetur, sive de ipsius favore sive odio quæratur.

§. CCXVII.

Dum circa formam & requisita pactorum versamur, id quoque expendi meretur, an causa ad obligationem personarum illustrium requiratur? & num Rex teneatur ex promisso sine causa? Enodandum ante omnia erit, quid causæ nomine veniat? Multas certe significationes tum in jure, tum aliis scientiis passim causæ vocabulum recipit, quas ex Lexicographis repetere non vacat. Hic sequentes saltem notandæ veniunt. *Primo* causa significat negotium a lege civili ita probatum, ut obligatio & actio ex eodem oriatur, quo sensu juris Romani Doctores pacta contractibus contradistincta definiunt per conventiones carentes *nomine & causa* vid. Tit. 2. §. 33. Sed cum hic omne punctum ferat approbatio legis civilis, quæ ad summos Principes non spectat, patet talem causam in eorum pactis & obligationibus non requiri. Subditorum autem pactis, cum nostris moribus etiam nuda pacta probentur, semper causa hoc sensu accepta inesse intelligitur.

An causa Principum pactis necessaria?

§. CCXVIII.

Secundo causa accipitur pro titulo debiti, seu causa debendi, quam vel onerosam vel lucrativam esse constat e. c. emtionis, donationis &c. De hac in L. 25. §. ult. Dig. de probat. & cap. 14. X. de fide instrumentor. disponitur, quod nisi causa debendi probari possit, num e. c. ex mutuo

æquivocatione

 aut-

aut aliunde obligatio oriatur, debitor condemnari non debeat, etiamsi se debere chirographo sit fassus, unde & libellus ineptus passim habetur, in quo reum tot debere asseritur, sine addita causa debendi. Quæ omnia tamen sola lege civili iterum nituntur. Quare Princeps lege civili solutus tenebitur ex chirographo, quo se tot debere fatetur, etiamsi causa debendi probari nequeat. Illam enim ex chirographo ejusque confessione præsumere naturalis æquitas jubet. Quodsi autem in negotio falsa causa debendi e. c. legatum codicillo latente revocatum fuit supposita, idque probari satis possit, tunc naturali æque ac civili jure negotium corruit, utpote cui causa fuit pro conditione, qua deficiente deficit & id, quod erat promissum, vel alias debebatur. Conf. L. 2. §. 3. Dig. de doli mali & metus except.

§. CCXIX.

sublata

Tertio causa accipitur nonnunquam pro sola onerosa debendi causa, quo sensu sine causa Principes promittere dicuntur, quoties citra utilitatem publicam ex sola liberalitate quid promittunt, ex qua promissione in quantum Respublica teneatur dixi Tit. 3. §. 87. 90. Add. *Grotius* L. 2. c. 14. §. 4. & 12.

§. CCXX.

intelligitur

Quarto causa sumitur prò causa impulsiva, atque talem causam ad pacta vulgo requirunt Doctores, eaque, quæ sine tali causa sunt inita, inefficatia pronuntiant. Vid. *Lauterbach* Tit. de pactis p. 47. & leges hanc in rem ab eo citatas, quas tamen dictam thesin non probare observat *Titius* ad Lauterb. Obs. 59. qui nihilosecius itidem pacta sine causa impulsiva sine ullo interesse, sine ulla intenta utilitate inita non valere contendit, quia pacta utilitatis non vexationis causa sint introducta. Fateor hæc in thesi ita considerata vera omnino esse, tantamque exceptionis Tua non interest esse vim & efficatiam, ut quemvis, imo summos quoque Principes repellere valeat. Sed in applicatione si non nullus, certe exiguus hujus asserti usus esse poterit, cum vix casus sit dabilis, ubi stipulans non aliquod interesse, intentam aliquam utilitatem intersérere queat juxta illud Papiniani qui L. 7. Dig. de servis exportand. beneficio affici hominem, interesse hominis

minis graviter pronunciat. Imo ſufficiet, ſimpliciter dixiſſe, aliquam ſe intendere utilitatem, ad quam alteri manifeſtandam ſe obligatum non eſſe. Et ſi forte alter vexationis probationem in ſe ſuſcipere velit, vehementer vereor, ne in eadem deficiat, ut plerumque accedere ſolet circa probationem æmulationis in ædificando. Provocat quidem Titius ad exempla in L. penult. Dig. de pact. ubi, nemo, dicitur, paciſcendo efficere poteſt, ne ſibi locum ſuum dedicare liceat, aut ne ſibi in ſuo ſepelire mortuum liceat, aut ne vicino invito predium alienet, quæ pacta Titius ideo invalida exiſtimat, quia ſine cauſa ſine utilitate ſtipulantis inirentur. Sed quis non videt in dictis pactis omnino ſtipulantis intereſſe verſari poſſe. Unde & contrarium habetur in L. ult. C. de reb. alienis non alienand. & L. ult. C. de pactis inter emtorem.

TITU-

TITULUS VI.

DE

Expreſſa tacitaque nec non conditionata conſenſus declaratione.

*

* *

Verba, per quæ conſenſus in pactis declaratur, ex ſubſtrata materia & dictionum proprietate, in dubio autem ita ſunt interpretanda, ut de priſtino jure quam minimum recedatur. Per ſcripturam ubi abſentes diverſorum dominorum ſubditi conſenſum declarant, juxta normam loci ad quem ſcribitur, contrahendum videtur. Tacite conſenſus declaratur per ſigna & facta, imo & non facta e. c. ſilentium Ne autem ex ſigno quodam voluntatis, a qua quis eſt alienus, conjectura intempeſtive capiatur, proteſtatione cavetur. Conditiones poſſibiles obligationem ſuſpendunt impoſſibiles ac turpes nullam producunt.

§. CCXXI.

Dummodo consensus, qui ad pacta requiritur, juste & ea, quam hactenus explicavimus, ratione fuerit interpositus, nihil de cetero quoad obligandi effectum interest, quomodo fuerit declaratus. Fit illud vel expresse vel tacite, vel pure vel sub conditione. Expresse per verba nunc oretenus per sermonem nunc per scripturam prolata. Tacite per signa & facta. De consensu præsumto diximus in præscriptionum doctrina. *Consensus pactitius expresse per verba interponitur.*

§. CCXXII.

Verbis utimur tanquam mediis animi sensa alii communicandi. Quare eo modo verbis est utendum, quo alterum eadem fore accepturum est probabile h. e. sensu proprio, non quidem Grammatico, sed populari atque communi. Nam penes usum est arbitrium & jus & norma loquendi. Alias autem & si sensu improprio, & minus communi verbis uteremur, doli nos reos ageremus, dum alteri, cui animi sensa communicare simulamus, aliud quam quod re vera sentimus, persuadere audemus. Hinc ab omni oratione exulare debent reservationes mentales, æquivocationes dolosæ, in quarum numerum e. c. referrem, si homo reddi promissus necatus redderetur. Nam homo mortuus homo non est, sed cadaver, proprie autem per hominem vivus intelligitur. Nec cavillatione caruit emtio Didonis, si vera sunt, quæ de eadem memoriæ prodidit *Justin.* L. 18. c. 5. his verbis: Elissa (sic vocat, quam *Virgilius* Didonem appellat) emto loco qui corio bovis *tegi* posset corium in tenuissimas partes secari jubet, atque ita *majus* loci spatium, quam petierat, occupat. * Similis cavillatio suberat, cum David Trapezuntii Rex Regnum suum Mahomedi II. Turcarum Imperatori cum alio commutandum tradens, propterеaque Constantinopolin profectus ad *æternum* regnum ablegatur. it. cum Solimannus II. Ibrahimum Vezirium suum, cui ad vitæ dies gratiam suam jurejurando promiserat, dormientem laqueo suffocari juberet, quasi dormientes mortuis potius, quam vivis sint annumerandi. Stulte callidæ ejusmodi interpretationes, quæ fraudem in se & perjurium habent, merito ignominiosæ, quique eas adhibent invisi habentur. *Verbis in sensu populari utendum.*

* Aliter tamen rem refert *Virgilius* Æneid. l. v. 372. ibi: Taurino quantum possent *circumdare* tergo, cui suffragatur *Livius* L. 34. c. 61. ibi: quantum loci bovis tergo *amplecti* potuerint, & *Appianus* de bello Punico pag. 1. ὅσον βύρσα ταύρου περιλάβοι.

§. CCXXIII.

ni ex substrata materia aliud colligitur.

Quod vero de verborum proprietate retinenda diximus, ac verbis eo utendis modo, quo alterum illa accepturum credimus: limitatur in casu, quo ex substrata materia aliisve circumstantiis contraria conjectura capi potest. Magis enim ipsa mens, quam verba, quæ illius saltem sunt signa, respicienda veniunt. Absonus stultusque foret, qui verba honoris: il y a tout a Votre service proprie accipere, indeque obligationem vellet exsculpere*. Econtra factis 30. dierum induciis noctes frustra excluderentur. Miles ferrum deponere jussus, satisfacit si arma deponat, non & fibulas, quod Pericles argutabatur. Pars dimidia navium in divisione integrarum intelligi debet, non sectarum, contra quam Romani Fabii Labeonis suasu Antiocho fecerunt apud *Valer. Max.* L. 7. c. 3. n. 4. in fin. Exitus ex urbe liber concessus intelligi debet ita, ut & iter tutum sit, contra quam fecit Alexander vid. *Grotius* L. 2. c. 16. §. 5. Vicissim reditus promissus non ita intelligendus ut clam redeatur, statimque iterum exeatur, sed ut redeatur ad pristinum vel libertatis vel captivitatis statum, contra quam fecerunt Jodocus anno 1395. a copiis Bojicis captus, atque dimissus sub conditione aut redeundi aut lyrum solvendi, clam enim Monachium venit, iterumque recessit. *Adlzreiter* Annal. Boj. ad dict. an. part. 2. L. 6. §. 53. item Hatto Archi-Episcopus Moguntinus, qui Albertum Bambergensem Comitem, cui liberum in arcem reditum promiserat, Ludovico IV. Imperatori ad supplicium tradidit, postquam jentaculi ergo ad breve tempus in arcem cum eo redierat, quasi reditum semel non iterum promisisset. Caput salvum qui Erizzoni Chalcidis obsessæ Præfecto promiserant Turcæ, corpus injuste cædebant. Fridericus Toletanus, Ferdinandi Albæ Ducis in Hispania filius, cum præsidiarii Harlemenses milites extrema vi ad deditionem compulsi vitam pacti essent, illis certo munimento inclusis alimenta suppeditari injuste vetuit, vitam se illis non alimenta aut eorum subvectionem promisisse prætexens. Civitatem Carthaginensem cum salvam

vam & liberam ſponderent Romani, male ad cives ſolos promiſſum reſtrinxerunt, quibus civitas conſtaret, non mœnibus ac ædificiis, quæ dirui jubebant. Tormenta ubi ſecum auferre permittuntur obſeſſi, fruſtra ipſis equi ad trahenda tormenta denegantur. Portum Dunquercanum, qui obſtruere Galli pace Trajectina Anglis pollicebantur, fruſtra in fraudem hujus promiſſi Canalem Mardicenſem conficiebant. Ea enim erit paciſcentium mens, ne Galli ibi haberent portum, ſive Dunguercanum, ſive alium quemvis. In Mediolanenſibus nunquam muris urbem munire promittentibus, quod foſſis aggeribusque illam firmarint, haud abs re improbat *Gentilis* de jur. bell. L. 3. c. 21. p. 674. Senatus Numburgenſis civium ſuorum privilegium, vi cujus ipſis fas eſſet auſcultandi rationes, quotannis a Senatu reddendas, eluſit eo, quod rationes latino idiomate confici & prælegi juſſit.

* Diverſus forſan & ſpecialior erat caſus; quo Sabaudiæ Dux Regi Galliæ copias auxiliares potenti 1690. reſpondit, que ſa Majeſté en étoit le Maitre. Sed implementum promiſſionis urgenti Miniſtro Regis, Domino de Catinat regeſſit: Quand on ecrit a un grand, que tout ce que l'on a, eſt a ſon ſervice, qu'il eſt le maitre de cecy, de cela, & de diſpoſer abſolument de tout, ce n'eſt qu'une expreſſion extremement obligeante, qui ne ſignifie rien, & ne tire a conſequence aucune obligation poſitive. Conf. *Schœpfer* de verbis honor. p. 64.

§. CCXXIV.

Pariter, quo minus verba in ſenſu populari ac vulgari accipiantur, ex conditione loquentium & paciſcentium certa ſatis nonnunquam capitur conjectura. Sicut artifices artis ſuæ terminis ex regulis artis utuntur, ita ex feudiſtæ Vaſalli ac domini feudorum beneficii vocem de ſola re ſub fidelitatis lege conceſſa, illam vero heredum de ſolis maſculis ſeu feudalibus accipiunt, utut ſenſu proprio ac vulgari beneficium quodvis factum benevolum, heres autem maſculum pariter ac fœminam proxime conjunctam denotat. Sic & in tabulis Principum regionum nomina non ex vulgi ſed peritorum uſu æſtimantur, quia iſtæ a peritis confici ſolent. Hinc Hollandia

vel ex conditione loquentium & paciſcentium.

dia, quæ ſenſu vulgari omnes ſeptem provincias fœderatas complectitur, in tabulis publicis de unica earum καθ' ἐξοχὴν ſic dicta accipienda, & Italia pro ſolo Lombardiæ Regno, non autem ſenſu vulgari ubi & patrimonium Petrinum, ac Neapoleos regnum comprehendit. Porro ex paciſcentium conditione conjectura capi poteſt, ubi regalia majora a Principe ſunt alienata. Tunc enim ſi novus acquirens eſt privatus ſive ſubditus ſive extraneus, uſus ſaltem horum Regalium conceſſus cenſetur, quoniam ipſius Majeſtatis ejusve partis capax non eſt privatus. Sin Principi alii conferuntur Regalia majora, ipſa Majeſtatis pars quædam alienata cenſebitur. Pariter ſi privilegio Princeps jus prohibendi concedit, illud ſaltem contra ſubditos ſuos, non contra ſe ipſum conceſſiſſe intelligitur; quoniam per privilegium relaxatio fit a lege, cui ſaltem ſubditi ſubſunt, non ipſe Princeps. Jurisdictionem Vaſallo conceſſam ab eodem privative, non cumulative cum domino, dependenter tamen exercere, accurate monet *Itter* de feud. Imp. c. 8. §. 8.

§. CCXXV.

In dubio de priſtino jure quam minimum remiſſum.

Quodſi autem nec ex dictionum proprietate nec ſubſtrata materia aliisque circumſtantiis liquide ſatis de paciſcentium mente conſtat, tunc de priſtino ſuo jure, quam poteſt minimum, remiſiſſe videntur. Hinc filia hereditati paternæ renuntians, doti non item renuntiaſſe cenſetur, & vice verſa. Fœderis conditio, ne altero inſcio bellum geratur, ad offenſivum reſtringitur. Urbem tradere promittens, præſidium dimittere non prohibetur. Cui caſtrum cum pertinentiis datum, an & jurisdictio ceſſa dixi in Reali Principum jure L. 1. T. 12. §. 7. Not. Sub fructibus in pace ceſſis futuri, non præteriti intelliguntur. Cui abitus conceſſus ſolus non cum familia abire poteſt, cujus rei & hanc rationem reddit *Grotius* L. 3. c. 21. §. 17. quod morari ſoleamus cum familia, peregrinari ſine ea, famulus tamen unus vel alter etſi non expreſſus conceditur ei, quem ſine tali comitatu ire foret indecorum. Bona abituris conceſſa ea ſaltem intelliguntur, quæ geſtare in itinere ſolemus.* Per acceptionem in deditionem, dilata non donata præciſe vita captivis cenſetur. Induciis factis non præciſe aditum reditum ultro citroque permiſſum puto, & vehementer dubito, num id quod memoriæ eſt proditum, Roma obſeſſa, induciisque inter

inter Porsennam & Romanos factis, cum ludi Circenses in urbe celebrarentur, ingressos hostium Duces curuli certamine contendisse, num inquam id altera parte invita ex solo induciarum jure postulari potuerit, quod tamen videtur *Grotio* L. 3. c. 21. §. 6. qui & mœnia reficere, militem conscribere, derelicta occupare cum induciis non pugnare retur, cui opponerem quod ipse §. 10. largitur, inducias non debere ejus, qui dedit, caussam duriorem facere. Plane si ad certum actum e. c. mortuos sepeliendos induciæ concessæ, nihil aliud posse suscipi manifestum. Inducias usque Kal. Mart. aliumve diem indultas ipsum illum diem comprehendere idem vult *Grotius*, tum quod magis naturale sit, ut terminus sumatur, qui pars sit rei, tum ob induciarum favorem, quæ humano sanguini parcunt. Hæ tamen rationes decisioni Grotianæ vix videntur sufficere.

* Uxoribus igitur Weinsbergensibus, quibus Conradus III. Imp. 1142. liberum cum sarcina, quam possent efferre, abitum concesserat, maritos efferre ex gratia magis, quam debito permisit Imperator.

§. CCXXVI.

Quemadmodum per sermonem ore prolatum paciscentium consensum expresse declarari in superioribus vidimus, ita idem quoque per literas & scripturam non modo fieri potest, sed etiam ut ita fiat, majoris securitatis, faciliorisque probationis ergo expedit, imo quandoque necesse prorsus est, quoties scil. inter absentes negotium celebratur, quo casu controversum videtur, quo jure negotium inter subditos celebrari debeat, num loci unde scribitur, an loci ad quem. Neutrum placet *Grotio* qui L. 2. c. 11. §. 5. talia pacta jure solo naturæ regi contendit, quam sententiam juvare videntur pacta & contractus legatorum, quos nec juxta leges Principis a quo, nec ejus ad quem sunt missi, sed ex sola naturalis juris norma contrahere constat. Verius tamen est, contractus inter absentes eosque subditos, per literas celebratos, fieri debere juxta normam loci ad quem mittuntur literæ, quia ibi acceptatur & perficitur contractus, sive de cetero unius ejusdemque Principis, sive diversorum subditi sint contrahentes, posteriori enim casu eo ipso, quo subditus extraneus in territorio alieno contrahit,

Scripturæ pacto accedens interdum utilis, interdum necessaria.

eatenus pro ſubdito ejus loci habetur. Imo ad effectum adimplendi contractum neque negligendæ erunt leges civitatis, ubi fieri debet implementum. In legati contractibus diſpar longe ſubeſt ratio. Hinc enim ad normam Principis a quo eſt miſſus non paciſcitur, quia alter cum legato paciſcens hujus Principis legibus non tenetur. Sed nec ad normam Principis ad quem eſt miſſus, quia ipſe hujus legibus non tenetur. Quare nihil eſt reliquum, quam ut ſolo naturali jure celebretur negotium. At privati utut abſentes eatenus, quatenus in aliquo loco contrahunt, aut contractus implementum conſequi cupiunt, omnino pro ejus loci ſubditis ſunt reputandi.

§. CCXXVII.

a cavillatione itidem ſit libera

Ceterum ea, quæ de ſermone diximus, exulare ab eodem cavillationes omnes debere, pariter ad ſcripturam pertinent. Eadem enim utrobique ſubeſt ratio, ut ſcil. alteri animi ſenſa communicemus, quod certe eo modo fieri debet, quo alterum rem fore accepturum credimus. Probanda igitur non eſt calliditas a Carolo V. adhibita, dum Philippo Haſſiæ Landgravio propria manu promiſiſſe fertur, ſe Landgravium, dummodo factorum veniam peteret, in carcerem non conjecturum, verba tamen ohne einige Gefängniß loß zu laſſen tam artificioſe pingi curaſſe, ut loco einige ewige legi potuerit. *

* Communis hæc eſt traditio, quam tamen falſitatis arguit *Perizonius* in hiſtoria Sec. XVI. p. 372. & *Jo. Dav. Kœler.* in hiſtoriſchen Müntz Beluſtigungen part. 1. pag. 235. ſqq. hoc potiſſimum argumento, quod nec Mauritius Saxo, nec Joachimus Brandeburgicus, nec filii Philippi Haſſiæ Landgravii in declaratione belli, poſtea ſuſcepti, hanc rationem allegaverint, quod tamen ſine dubio facturi fuiſſent, ſi talis fraus re vera fuiſſet admiſſa.

§. CCXXVIII.

Tacite per Signa

Tacite paciſcentium conſenſus interponitur per ſigna, quibus uſus certam impoſuit ſignificationem. * Inprimis ejusmodi ſignis frequenter

utun-

utuntur obsessi in pace petenda. Scite eadem describit *Jacob. Frid. Ludovici* de Capitulationibus bellicis cap. 3. §. 5. Olim, ait, adhibebantur vittæ & rami olivarum, apud Macedones consueta hastarum erectio, apud Romanos scuta capiti imposita, apud Persas manus post tergum complicatæ, apud Germanos herbæ porrectio, item apud Romanos etiam scuta & vexilla perversa, & apud Septentrionis populos ignis succensus. Hodie apud nos vela candida tacitum habent signum petiti colloquii, sicut econtra rubra vexilla in mœnibus seu turribus polita signa esse solent, quod nullo modo deditio expectari, sed potius ad sanguinem usque extremum resisti debeat. Communiter hodie etiam signum per tympanotribam dari solet, quod vocant die Chamade schlagen. Talia signa qui adhibet eo ipso ab omnibus actibus hostilibus abstinere tacite promittit, tacitasque dat inducias, & contraveniendo fractæ fidei reum se facit. *pacifcentium consensus declaratur.*

* Sic capitis nutatio habetur pro Signo consensus, dummodo libere fiat. De nuptiis Margarethæ Henrici III. Gallorum Regis filiæ cum Henrico IV. ita scribit *P. Daniel* Histoire de France Tom. 3. p. 1025. Elle ne pût se resoudre a consentir a ce mariage . . . elle ne voulut jamais signer le contract de Mariage Le Cardinal de Bourbon qui faisoit la ceremonie demanda a la Princesse suivant la formule ordinaire, si elle n'acceptoit pas ce Prince pour epoux. Elle ne dit mot. Mais le Roi qui etoit aupres d'elle lui poussa la tete par derriere avec la main. Ce Signe forcé passa pour un consentement, & sur cela on la maria.

§. CCXXIX.

Sed & per alia facta tacite declaratur consensus. Sic in fidem se dans tacite promittit, se nocere nolle, ex quo capite notari iterum merentur supra Tit. 3. §. 140. jam taxati Zopyrus, Tarquinius, Husai &c. Sicut autem in bellicis ita pariter in civilibus negotiis per facta hominis voluntas declaratur. Sic hodie persona Ecclesiastica, vi Reservati Ecclesiastici, eo ipso dum religionem mutat, beneficio Ecclesiastico, & ex veriori etiam sententia Abbatissa per matrimonium initum Abbatiæ renuntiat. *it. per facta*

§. CCXXX.

§. CCXXX.

& non facta e. c. silentium. Sub factis, quibus voluntatem declarari modo diximus etiam comprehendimus non facta, quorsum præ ceteris spectat silentium. Is enim, qui tacet, dum loqui debuisset, id quod alter postulat concedere videtur. * Unde heres super aditione a substituto interpellatus; si deliberandi spatium silendo præterlabi patitur, eo ipso repudiationem, sin a creditoribus interpellatur, aditionem declarasse censetur.

* Quo fundamento nititur consensus præsumtus in præscriptione civili.

§. CCXXXI.

Et renovari tacite pacta possunt. Cumque tacite per facta consensus declarari & iniri pacta queant, dubitandum non est quin eadem & renovari tacite per facta possint. Recte *Grotius* L. 2. c. 15. §. 14. fœdus finito tempore, ad quod erat initum, tacite renovatum intelligi ait ex actibus, qui nullam aliam recipiunt interpretationem. Existimat quidem *Ziegler* ad h. l. & *Puffendorf* de Jur. Nat. & Gent. L. 8. c. 9. §. 11. non dari tales actus, & Principem olim fœderatum, qui post finitum fœderis tempus auxilia submittit, eadem non vi fœderis renovati, sed ex humanitate sola mittere. Sed dari omnino potest casus, qui tacitam contineat renovationem. Fac post finitum fœderis tempus compellari fœderatum ad auxilia, *quæ vi fœderis præstare teneatur* submittenda. Annuit alter eademque mittit. Aliam certe hic actus recipere nequit interpretationem, quam quod uterque fœdus renovatum velit. Similis casus occurrit in factis induciis, quæ si ab una parte rumpuntur, altera ad arma redire potest. Sed fac eam satisfactionem petere & impetrare, eo ipso induciæ, quæ antea erant ruptæ, tacite renovatæ censentur. Conf. *Grotius* L. 3. c. 21. §. 12.

§. CCXXXII.

Ne ex signo adhibito voluntas, Quodsi vero quis aliquid facit, vel non facit, ex quo tanquam signo consueto aliqua ipsius voluntas, quam tamen non habet, conjici posset, opus est, ut contraria declaratione, protestationem vocant, desuper se muniat, quoniam alias mens & voluntas, a qua est alienus, ipsi imputaretur.

Ele-

Eleganter materiam de protestatione persequitur *Christianus Thomasius* in dissertatione de protestatione facto contraria, ubi definit protestationem per declarationem voluntatis nostræ per verba (negat enim tacite fieri ullam protestationem) juris nostri conservandi causa factam, ne id facto aliquo nostro amisisse videamur, ostenditque ex ipsa protestationis indole, eam semper fieri ob factum proprium, (sub quo tamen & non factum comprehenditur) semperque facto esse contrariam: Quare aut nullam protestationem esse validam, aut nullam ideo invalidam, quod facto contraria. Sequentes igitur notandas suppeditat regulas. 1. Protestatio contraria facto morali præterito nil operatur. 2. In ipso actu probabiliter voluntatem declarante protestatio est valida, nisi talis actus plene voluntatem declaret * aut obligatio legalis adsit. ** 3. Per factum subsequens protestatio præcedens tollitur. *** De cetero adversarii dissensus protestationem invalidam haud reddit.

quam non habemus conjicia- tur pro- testatione cavetur.

* Sic protestatio facto est contraria ac invalida, quando dominus emphyteuseos ab emphyteuta, qui diu canonem non solverat, accipit canonem *futuri* temporis cum protestatione, se non remittere caducitatem.

** Quod lepido casu illustrat *Thomasius.* Princeps jusserat municipii senatum extruere turrim pro custodiendis delinquentibus. Non poterat id aliter fieri, quam ut ex parte turris illa extrueretur in area ad quandam municipii universitatem pertinente. Protestabatur universitas adversus senatum. Senatus referebat Principi. Princeps renovabat mandatum. Protestabatur de novo universitas, ac repetebatur illa protestatio toties, donec Princeps mandato clausulam insereret, ut Senatus in turri illa peculiare hypocaustulum extrueret pro incarcerandis Protestantibus. Ergo contra superiorem non protestandum.

*** Franciscus I. Galliæ Rex antequam pacem Madridensem subscriberet, in antecessum contra eam coram Notario & testibus frustra protestabatur, quia facto protestationem subsequente, pacis nimirum acceptatione ipsa hæc protestatio tollebatur. Extat illa protestatio in Recueil des traittés de paix Tom. 2. p. 107. De pro-

protestatione Thietbergæ diximus in Matrimoniorum doctrina Tit. 36. §. 455.

§. CCXXXIII.

Conditio possibilis obligationem suspendit.

Expositis modis, quibus consensus in pactis nunc expresse nunc tacite declaratur, ad illam nunc progrediendum esset consensus qualitatem, qua ille vel pure vel sub conditione interponitur. Sed cum conditionum doctrina tum Tit. 2. §. 50. & L. 2. T. 6. §. 1. sqq. tum de Heredit. T. 28. §. 1. & de Matrimon. tit. 35. delibata sit, hic monuisse sufficiat, conditionem vel expresse adjici, vel tacite * negotio inesse. Expressa conditio vel possibilis vel impossibilis est. Possibilis sive a casu, sive a contrahentium potestate pendeat, obligationem, utut in se validam ac perfectam, quoad exigendi tamen facultatem suspendit, donec conditionis eventus fuerit secutus. Hunc enim in finem additur conditio. **

* Si expectantiis tacitam inesse conditionem, si vacantiæ casus contingat vivo Principe expectantiam concedente alibi observavimus. Omni pacto inesse tacitam conditionem *rebus sic stantibus*, illudque desinere esse obligatorium, si facies rerum prorsus mutatur, contra *Grotium, Puffendorfium, Zieglerum* evincere studet *Augustin. Leyser* Spec. ad Dig. 40. de pactis invalidis Medit. 4. & de iniquitate expectantiar. §. 26. Mihi illa demum mutatio, quæ in ipsis rebus in contractum deductis contigit, justam pœnitendi causam præbere videtur, non autem oblata forte commodior contrahendi condito. Conf. dicta de Matrim. Tit. 35. §. 443.

** Exempla pactorum conditionalium præbent illa, quibus sorti litium decisio committitur it. ludi fortunæ pariter ac ingeniosi, Lotariæ, olla fortunæ vid. L. 2. T. 12. §. 610. Sponsiones die Wettenschafften vid. L. 2. T. 6. §. 495. Assecurationes L. 2. T. 12. §. 611.

§. CCXXXIV.

impossibilis

Conditio impossibilis physice talis seriam voluntatem excludit, at moraliter talis nullam ad facinus illicitum patrandum obligationem producit. Vid.

Vid. Tit. 4. §. 177. Pro turpi ac illicita conditione merito reputatur illa de innocente hosti dedendo, utut dissentiat quodammodo *Grotius* L. 2. c. 25. §. 3. Non facienda sunt mala, ut inde eveniant bona. Nec placet eorum distinctio, qui ad cruciatus dedi posse innocentem contendunt, non autem ad animam ejus corrumpendam, quod fieret, si pueri hosti in aliena religione educandi, aut virgines stuprandæ tradantur, prout Aurelius Hispanorum Rex pacem a Mauris annuo virginum tributo redemit apud *Marian.* Hist. Hispan. L. 8. c. 7. Hostis qui talia patrare religioni sibi haud ducit, parvi quoque, fidem datam frangere, pendebit, nec proinde tuto ei fiditur. Satius itaque erit, talem pacem spernere, quam incertam peccatis redimere.

nullam producit.

§. CCXXXV.

Interim cum facti sit conditionum adjectio, eædem non temere sunt fingendæ, nec præsumendæ, multoque minus contra negotii indolem violenter, & quasi obtorto collo attrahendæ, quo nomine merito reprehenditur Ferdinandus Catholicus qui nunqnam fœdera & pacta aliter signasse perhibetur, quam sub tacita, quam fingebat, conditione, le profit pour moi, le danger & le fraix pour mes alliez, notante *Ameloto de la Houssaie* in Observationib. super fœderibus Principum p. 66.

§. CCXXXVI.

Adimpleta censetur conditio, si per eum, cujus interest conditionem impleri, fit, quo minus impleatur. Damnum enim quod exinde provenit, cum sua culpa sentiat, sentire non videtur.

TITULUS VII.

DE

Firmamentis Pactorum.

* * *

Robur pactis conciliatur ab accedente geminata seu repetita promissione, scriptura, eaque nonnunquam sanguinaria, sanguinis haustu, sacri cultus & Eucharistiæ celebratione, superioris confirmatione, clausulis denique tum renuntiantibus, tum confirmantibus & pœnalibus, quorsum pertinet lex commissoria, quæ quidem Principum pactis tacite haud inest, adhiberi tamen valide & utiliter potest.

§. CCXXXVII.

Firmant pacta geminata promissio. Versati in superioribus sumus circa consensum, palmarium illud pactorum requisitum, quod ipsam eorum formam constituit. Subjicere nonnulla lubet de firmamentis pactorum, utpote quæ non tam ad esse, quam bene esse pactorum pertinent, & salva eorum substantia abesse quidem possunt, majoris tamen roboris & firmitatis causa accedere nonnunquam solent. Ubi tamen illa, quæ in peculiare contractus nomen transierunt, ut sunt fidejussio, obstagium, pignus &c. specialiori de Contractibus tractationi reservabimus h. l. de generalioribus solliciti, quorsum primo refe-

refero geminatam seu repetitam promissionem, cujus ea est vis, ut enixam voluntatem indicet, omnemque præcipitantiæ suspicionem elidat. Jure Romano etiam pactum nudum alias invalidum per factam repetitionem degenerabat in legitimum, quod constituti nomine veniebat, vid. §. 8. Inst. de Action. & tot. tit. Dig. de Constituta pecunia, hujus tamen rei hodie ubi nuda etiam pacta obligationem producunt, nullus usus amplius superest.

§. CCXXXIIX.

Scripturam probationis causa pactis & contractibus accedere, quidque hoc intuitu observari debeat, dixi Tit. 6. §. 226. Adde dicenda sub contractu chirographario L. 2. T. 23. §. 1. sqq. & de Process. T. 10. §. 292. Frustra autem sunt, qui ad privilegii concessi valorem scripturam præcise esse necessariam ex cap. 7. X. de privilegiis exsculpere conantur. Confirmationem introducendi juris primogenituræ præcise in scriptis, imo in membrana, non in charta fieri debere, nonnulli requirunt, ceu monuimus de Hereditatib. T. 8. §. 192. Hoc loco ubi ad firmamenta pactorum potissimum respicimus, haud abs re erit meminisse subscriptionum sanguinariarum, seu proprio sanguine, atramenti instar adhibito, factarum Unterschrifft mit eigenem Blute. Uti iisdem inprimis solent qui clam, atque remotis testibus matrimonium sibi spondent, quasi hoc ipso solennitates deficientes supplere ac indicare velint, se proprium citius sanguinem fusuros, quam recessuros a fœdere arcano, mutuo cruore sacrato. Illustre hujus rei exemplum habemus in Ernesto Duce Brunsuicensi, de quo *Lutherus* scribit: Item Ernestum Ducem Brunsuicensem a virgine aulica absolvimus, qui tamen multis & gravibus juramentis, imo etiam proprio sanguine suo illi se obligaverat, ceu refert *Bruckner* Decis. Matr. c. 2. in addit. ad n. 2. p. 141. & *Ludewig* de Connubiali Imperio parentum p. 43. Nec dubitandum est, quin seria omnino atque enixa promittentium voluntas per sanguinariam ejusmodi scripturam indicetur. Interim iniquitatis vinculum eadem esse non debet, nec negotium alias illicitum ac invalidum per eandem fieri poterit validum. *Scriptura*

§. CCXXXIX.

Sanguinis haustu fœdera sancire barbaris in more est positum, quem cultiores gentes merito aversantur. Sic autem de illo scribit *Tacitus* Annal. *Sanguinis haustus.*

Lib. 12. p. 201. Mos eſt Regibus, quoties in ſocietatem coëant implicare dextras, pollicesque inter ſe vincire, nodoque perſtringere. Mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum. De Scythis *Mela* Lib. 2. c. 1. ne fœdera quidem, ait, incruenta ſunt, ſauciant ſe, qui paciſcuntur, exemtumque ſanguinem ubi permiſcuere, deguſtant, id putant manſuræ fidei pignus certiſſimum. Add. *Herod.* L. 4. p. 324. De Medis idem teſtatur *Solinus* c. 25. p. 50. Carmannos in epulis percuſſa faciei vena profluentem cruorem vino miſcuiſſe, invicemque propinaſſe, ſummum fœdus amicitiæ, mutuum ſanguinem guſtaſſe, ratos, memoriæ prodidit *Alex. ab Alexand.* Dier. genial. L. 5. c. 3. p. 622. ubi *Tiraquellus* in notis obſervat, idem de Germanis ex *Poſſidonio* tradere *Athenæum* L. 2. c. 2. ideoque veretur, ne *Carmani* ſcripſerit Alexander pro *Germani.* Patrum etiam ævo hunc morem ab Hiſpanis apud barbaros novis orbis paſſim fuiſſe repertum, docet *Lipſius* ad citatum modo *Taciti* locum. Summum nefas eundem haud immerito dixeris cum *Floro*, qui poſtquam Hiſt. L. 4. c. 4. nefaria Catilinæ conſilia expoſuit, ſubjicit: additum eſt pignus conjurationis, ſanguis humanus, quem circulatum pateris bibêre: ſummum nefas, ni amplius eſſet, propter quod quod biberunt.

§. CCXL.

Singularis erat mos, cujus meminit *Pontus Heuterus* Rer. Burgund. L. 4. c. 15. ut ſcil. in conviviis ſingulari apparatu inſtructis avis nobilis viva viris principibus apponeretur, eaque præſente res honeſtæ ac generoſæ promitterentur. Hunc morem ſecutus Philippus Bonus Burgundiæ Dux, cum ordinem aurei Velleris conderet, non ſolum Deo, ſed conceptis verbis Phaſiano promiſit, ſe moturum in barbaros, ab iisque religionem in Oriente oppreſſam defenſurum. Phaſianum autem adhibuit, ut cum in illo loco, quorſum expeditionem moliebatur, magna Phaſianorum eſſet copia, conſpectu eorum Equites hujus ordinis voti nuncupati facilius recordarentur. Vid. *Jo. Guil. Berger.* de Orig. Ordinis Aurei Velleris §. 13. in fin.

§. CCXLI.

accedens cultus A ſacra cultus divini celebratione pactis fœderibusque firmitatem ac robur conciliari omni ævo exiſtimatum fuit. Ipſe Deus, fœdus cum Abrahamo

hamo pacturus, victimas sibi afferri jussit Gen. XV. 9. sqq. Jacobus Patriarcha, icto cum Labane foedere, immolasse legitur Genes. XXXI. 54. Et apud Jeremiam XXXIV. 18. alluditur ad illum Hebraeorum ritum, quo foedera sancientes victimam dissecando indicabant, uti discerptum erat animal, ita discerpi debere, qui pactis non starent. Similes gentilium fuisse ceremonias, eosque porco, ariete, & tauro immolatis foedera inire pactaque polliceri fuisse solitos, ex *Homero*, *Dycti Cretensi* aliisque fuse deducit *Jo. Guil. Stuckius* Antiquitatum Convival. L. 1. c. 30. p. 103. sqq & *Alex. ab Alexandr.* Dier. genial. L. 5. c. 3. p. 622. *divinae celebratio*

§. CCXLII.

Ex quo apud Christianos in locum cessantium immolationum & victimarum S. Eucharistia successit, hac mediante pacta & foedera nonnunquam fuerunt stabilita & confirmata. Paschalis II. Papa pacem cum Henrico V. Imperatore factam divisa inter se & Imperatorem hostia his verbis confirmavit: sicut pars ista vivifici corporis divisa est, ita divisus sit a Regno Christi ac Dei quicunque pactum istud dirumpere tentaverit *Paul. Diacon.* L. 4. c. 40. Et Ludovicus XIV. Gallorum Rex foedus cum Helvetis initum inter solenne Missae sacrificium in Cathedrali Parisiensium templo jurejurando confirmavit. Ac hodienum juxta praescriptum Aureae Bullae c. 2. Electores peracta Missa ad altare accedunt, seque idoneum Imperatorem sine pacto & pretio electuros jurejurando promittunt. Videri quidem posset sacra Synaxis a propitiatore nostro in beneficiorum divinorum applicationem, fideique confirmationem instituta, hac ratione in alios plane fines adhiberi, ac proinde ad abusum trahi. Verumtamen est, & manet omnino S. Coenae finis primarius applicatio partae per Christum gratiae inter ejus vero celebrationem promissorum confirmatio saltem suscipitur enixioris voluntatis testandae causa, quia tunc maxime omnium nos esse decet memores tum pacis, & charitatis, quam proximis nostris, tanquam ejusdem spiritualis capitis membris, debemus, tum etiam irae, & vindictae divinae, quae nos manet, ubi tantorum beneficiorum indignos nos reddiderimus. *S. Eucharistia*

§. CCXLIII.

Judicialis insinuatio & confirmatio nonnunquam e. c. in donatione 500. solidos excedente vi legis plane est necessaria. * alias autem majoris saltem *judicialis insinuatio*

ſaltem ſolennitatis ergo adhibetur, quæ ſi reliqua negotii requiſita juſte fuerint obſervata, ad ſuperflua ac ſaltem nonnocentia pertinet. Confirmatio enim nil novi confert, adeoque negotium in ſe invalidum validum reddere, aut jus tertio quæſitum auferre nequit, quod & clauſula, confirmationibus addi ſolita, ac ſi forte omiſſa ſemper tamen ſubintellecta: *in quantum de jure* innuit, adeo ut e. c. contractus, quo feudum oppignoratur, a feudi domino non in cancellaria feudali, ſed juſtitiæ confirmatus, nullitate laboret, quoniam feudi dominus, non qua talis, ſed qua judex aut Princeps nicht als Lehns ſondern als Landesherr confirmationem peregit, adeoque judicis quidem, non autem domini directi, qui præciſe requiritur, conſenſus adeſt.

* In Dicaſterio Rothwilenſi fœminæ bona alienantes, iisve renuntiantes, illud facere tenentur coram judice ſub formula mit Hand und Mund, mit Zopff und Bruſt. Wenn der Hoff-Richter den Stab darbeut, ſo ſoll er den der Frauen an der lincken Bruſt vornen ſetzen, und ſoll die Frau mit ihrer lincken Hand greiffen zu ihren Haarlock oder Zopff des Haupts an der rechten Seiten, und den Zopff oder das Haar ein wenig hervorziehen, und mit der rechten Hand den Stab und die lincke Bruſt vorne begreiffen ceu ex Ordinat. Rothwil. part. 2. tit. 10. & *Wehner*. Obſ. Pract. Verb. mit Mund und Hand refert *Ludovici* de ſolennitatib. juramentor. p. 27.

§. CCXLIV.

Confirmatio Principis

Quodſi autem juſtus eorum, quorum intereſt, conſenſus quidem adſit, ſed circa negotii ſolennitates aliquid omiſſum, tunc ea omnino confirmationis eſt vis, ut omnem hunc defectum pleniſſime ſuppleat, quoniam confirmatio a ſuperiore ex plenitudine poteſtatis ſuæ peragitur, eoque ipſo vim tacitæ diſpenſationis habet, & proinde in iis paſſibus, ubi diſpenſari poteſt, utilis omnino, in reliquis autem inutilis exiſtit. Hinc exiſtimarem contractum, in quo uſuræ ordinariis majores promittuntur, ſi Principis acceſſerit confirmatio, eſſe validum. Conf. *Jo. Sam. Stryck*. diſſ. de Confirmatione Principis Hal. 1695.

§. CCXLV.

§. CCXLV.

Summi imperantes quandoque transactiones ſuas a Pontifice Romano confirmari curarunt, prout e. c. Papa Clemens VII. pacem Cameracenſem 1529. peculiari bulla confirmavit, præſtitutis Imperatori pariter ac Gallorum Regi pœnis graviſſimis in caſum contraventionis. At principia quæ Pontificis in Principes poteſtatem aliquam agnoſcunt, Pontificiis ſunt propria. Alias autem nil obſtat, quo minus & a guarantatore, non qua ſuperiore, ſed ſponſore pacis tabulæ confirmentur. *Pontificiis Rom.*

§. CCXLVI.

Denique pactorum firmamentis merito etiam accenſentur variæ clauſulæ, majoris cautionis & ſecuritatis ergo iisdem addi ſolitæ. Proprie clauſula, utpote a claudo dicta, ſignificat finem cujuscunque rei, ſpeciatimque orationis. In ſenſu juridico autem clauſula denotat certam periodum negotio (ſive ſit pactum, ſive edictum, ſive teſtamentum) adjectam, per quam illud vel ampliationem, vel limitationem, vel majorem denique firmitudinem accipit, quæ poſtrema potiſſimum hujus loci eſt, utut ad ampliationem quoque referri commode ſatis queat. *Clauſulæ*

§. CCXLVII.

De utilitate harum clauſularum non eſt, ut dubitemus cum per eas omnino tale robur pactis addi queat, quod ipſis alias haud ineſſet. Vitandus interim ſicut in omnibus, ita & hic eſt abuſus, ne ſuperfluas ac inutiles clauſulas conquirendo præter neceſſitatem minimas etiam voculas & ſyllabas venemur, quod Cranio Cæſareo ad pacem Weſtphalicam legato accidiſſe ferunt, qui neſcio quod capitis periculum ſibi imminere arbitrabatur, niſi loco vocularum *ſint & permaneant* ſcriberetur ſunto & permanento. Ejusmodi minutis paciſcentes non modo ſe reddunt ridiculos, ſed & quandoque aliorum animos magis abalienant, quam obligant, cum commune Doctorum axioma, quo plus clauſularum inſolitarum adhibetur, eo plus fraudis præſumere jubeat. *vitentur inſolitæ*

§. CCXLVIII.

Utiles sunt pœnales

Quæ vero ad intendendam pactorum obligationem clausulæ aliquid momenti afferunt, ad tres classes commode revocantur. Vel enim renunciatur exceptionibus & beneficiis, quibus alias a pacto liberaremur, vel alii pacti fiunt participes, vel denique pœna transgredientibus præstituitur. Primum quin liceat dubitandum non est, cum favori pro se introducto quilibet valide renuntiet. Alterum contingit, quando e. c. in pace constituuntur guarantatores & fidejussores, aut quando pax in publicis Regni Comitiis approbari * vel in legem fundamentalem recipi jubetur, qualis clausula occurrit in Instr. Pac. Westphal. art. 17. §. 2. cujus rei hæc est vis, ut talis pax postea ne quidem mutuo paciscentium consensu mutari queat, sed ad talem mutationem præterea Ordinum consensus requiri debeat, quippe quibus eo ipso, quo talis pax in legem fundamentalem recipitur, ex eadem jus est quæsitum.

* Sic in pace Vervinia inter Gallos & Hispanos inita conventum, ut Rex Galliæ eam in Acta Senatus Parisiensis aliarumque Regni curiarum & Rationalium Cameræ Parisiensis, Rex vero Hispaniæ in Sanctioris & aliorum Regis Consiliorum & Cameræ rationum in provinciis Belgicis referri curaret. *Thuan.* Histor. L. 120. ad an. 1598.

§. CCXLIX.

Exemplum memorabile.

Pœnam dum paciscentibus per pacti clausulas præstitui dicimus, facile patet, non innui pœnam proprie sic dictam, hæc enim nonnisi a superiore inferiori potest infligi, sed conventionalem, quæ ob damnum datum ultra illius reparationem inferenti vi conventionis infligitur. Nam reparatio damni nec pœnæ nomine venit, nec conventione indiget. Ultra reparationem autem ex damno dato regulariter nil debetur. Quare si quid eo nomine consequi velimus, conventione opus est, quæ per clausulam pœnalem pacti principali additam inducitur. Multis modis ejusmodi pœna variare potest, prout vel corpus, vel bona, vel existimationem respicit. In corpus proprium exiguam valde potestatem homo habet. Quare vix est, ut pœnas corporis afflictivas conventionalibus annumeremus. In fœde-

fœdere quidem Chambordico, quod Gallorum Rex Henricus II. cum Mauritio Saxone, Alberto Brandenburgico & Philippo Hasso 1552. pepigit, art. 22. cavebatur, ne quis fœderatorum cum Carolo V. Imperatore ejusque sociis paciscatur, nisi fœderati omnes assentiant, quod si quis fœderatorum gratiam aut pacem cum Imperatore inierit, hunc veluti perfidiæ scelere execrabilem, exercitu spectante, nudari & verberibus cæsum necari placet. Vid. *Bodin.* de Republ. L. 5. c. ult. p. 963. Non tamen erat, ut ab hac sibi pœna metueret Mauritius, cum sexto post mense cum Carolo in Gratiam rediret, sociorum conscio nemine. Libertate in quantum se mulctare liceat infra de Obstagiis videbimus. Ad bona omnium optime respicitur in pœnis conventionalibus, quarum vix ulla ad pacta melius quadrat quam illa, quæ in casum contraventionis ipsum pactum prorsus irritum esse jubet, quæ clausula legis commissoriæ nomine venit.

§. CCL.

Lex commissoria Principum pactis tacite non inest.

Sunt qui legem hanc commissoriam naturaliter omnibus Principum ac Rerumpublicarum pactis tacite inesse, quod vero in privatorum pactionibus aliud obtineat, ex civilibus Quiritium institutis derivandum censent. Vid. *Gribner.* Princip. Jur. Nat. L. 3. c. 5. th. 4. & *Bodin.* de Republ. L. 5. c. ult. p. 938. ubi eum, cui rupta fides erit vel uno capite fœderis, eodem ita scribit solutum ut nullo capite fœderis teneatur. Speciem hæc opinio accipit inde, quod in bilateralibus mutua obligatio sit conditionis instar, qua cessante, ipsa utique cessat obligatio. Sed verum hoc tum demum erit, si alterutra pars promissa adimplere plane detrectat, tunc enim omnino in læsi arbitrio est positum, num itidem recedere a pacto, an ejus implementum petere velit. Quodsi autem in uno alterove saltem capite e. c. circa tempus solutionis suas partes alteruter neglexerit, ad satisfactionem vero damnique dati reparationem, seu id quod interest, se offerat, tunc certe socialitatis leges non sinunt, ut spreta satisfactione simpliciter a pacto recedatur, quia præstita satisfactione conditio, quæ tacite pacto inerat, cessare dici nequit. Quoties igitur vel ob minimam pacti violationem integram nobis ab eodem recedendi facultatem cupimus, necesse omnino est, ut addita clausula commissoria nobis prospiciamus, quippe quæ alias tacite ac ipso jure negotio haud inest. Interim cum non eadem omnium hac de re sit sententia,

inutiliter expreſſe cavetur, ne ob quamvis trangreſſionem altera pars a pacto recedat, quæ tamen clauſula non impedit, quo minus pars læſa a ſua parte impletionem tam diu recuſet, ac differat, donec is, qui primus pacti leges violavit, damni dati reparationem ſeu id quod intereſt, præſtiterit.

§. CCLI.

quod confirmatur

Rem ſpeciali quodam exemplo illuſtraſſe juvabit. Sumamus pactum ſubjectionis, quod ſummos imperantes inter ac ſubditos intercedit. Hic princeps ſubditos tueri, juſteque regere, ſubditi autem viciſſim obſequium promittunt. Fac autem ſubditos nolle ulterius obſequi, tunc ſine dubio in Principis arbitrio erit, velitne eos ad officium & obſequium redigere, an itidem a pacto recedere, eosque deſerere. Simile eſto judicium in caſu, quo Princeps vel diſerte val ſaltem per facta tyrannica declarat, ſe juſte amplius regere nolle. Tunc enim ſubditi eo ipſo viciſſim a ſubjectionis pacto ſoluti intelliguntur. Sed finge Principem in uno ſaltem alterove caſu negligentem ſe præbere, poteruntne ideo ſubditi ſtatim obſequio promiſſo nuntium mittere? Minime gentium. Quodſi enim damnorum illatorum reparationem Princeps offert, atque in poſterum officii ſui magis memorem ſe gerit, per factam reparationem priora vitia abolita cenſentur, ipſumque ſubjectionis pactum in priſtino ſuo vigore ſubſiſtit. Si vero ſubditi ſtatim eo ipſo, quo aliquid contra ſuum officium Princeps ſuſcipit, ſoluti eſſe volunt ab obligatione, quam cum eo contraxerant, vel ſaltem negotium a Principe contra Capitulationem celebratum nullum & irritum eſſe, opus omnino erit, ut per additam ſubjectionis pacto ſeu Capitulationi clauſulam commiſſoriam ſibi proſpiciant.

§. CCLII.

præſcribi tamen Principibus poteſt.

Negant quidem nonnulli, poſſe legem commiſſoriam Principibus præſcribi, propterea quod ſumma eorum poteſtas immediate a Deo originem ducat, nec proinde ullo facto humano poſſit imminui. Cui dubio tollendo alii hanc afferunt medelam, quod per legem commiſſoriam non imminuatur, ſed arctius paulo contringatur Majeſtas. Vid. *Henr. Bodin.* de Contractib. ſummar. poteſtat. Sed mallem in genere negare id, quod dicitur, Majeſtatem immediate eſſe a Deo. Deus enim homines liberos, nulli-

nullique civili imperio ſubditos creavit, ac nullibi eidem ſe ſubjicere præcepit, ſed ſaltem ubi ſemel libere receptum, ut ſancte reverenterque habeatur, jubet. Patet hinc, omne Majeſtatis jus a ſubjectionis pacto pendere, quod ſicut pro lubitu vel iniri vel omitti, ita ſi initur, itidem vel pure iniri poteſt, vel ſub certis conditionibus, qualis & eſt illa, ut Princeps conceſſam ſibi poteſtatem illico amittat, ſimulac prius a promisſis ſuis vel minimnm receſſerit.

§. CCLIII.

Id quod magis adhuc confirmant exempla legum commiſſoriarum Regibus paſſim & præcipue in Polonia præſcriptarum. Henricus Andegavenſis Polonis ita juravit: ſi quidem (quod abſit) juramentum meum violavero, nullam nobis incolæ Regni obedientiam præſtare tenebuntur *Bodin.* de Republ. L. 1. c. 8. p. 139. & *Arniſ.* Relect. Polit. L. 2. c. 6. Sect. 7. num. 2. p. 1103. ubi & ex *Chytræi* Saxon. L. 23. Stephani Batori ſimile fere juramentum memorat, quod ita fert: ſi, quod abſit, juramentum *in aliquibus* violavero nullam mihi incolæ regni omniumque dominiorum unius cujusque gentis obedientiam præſtare debebunt. Imo ipſo facto eos ab omni fide & obedientia Regi debita liberos facio, abſolutionem nullam ab hoc juramento meo a quoquam petam, neque ultro oblatam ſuſcipiam. Andreas Hungariæ Rex legi fundamentali ſuper regni ſucceſſione 1222. latæ, hanc clauſulam addidit: Quodſi vero nos vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum huic diſpoſitioni noſtræ contraire voluerit, Ordines liberam habeant harum autoritate ſine nota alicujus infidelitatis reſiſtendi in perpetuum facultatem. Quæ tamen 1714. publicis Comitiis Poſonienſibus eſt ſublata. *Exempla*

§. CCLIV.

In Germania cum Leopoldus Imperator eligeretur, Gallia omnem movit lapidem, ut clauſula commiſſoria eidem præſcriberetur, quod licet factum non fuerit, colligi tamen ex dictis poterit, nil quidem impedire, quo minus clauſula commiſſoria Principum electionibus & Capitulationibus inſeratur, nec tamen eandem, ſi expreſſe haud addita, iis tacite ineſſe. Quis enim crediderit, tantam datam fuiſſe operam, ut Capitulationi *Germanica*

tioni inferatur claufula, fi hæc eidem jam dum tacite ineffet. Electores Brandeburgicus & Palatinus cum 1609. homagium ab Ordinibus Ducatuum Juliacenfis, Montium &c Clivenfis acciperent, in Reverfalibus iisdem datis diferte promiferunt, fi quid contra easdem de facto fufcepturi fint, quod tunc ordines liberi ab homagio effe debeant. Pomeraniæ Duces quondam per literas reverfales ftatibus provincialibus datas declararunt, quod fi quicquam contra initas conventiones fufceperint, nec intra femeftre iterum aboleverint, Statibus tunc integrum effe debeat, alius cujusdam Principis poteftati fe fubjicere, quod idem effe, ac fub lege commifforia imperare appofite obfervat *Herman. Henric. Engelbrecht.* JCtus Gryphiswald. in delineatione Status Pomeraniæ Svedicæ Gryphiswald. 1741. 4. edita.

§. CCLV.

Lex commifforia emtioni accedens differt a pacto dominii refervativo.

Quemadmodum publicis, ita & multo magis privatis pactis, emtionibus, alienationibus commifforia lex valide accedit, ita ut e. c. nifi pretium ftato tempore folvatur, res fit inemta, nec audiri debeat emtor, utut ufuras pretii ex tempore moræ offerat, quæ cautela quantum habeat utilitatis, res ipfa loquitur, cum fatius longe fit ex jure in re, quam actione perfonali agere. Quam obrem pacifcentes in alienationibus intuitu promifforum & refervatorum follicite fatis profpicere fibi folent formulis dominii, hypothecæ, conftituti poffefforii atque inprimis legis commifforiæ, quæ in propofito emtionis cafu cum pacto dominii refervativo in multis convenit, ab eodem tamen duplici potiffimum modo differre traditur 1) quod lex commifforia non impedit, quo minus traditione rei venditæ dominium ad emtorem transferatur, at pactum dominii refervativum id manifefte impedit, etiamfi cum refignatione judiciali optime ftare queat, utpote quæ tacitam tunc habet conditionem, fi pretium folvatur. 2) quod lex commifforia ceffat, eique tacite renuntiatur, fi poft conftitutum folutionis tempus venditor non rem fed pretium petierit, quod & innuit L. 7. Dig. de leg. Commiff. At pactum dominii refervativum tali cafu non expirat. Nam dominium in fecuritatem pretii volunt effe refervatum, & quo longius pretii folutio differtur, eo magis periculum crefcit, dominioque refervato opus habet. Conf. *Hartung.* de pacto dominii refervativo c. 3. §. 13. Nefcio tamen, numne hæc ratio pari jure ad legem commisforiam

ſoriam queat applicari, adeo ut dictæ Legis 7. diſpoſitio mere civilis eſſe, vixque ad ſummos Principes applicanda videatur.

§. CCLVI.

Quanta quanta autem legis commiſſoriæ in pactis cernitur utilitas, hæc tamen ejus eſt indoles, ut quandoque vel inſufficiens ſit ad adſtringendam arctius paciſcentium fidem, quando e. c. præſtationes perſonales pacti objectum conſtituunt, vel etiam gravis nimis ac incommoda paciſcentibus exiſtit, dum e. c. emtor per eam impeditur in facultate diſponendi de re emta. Hinc ſatius nonnunquam videtur, pecuniariam quandam pœnam in pacti violatores mutua conventione determinare. Exempla mulctarum conventionalium ſponſalibus adjectarum attuli de Matrimoniis T. XI. §. 171. Si vero pecuniæ ex pacto debitæ certus ſolutionis terminus præfigatur, ſimulque in caſum dilatæ ſolutionis pœna pecuniaria ſtatuatur, quæritur, num illa pœna extendi poſſit ultra quadruplum? Dubitandi ratio deſumitur ex §. 21. Inſt. de Actionib. ubi ultra quadruplum nullam actionem extendi dicitur, id tamen omne pertinere ſaltem ad pœnam lege definitam, non autem conventionalem, facile patet. *Mulctæ ultra quadruplum poteſt præſtitui.*

§. CCLVII.

Magis dubium videtur, an pœna conventionalis poſſit extendi ultra legitimarum uſurarum modum? Equidem leges fœnus ſaltem ad certam quantitatem reſtringunt, at cum pœnæ indoles longe ſit diverſa ab illa fœnoris, & in pecunia cujus ſolutioni pœna eſt præfixa, non agatur de eadem fœnori exponenda, ſed ſolvenda, adeoque ceſſet omnis uſuraria pravitas, leges fœnori poſitæ ad pœnam conventionalem (quam diu contractus fœnoratitius ſub ea haud palliatur) non pertingunt. Nihilo ſecius deprehendo plurimos JCtos in diverſam abire ſententiam, ac negare, quod pœna conventionalis ultra modum legitimarum uſurarum poſſit extendi. Hinc licet in pacto, quo locator cum conductore ita convenerat, daß Pachter jedes halben Jahres Pacht Zinß an thlr. prænumeriren, wiedrigen falls aber, und da er einen Termin mit Prænumeration nicht einhalten würde, so dann deren beym Anfang des Pacht Contracts vor- *An ultra modum legitimarum uſurarum.*

voraus-

ausgezahlten thlr. verlustig seyn solle 2c. Ordo Juridicus Lipsiensis conductorem propterea, quod duobus diversis temporibus in mercede numeranda cessasset, in pœnam conventionalem condemnasset mens. Maj. 1705. Scabinatus tamen ejus loci, leuteratione interposita, priorem sententiam correxit mens. Oct. 1705. cujus judicio postea & JCti Vitebergenses subscripsere mens. Decemb. 1706. Vid. *Hamberger* de non-usu stipulationum p. 39. & 89. Certe si juramentum intervenit, pœnas conventionales ultra interesse peti posse, post plures alios docet *Everard.* Loc. legal. 130. num. 69.

§. CCLVIII.

Sub fama & existimationis jactura

Famæ & existimationis jactura haud raro ab illustribus præsertim paciscentibus in pœnam pacti violati præstituitur, quo pertinent formulæ bey Fürstl. Gräfl. Adel. Ehren, Treuen und Glauben. Quamvis enim nemo famæ suæ ac gentilitiæ dignitatis sit arbiter, illæque ab aliorum potius opinione & collatione pendeant, dubitandum tamen non est, quin iisdem proprio maleficio quis se reddere possit indignum, præsertim ubi prævia propria renuntiatione in eventum perfidiæ commissæ iisdem se abdicat, licet inferior, ita se obligans, magistratui infamiam publice irrogandi necessitatem imponere nequeat. Conf. Tit. 4. §. 175.

§. CCLIX.

obligationes Germanis solennes

Germanorum moribus omni ævo fuisse solennissimum ut Principes & nobiles obligarent fidem suam hac formula; nisi explevero hoc, sim infamis, exemplis docet *Ludewig* Reliq. Tom. 2. Diplom. XXII. p. 222. & de SCto Vellej. diss. 2. p. 31. Sic Waltherus Pincerna de Limpurg anno 1237. ita se obligat Domino de Hohenloe: quodsi contra aliquam prædictorum fecero, ex tunc sim *exlex*, quod in vulgari dicitur Ehrloß und Rechtloß, & quod omnia mea bona tam propria quam feudalia vacent collationi domini Imperatoris, & feuda alia revertantur ad ipsos. Provocat etiam Dn. *Ludewig* ad Diploma ubi Imperator Romanus se Argentoratensibus obligavit sub formula amittendi honoris.

§. CCLX.

§. CCLX.

Sub pœna banni Imperii, ita ut nisi serventur promissa, Camera Imperialis ab executione incipere, & debitorem in bannum declarare valeat, neminem se obligare posse, monet *Rhetius* Inst. Jur. publ. L. 3. T. 2. §. 5. hanc addens rationem, quod bannum in exemplum esse debeat ob crimen vel delictum, & in refractarios contra publicum. Scilicet pactum inter alios initum tertio seu summis Imperii judiciis præjudicare, aut ipsis necessitatem bannum infligendi imponere nequit. Quare confirmatione Cæsarea tali casu opus. *Spangenberg* Chron. Mansfeld. c. 353. memorat pactum Comitum Mansfeldensium de 1519. daß keiner seiner Gemahlin mehr den 750. fl. jährlich Aufhebens vermachen, auch nach eines Herrn Tod die Wittfrau nicht mehr denn 400. fl. Morgengab und 1000. fl. für alle Gerade bekommen solle. Hätte aber eines Gemahlin über 20000. fl. zum Heyrathguth eingebracht, möchten ihr 1200. fl. jährlich aufhebens dagegen vermacht werden. Mit dieser gegeneinander geschehenen Verpflichtung, daß welcher Graf solches überschreiten würde, desselben Güther solten den andern Grafen verfallen seyn, und solte auch vor Kayserl. Majest. Erklärung in der acht seyn. Solches haben sie durch Kayser Maximilian bestättigen lassen. *Sub banni pœna obligare se nemo potest.*

§. CCLXI.

Vix autem sub graviori pœna se obligare quisquam poterit, quam si gratiæ divinæ in casum non servatæ fidei renuntiat. Constituit hæc divinæ gratiæ renuntiatio ipsam juramentorum formam, de quibus, tanquam solennissimis pactorum firmamentis, nunc paulo penitius dispicere operæ pretium erit. *Transitus*

TITULUS VIII.

DE

Juramentis Promissoriis.

* *
*

Juramentum (seu renuntiatio gratiæ divinæ in casu mendacii aut perfidiæ) etiam a procuratore in alterius animam fieri potest, & inter illustres præsertim variis adhibitis solennitatibus solet. Redditur iisdem juramentum solennius, non efficacius, & promissorium sequitur indolem negotii principalis, cui accedit, ita tamen, ut vis ipsius personam jurantis haud egrediatur, quæ & ipsa relaxationem a superiore certis in casibus potest impetrare.

§. CCLXII.

Juramentum quid? Inter varias diversasque juramenti definitiones communissima est illa, quæ juramentum ad ductum *Aristotelis* & *Ciceronis* definit per assertionem religiosam, quæ fit cum assumtione testimonii divini. Frustra sunt, qui objiciunt, Deum in juramentis invocari non ut testem, sed ut vindicem. Recte enim observat *Grotius*, hæc duo ad idem recidere, ubi de hominis juramento quæritur. Nam cum *superior* puniendi jus habens testis advocatur, simul ab eo mendacii & perfidiæ ultio poscitur. Neque est, ut huic defini-

definitioni metuamus ab objectione *Titii* ad Lauterb. Obs. 320. & ad Pufsend. Obs. 257. scilicet eam non ad juramenta solum, sed & perjuria quadrare, sed respondeo, perjuria etiam esse juramenta, utut falsa, adeoque generalem juramenti definitionem pariter ingredi debere. Commendat se potius dicta juramenti definitio ob generalem suum ambitum, quo omnia omnino juramentorum genera comprehendit, ne iis quidem exceptis, quæ ipse Deus præstitisse passim legitur, ad quæ certe aliorum definitiones plane non quadrant, ita ut easdem vel falsitatis arguere, vel negare habeamus necesse, posse Deum proprie loquendo jurare. Fateor, si juramentum saltem consideremus, quatenus in homines cadit, significantius illud describi per renuntiationem gratiæ divinæ sub conditione mendacii vel perfidiæ factam, quæ definitio uno quasi intuitu subjectum, objectum, formam indeque pendentes divisiones & effectum juramenti sistit.

§. CCLXIII.

requirit facultatem & voluntatem renuntiandi.

Is, qui jurat, eo ipso dum renuntiare gratiæ divinæ dicitur, debet habere & facultatem & voluntatem renuntiandi. * Facultatem renuntiandi non habent, qui recto rationis usu destituuntur, infantes, furiosi, ebrii, unde nec jurare poterunt. Sed & de iis qui perfecto rationis usu pollent, dubitari potest, num gratiæ divinæ renuntiare valeant, quoniam illa est summum bonum, quod nec jactari debet, nec alio ullo compensari potest. Sed quanta quanta sint gratiæ divinæ beneficia, eadem tamen invitis non obtruduntur, accedit, quod in juramentis gratiæ divinæ non simpliciter renuntietur, sed demum eventualiter in casum mendacii commissi. Quod ipsum tamen novam dubitandi suppeditat rationem. Scilicet dum mendacii suspicio eventuali gratiæ divinæ renuntiatione purgatur, eo ipso innuitur in eo, cui juratur, diffidentia erga jurantem, quæ omnino in regulas humanitatis ac socialitatis impingit, adeoque est illicita, certe per assumtionem testimonii divini foveri non debet, quo faciunt dicta Christi Matth. V. 33. & Jacobi Apostoli V. 12. omnino jurare prohibentia.

* Ex loco Jerem. IV. 2. Pontifex in cap. *26.* X. de jurejur. tres comites juramento tribuit, veritatem ut exulet dolus, judicium, ut jurans negotium intelligat, & justitiam, ne illiciti quid jure-

jurando promittitur. Judicium & justitia ad facultatem, veritas ad voluntatem jurantis commode satis referri potest.

§. CCLXIV.

Statui integritatis incognitum.

Respondeo, verum omnino est, diffidentiam homines non decere, eosque, si in integritatis statu mansissent, sine dubio ut diffidentia, ita & juramentis fuisse carituros, eaque esse fœtum naturæ corruptæ, quam cum Christiani exuere pristinæque integritati & perfectioni studere debeant, eorum quoque est, seponere diffidentiam omnem, indeque orta juramenta. Atque hanc omnino esse mentem Christi & Jacobi Apostoli penitus mihi habeo persuasum, adeo ut iis non modo juramenta extrajudicialia, quod vult *Jo. Sam. Stryck.* de eo quod justum circa juramenta extrajudicialia, sed & judicialia quoque improbari credam, utut norim, plerosque memorata dicta de solis temerariis juramentis, quæque per creaturas fiunt, explicare, cui tamen interpretationi graviter obstant indefinita Christi verba: *omnino non jurare* prohibentia. Nec tamen est, ut penitus omnem juramentorum usum damnemus. Pertinent enim hæc Christi & Jacobi monita ad statum perfectionis, omnem diffidentiam eliminantis, quemque in primitiva Ecclesia quoad hunc passum re vera obtinuisse conjicere licet ex *Eusebii* Histor. Eccles. L. 6. c. 4. Ubi vero ille cessat, nec homines nudis assertionibus fidem habere volunt, ea utique sunt adhibenda media, quæ collapsam sic hominum socialitatem ac confidentiam, in quantum fieri potest, restituunt, quorum vix ullum est aptius, quam si per invocationem testimonii ac vindictæ divinæ hominum conscientiis terror injicitur. Add. cap. 26. X. de jurejur.

§. CCLXV.

nec tamen illicitum.

Utut fatendum omnino sit, ne hoc quidem medium satis videri sufficiens, dum utilitatem suam saltem exserit in statu obtinentis nequitiæ humanæ, hac autem posita verendum omnino sit, ne qui fidem fallendo peccare, eoque ipso iram pœnamque divinam, & æternam damnationem incurrere parvi pendet, ipsam etiam gratiæ divinæ renuntiationem insuper habeat, adeo, ut si rite rem æstimemus, omnis juramentorum efficacia

ab

ab erronea perversorum hominum persuasione pendeat, ac si mendacium & perfidia sint peccatilla venialia, nonnisi prævia divinæ gratiæ renuntiatione æternam damnationem promerentia. Præstat interim aliquod, utut insufficiens, quam nullum restaurandæ collapsæ inter homines fidei adhibere medium. Unde non modo in V. T. sanctissimi etiam viri (imo ipse Deus) sed & in N. T. Apostoli in tantum se humanæ imbecillitati accommodarunt, ut jurasse passim legantur, & Paulus Hebr. VI. 16. juramentum tanquam omnis controversiæ finem commendat, ipsum simul sanctissimi Dei exemplum graviter in mentem revocans. Conf. Gen. XIV. 22. XXI. 24. XXXI. 53. XLVII. 31. Jos. II. 12. IX. 15. Psalm. CIX. & CXXXI. Rom. I. 9. 2. Cor. I. 23. Gal. I. 20. Apoc. X. 6.

§. CCLXVI.

sed ejus præstatio quandoque necessaria.

Prodit se ex dictis non modo facultas, sed & aliqua jurandi necessitas. Cum enim ad conservandam mutuam fidem ac socialitatem quilibet sit obstrictus, juramenta autem sint media huc facientia, sequitur, quemlibet esse obligatum ad veritatem mediante jurejurando confirmandam ei, qui jus habet illam a nobis exquirendi, nec nudæ nostræ assertioni confidit, uno verbo juramenta juste delata præstari non modo posse, sed & debere. Sed quid de juramenti delatione habendum sit, magis videtur dubium, illa siquidem diffidentiam involvit, ac proinde socialitatem magis destruit, quam juvat. * Quare omnino illicita videtur juramenti delatio, quamdiu nulla mendacii adest suspicio. Hæc autem ubi se prodit, & nihilo secius veritatem nosse interest, nihil obstet, quo minus jus jurandum deferatur, quia tunc culpa non deferentis est, sed ejus qui suspectum se reddidit.

* Quo fundamento forte prisci Germanorum mores nituntur, quibus captivus, *sola fide* domum dimissus, redire simpliciter tenebatur, si vero alteri *juraverat*, se rediturum, liberum ipsi relinquebatur, utrum redire velit, nec ne? Spec. Svev. c. 343.

§. CCLXVII.

utut ejus delatio nunquam necessaria.

Juramenti igitur delationem naturali jure permissam quidem, non autem necessariam ac præcise præceptam crediderim. *Glafejus* quidem in

ſeinem Vernunfft und Völcker-Recht p. 543. videtur ſibi reperiiſſe caſum, ubi juramenti delatio quoque ſit præcepta e. c. quando ſcortationis crimen a magiſtratu puniendum, cujus tamen veritas aliter quam mediante jurejurando elici nequit. At enim vero ſicut non crediderim, publicæ rei tantopere intereſſe, ut puniatur crimen, de cujus veritate non conſtat, ita ſubdubito, an caſus ſit dabilis, ubi juramenti delatio abſolute ſit neceſſaria, & quid quæſo impediret, quo minus Princeps omnem juramentorum uſum e ſua Republica tollere poſſit, dummodo ſimplex mendacium non minus, quam perjurium pœna condigna cœrceri jubeat.

§. CCLXVIII.

imo prohiberi poſſit.

Certe, quod ad promiſſoria juramenta attinet, exemplum habemus in Hiſpanis, qui ne juramentum in Contractibus interponatur publica lege aliquando ſanxerunt, ex politica quidem ratione, ne cauſæ ſeculares ſub jurisjurandi, tanquam cauſæ ſpiritualis, prætextu ad fora Eccleſiaſtica traherentur. Vid. *Setſer.* de jurament. L. 1. c. 25. n. 85. Sicut vice verſa Clerici, ut eo facilius ſeculari jurisdictioni ſe ſubducerent, obtinuerunt ab Henrico IV. Imperatore Conſtitutionem, quam exhibet *Lunig* in Germania Sacra Diplomatica Part. 1. p. 149. ut nec Epiſcopi, nec Presbyteri, nec cujuscunque ordinis Clerus, non Abbas, non aliquis Monachus vel Sanctimonialis in quacunque controverſia ſeu criminali ſeu civili jusjurandum qualibet ratione compellatur ſubire. Reſpicit ad hanc Conſtitutionem ejusque tenorem repetit Honorius II. Papa in cap. 1. X. de juram. calumn. prohibens præterea, ut ne volens quidem Epiſcopus inconſulto Romano Pontifice, vel quisque Clericus inconſulto Prælato ſuo jurare audeat. Ac ne quisquam omnino Clericus hominium Laico faciat, Gregorius VII. Urbanus II. Paſchalis II. ſæpius & præcipue in Lateranenſi Concilio prohibuerunt, quorum tamen conatibus Imperatores maſcule ſemper reſtiterunt, omnique tempore in hunc usque diem hominia a Clericis quoque receperunt. Nonnullis in locis, in Auſtria, Bohemia, Bavaria in genere omnibus illuſtribus, utut ſecularibus perſonis, id privilegii competit, ut in teſtimoniis ferendis a juramento ſint immunes, eaque ſaltem ſub fide generoſa confirmare teneantur. Quæ tamen privilegia, ceu facti, nec præſumenda, nec ad regulam, ſed exceptiones ſunt referenda.

§. CCLXIX.

Hactenus de facultate jurandi. Non vero sufficit, facultatem jurandi esse penes jurantem, sed & præterea requiritur, ut voluntatem jurandi habeat, quia inviti concipi nulla renuntiatio potest. Cum vero per dicta §. 267. nonnunquam adsit necessitas jurandi, apparet, vim justam non omnino excludi. Conf. dicta Tit. 5. §. 199. De eo autem dubitatum, num Princeps subditis jurare teneatur? Quodsi in genere in humanitatis ac socialitatis leges impingit is, qui juramentum ab altero postulando diffidentiam erga illum prodit, multo magis in debitam Principibus reverentiam ac fidem injurius erit, qui promissis eorum aliter, quam jurejurando interposito fidere renuit. De Frisiæ Comite memoriæ prodidit *Reidanus* Annal. Belg. ad an. 1599. quod cum Emdani ab eo juramentum, quo pristina privilegia confirmaret, postulassent, Comes illud recusaverit quasi indecorum esset adigere Comitem, arrecta dextra jusjurandum dicere: perinde æstimandum, si per famam & honorem suum promitteret: absurdum esse, Principem subditis jurare. Atenim vero quantacunque Principibus fides & reverentia debetur, non tamen desinunt esse homines imbecillitatibus obnoxii, a quibus subditi tanto justius sibi cavent, quo majorem diffidentiæ causam Princeps præbet, denegando tale jusjurandum. Unde summos quoque Reges ac imperantes talia juramenta haud dedignari videmus, imo ipsum sanctissimum omnisque imbecillitatis expers divinum Numen hoc in passu hominibus se accommodasse ac jurasse observavimus §. 256.

an Princeps subditis juret?

§. CCLXX.

Porro dum voluntas in jurante requiritur, simul intelligitur, quod verba sola & solus eorum sonus juramentum haud efficiant, nisi cum intentione jurandi proferantur. Unde jurare dici nequit, qui forte verba juramenti recitat, aut qui ex usitata quadam prava, ac ceteroquin omnino pœnam promerente consuetudine, sine tamen animi attentione effutit verba illa: GOtt straff mich, vel similia, quæ alias & si serio pronuntiarentur, omnino juramentum innolverent. Quanquam autem voluntas est interna mentis operatio, ea tamen signis externis proditur, ex iisque dijudicatur. Male Etheocles apud *Euripidem* in Phœnissis, postquam juraverat, se per-

Voluntas jurandi ex signis externis judicatur.

acto

acto anno daturum imperium fratri suo Polycini dixit: juravi lingua, mentem injuratam gero. Nec obstat, quod Deus in juramentis testis invocatur, qui pro omniscientia, quæ pollet, cor respicit, & judex cogitationum audit. Id enim quod dicitur, coram Deo magis valere, quod cogitatur, quam quod ore profertur, ad solos hypocritas, qui ipsi Deo fucum facere intendunt, pertinet. At juramenta non Dei, sed hominum causa, atque ut his dictorum fides fiat, præstantur, qui utique finis plane cessaret, si reservationibus mentalibus in iis locus relinqueretur. Quo ipso simul dolum malum a juramentis abesse debere intelligitur, cui rei illustrandæ applicari, si placet, possunt superius dicta Tit. 5. §. 1. sqq. * ex quibus etiam colligi poterit, quod error invincibilis & metus injuste incussus juramenta vitient, nam eatenus juramenta & pacta pari passu ambulant, & utrobique eadem plane requiritur voluntas.

* Id tamen, quod Tit. 3. §. 140. dixi, fallere licere hostem sermone asserente non promittente, ad juramenta applicari nolim, quasi juramento promissorio hostem fallere non liceat, bene tamen assertorio. Nam ne hoc quidem licet, propterea quod eo ipso, dum alter juramentum exigit, alter præstat, tacita intercedit promissio, tacitum pactum de vero dicendo, quod quia bello est posterius de belli quoque jure remittit. Conf. Tit. 5. §. 195.

§. CCLXXI.

Vis injusta & dolus malus juramentum vitiat.

Dantur quidem haud pauci, in quibus ipse est *Grotius* L. 2. c. 13. §. 14. qui diversitatem quandam in eo quærunt, quod in juramento non modo ei, cui juratur, sed & Deo jus quoddam quæritur. Quamvis igitur homini, cui juratur, opponi possit vis ac metus, ita ut hic jus nullum consequatur, nihilo minus Deo obligari jurantem, ut jurijurando stet. At corruunt hæc omnia, ubi nobiscum reputamus, non sinere sanctitatem Dei, ut sit vinculum iniquitatis. Non est, ut ab aliis vel centies actum agamus, hocque fusius deducamus. Exempla quæ *Grotius* subjicit ad rem plane non faciunt, cum agant de juramentis vi bellica extortis, quam omnino justam esse reputandam, nec proinde pacta aut juramenta vitiare dixi Tit. 5. §. 202. Locum Psalm. XV. 4. ab aliis urgeri deprehendo, utpote juxta Originale Hebræ-

Hebræum ita interpretandum: ille habetur vir integer vitæ, qui juravit ad affligendum ſe, & non mutat. Sed non video, cur illa verba præciſe de juramento vi injuſta extorto accipi debeant, cum rectius forte ad juramenta errore vincibili, vel juſta vi elicita referantur.

§. CCLXXII.

Romano Catholicis Pontifices quidem jure ſuo Canonico perſuadere voluerunt, omne juramentum (etiam vi injuſta extortum) ſervandum eſſe, quod ſalva ſalute æterna ſervari poteſt, ut ſcil. pro concedendis abſolutionibus ab ejusmodi juramentis tanto majorem numorum vim corradant. Conf. cap. 8. X. de jurejur. Ipſi tamen Pontifices usque adeo nihil horum ſuorum dogmatum crediderunt, ut nec juramenta juſta vi elicita ſub metus prætextu revocare dubitaverint. Exemplo ſit Paſchalis Papa, qui jusjurandum, quod Henrico V. Imperatori de relinquenda ipſi Epiſcoporum inveſtitura (re, quam certe ſalva ſalute æterna cedere potuiſſet) præſtiterat, in Concilio Lateranenſi anno 1112. ſub violentiæ prætextu irritum pronuntiavit. *Diff. Jus Canon.*

§. CCLXXIII.

Ubi facultas & voluntas in jurante adeſt, de cetero perinde erit, utrum ipſe in perſona juret, an per alium juxta illud, quod quis per alium facit, ipſe feciſſe cenſetur. Inprimis quando corpus quoddam myſticum, ſive integra univerſitas jurejurando eſt obſtringenda, nec tamen ſingulos jurare, ſatis eſt commodum, aliquem reliquorum nomine jurare expedit. Dubius hæreo, num huc referre debeam antiquum Romanorum morem, qui publica fœdera ſolenniter per fecialem quidem, ſe tamen ſolum devoventem, confirmabant. Fecialis enim ſumto manibus lapide pactis conventis ſtare promittebat in hæc verba: ſi recte ac ſine dolo malo hoc fœdus atque hoc jusjurandum facio, dii mihi cuncta felicia præſtent, ſin aliter aut facio, aut cogito, ceteris omnibus ſalvis, ſolus ego peream, uti lapis hic e manibus meis decidet, poſt quam precationem manu lapidem ejiciebat ceu ex *Polybio* L. 3. refert *Alex. ab Alexand.* Dier. genial. L. 5. c. 10. p. 655. Apud nos ſi ab univerſitate homagium præſtandum, ſinguli jurant, ubi vero probationis ergo ab univerſitate jurandum, fieri illud debet per tria quatuorve ejusdem membra, qui optimam rei notitiam habere cenſentur, unde regulari- *Jurari per procuratorem poteſt.*

lariter * Syndicus tunc aliter non admittitur, quam si ipse civitatis sit membrum, cum ex adverso, si universitas agere intendit, non aliter, quam per Syndicum audiatur, non autem, si quædam ejus membra cum cautione rati pro reliquis comparere velint.

* In Saxonia tamen Electorali per Ord. Proc. recogn. tit. 18. §. 5. etiam Syndicus inter juraturos a deferente potest nominari, licet universitatis membrum non sit.

§. CCLXXIV.

Diss. Oldekop. Sed & singuli haud raro, inter illustres præsertim, jurant per procuratorem speciali, quod omnino in tanti præjudicii actu requiritur, mandato instructum, quique tunc in principalis sui animam jurare dicitur. Equidem *Justus Oldenkop* JCtus sicut alias communes Doctorum sententias, longævi temporis defluxu probatas, sibi sumsit convellendas, ita & professa opera justitiam juramenti in alterius animam impugnavit, sed satisfecit ei peculiari libello *Jo. Gerard. Feltmannus* JCtus Batavus. Vid. *Itter.* de feud. Imp. c. 9. §. 24. Usum tale in alterius animam juramentum imprimis præbet, quoties ipse principalis jurare vel lege vel absentia impeditur. Apud Romanos flaminem Dialem jurare, fas nunquam erat *A. Gell.* Noct. Attic. L. 10. c. 15. ideo si quando in magistratu assumtus per leges jurare tenebatur, alium qui vicem illius ageret, sufficere & ita in leges jurare cogebatur, prout ex *Liv.* Dec. 4. Lib. 1. in fin. notat. *Alex.* l. c. p. 658.

§. CCLXXV.

In feudorum investituris frequenter per procuratorem juratur. Propter absentiam principalis frequentissime per procuratores jurari solet, inprimis si feudorum investitura ab absente per procuratorem recipitur, simulque homagium & Vasallagium est præstandum. Pendet interim ab arbitrio domini directi, num excusationem procuratoris de principalis sui absentia admittere, an ipsum ptincipalem, ut veniat, ipseque juret, jubere velit. Quo pertinet exemplum Sigismundi Imperatoris, qui Theodorico Archi-Episcopo Moguntino per legatos investituram Regalium petenti, terras & jura ab Imperatoribus Archi-Episcopis Moguntinis tribui solita Posonii concessit, simul autem voluit, ut sibi Germaniam invisuro

apud

apud Ratisbonam reverenter occurrat, præsensque jurejurando interposito Clientis obsequia profiteatur, interim vero coram Trevirensi fidelitatis dicat sacramentum. Id enim legatos heri nomine præstari nolebat. Vid. *Georg. Christian. Joannis* Annot. ad *Serrarii* Vitam Theoderici Archi-Episcopi Moguntini Tom. I. Rer. Mogunt. p. 748. n. 2.

§. CCLXXVI.

aliquando & principali præsente

Neque tamen desunt exempla Principum, qui licet præsentes essent, alium tamen in animam suam jurare jusserunt. De ratihabitione, qua Henricus VII. Imperator fœdus cum Galliæ Rege initum in castris ad Brixiam ratum habuit, ita fluunt verba apud *Leibniz.* Cod. Jur. Gent. Diplom. n. 35. p. 65. Per Amadeum Principem & Comitem Sabaudiæ fidelem & affinem nostrum carissimum nobis præsentibus, & expresse mandantibus, in animam nostram ad Sancta Dei Evangelia tacta corporaliter juramentum præstari facimus. Quasi infra dignitatem Imperatoriam sit, proprio ac in persona præstito juramento fœdus confirmare, quod magis adhuc apparet ex iis, quæ acta sunt 1683. cum Leopoldus Imp. qua Hungariæ & Bohemiæ Rex cum Joanne III. Poloniæ Rege fœdus iniret. Cum enim a Cæsare exigeretur, ut fœdus jurejurando firmaret, legatus id abnuebat, quod Cæsari nunquam ejusmodi casu jusjurandum solitum sit. Quare id temperamenti placuit, ut pro utraque parte Cardinales Pius & Barbarinus in animam contrahentium jurarent teste *Puffendorfio* de reb. Brandeb. L. 18. §. 86. Add. *Mascov.* de jur. fœd. in Imp. p. 13.

§. CCLXXVII.

Galliæ Reges in persona jurant.

Alios & inprimis Galliæ Reges sæpissime in persona fœderum & pacificationum tabulas jurejurando confirmasse constat. Pertinent huc formulæ pacis Hispano-Gallicæ Madrica de 1526. Cameracensis de 1529. Crespiensis de 1544. Chateau Cambresi 1559. Pirenæa 1659. Aquisgranensis 1668. ubi habetur: en outre ont promis, & promettent les dits Plenipotentiaires, que le dit Seigneur Roi tres Chretien le plustot qu'il se peut, & en presence de telle personne ou personnes, qu'il plaira au dit Seigneur Roi Catholique deputer, jurera solennellement sur la Croix l'Evangile,

Canon de la Messe, & sur son honneur d'observer & accomplir pleinement, reellement & de bonne foy tout le contenu aux articles du present traitté.

§. CCLXXIIX.

Forma juramenti.

Forma juramenti consistit in assumtione testimonii divini, seu quod in hominibus eodem redit, in renuntiatione gratiæ, vel provocatione vindictæ divinæ. Debet jusjurandum esse omnium assertionum severissima. Alias enim ab aliis assertionibus seriis nihil differret. Necesse igitur est, ut fiat sub præstituta pœna omnium, quæ excogitari possunt, severissima & gravissima. Cum autem nulla detur gravior amissione divinæ gratiæ, patet hanc solam adhiberi in juramentis posse, hacque omissa nec juramentum re vera adesse. Atheus sub jactura omnis felicitatis temporalis aliquid asserens vel promittens, item idololatra falsorum, quos credit, Deorum vindictam desuper provocans, ex sua quidem opinione gravissimam, quam norunt, pœnam in casum mendacii sibi expostulasse, adeoque juramentum præstitisse credunt. Nihilo secius cum atheum gravior longe pœna tangere, falsi autem, quos colit idololatra, Dei vel plane nullam vel exiguam valde pœnam infligere valeant, omne hoc negotium intra solos seriæ asseverationis terminos subsistit, nec juramenti nomen meretur.

§. CCLXXIX.

de juramento Athei & idololatræ

Posse interim salva conscientia tale juramentum putatitium ab atheo aut idololatra exigi, nullus dubito, quia alias severa satis assertione constringi non posset talis homo. Neque is, cui juratur falsos, per quos juratur, Deos illico pro veris agnoscit, aut divinum iis cultum tribuit. Non enim in juramentis agitur de Deo colendo, sed veritate eruenda. Et quanquam id, quod iuramento promittitur eam recipit interpretationem, quam habuisse probabiliter creditur is, cui juratur, quia in ejus favorem tale negotium suscipitur, pœna tamen, sub qua illud promittitur, necessario interpretanda & accommodanda ad captum ipsius jurantis, quippe quam frustra veri, quem non credit, Dei timore constringeremus. Unde in tales Atheos & idololatras putatitie perjuros, licet re vera perjuri non sint, si mendaces saltem & perfidi deprehendantur, eadem, quæ in veros perjuros pœna lege statui

ſtatui poteſt, cum nil obſtet, quo minus ſimplex mendacium doloſum eădem, qua ipſum perjurium, pœna coërceatur. Quam diu autem talis lex deficit, ordinaria perjurii pœna atheus vel idololatra putatitie perjurus non tenebitur, quia ad eam infligendam non ſola ſufficit intentio delinquentis, ſed ipſum corpus delicti adeſſe, idque re vera ab eo patratum eſſe debet.

§. CCXXC.

Per creaturas an recte juretur?

Per creaturas, earumque affectiones qui jurat, tunc demum vere juraſſe dici poteſt, ſi figurate loquendo, non per ipſas, quas nominat, creaturas, ſed ſub earum nomine per ipſum Deum jurat. Sic per cœlum qui jurat, non cœlum, ſed eum, qui cœlo continetur, Deum intellexiſſe cenſetur. Sic & Jacob Geneſ. XXXI. 54. per timorem parentis jurans, eo ipſo ſummum numen reſpexit. Per creaturas autem proprie acceptas jurari non poſſe, vel ipſa earum evincit indoles, quæ ea eſt ut pœna vel nulla, aut exigua vel certe non tanta expectari ab iis poſſit, ut ſub graviori veritas aſſeverari nequeat, quod tamen in juramento requiritur, ſi ſaltem illud ab aſſeveratione ſeria debet differre.

§. CCXXCI.

Exempla

Haud raro homines per res viliſſimas ac leviſſimas jurant. Ægyptii per allium, porrum & cepas jurabant. Jones per crambem, Socrates per canem, anſerem, hircum, Zeno per capparim, Caligula per equum ſuum Incitatum, Otto M. per barbam ſuam. Plura ſimilia exempla vide apud *Alex. ab Alexand.* Dier. genial. L. 5. c. 10. Cauſa hujus rei duplex eſſe videtur, vel quod ejusmodi rebus divini quid ineſſe exiſtimabant, at tunc de iis valet, quod modo de juramento idololatræ diximus, vel quod eo ipſo abuſus juramentorum reprimere conabantur. Cum enim animadverterent, eam hominum eſſe diffidentiam, ut aliorum aſſertis nonniſi interveniente jurisjurandi religione fidem haberent, nec tamen eos fugeret, quanti momenti res ſit, ſummi Numinis nomen ſumere in vanum, ut tamen diffidentibus aliqua ſaltem ratione ſatisfacerent, jurarunt quidem, at non per Deum, ſed res quas diximus viliſſimas, eoque ipſo ſatis, ni fallor, oſtenderunt, piam hanc fraudem committendo ſe tantum a vero juramento abeſſe, ut potius evitare illud hac ratione intenderint. *

* In ipsis sacris literis occurrit locus valde memorabilis Cantic. II. 7. ubi sponsus adjurat filias Jerusalem per capreas cervosque caprorum, ne suscitent dilectam suam. Valde circa illum se torquent interpretes, cumque persuadere sibi nequeant, iurare sponsum per creaturas adeo viles, alium ex textu Hebræo eruere sensum certatim allaborant. Sunt qui ita vertendum censent: Adjuro vos per Deum omnipotentem, & duas naturas cervæ illius matutinæ, Christi. Alii interserunt, capreas & cervas non esse illud per quod juratur, sed res, quæ pejerantes perdere debeant. Alii denique ita vertendum censent: Adjuro vos filias Hierosolymorum, quæ estis in exercitibus (nullibi in dicto textu ajunt existere *capreas*) aut quæ estis inter cervos agri &c. ut sensus hic sit sive bella sequamini, sive tranquilla pace fruamini. Sed quid num filiæ Jerusalem bella sequuntur? Vid. *Francisc. Wokenii* Observ. ad Cantic. l. c.

§. CCXXCII.

per salutem Principis

Alii per graviores quidem maiorisque momenti res, Numinis tamen itidem expertes iurarunt, ut per caput aut vitam suam, per parentes aut liberos, per patriæ aut Principis salutem. Exempla habes apud *Alex.* l. c. & *Grotium* L. 2. c. 13. §. 11. Referunt huc locum Genes. XLII. 15. ubi tamen Josephus non jurasse, sed asseverasse saltem per salutem Pharaonis legitur. it. 2. Reg. 2. v. 2. ubi Elisa per vitam Eliæ iurat, sed NB. non solam. Juraverat enim simul per ipsum Deum conf. § 292. Sicut & apud *Vegetium* formula est, qua Christiani milites iurant non per Deum tantum, sed & per Maiestatem Imperatoris, quæ secundum Deum humano generi diligenda est & colenda. Christianos veteres *Tertullianus* iurasse ait per salutem Principis omnibus geniis augustiorem. Sicut enim Ethnici per genium Principis, ita Christiani per salutem Principis jurare solebant. Vid L. 2. C. de reb. Cred. & L. 13. & 33. Dig. de jurejur. ibique *Gothofred.* §. 1. Inst. de fideicom. hered. L. fin. C. de transact. Et meminit *Suetonius* in Jul. Cæs. cap. 85. interpositi per Cæsarem iurisiurandi, & in Vita Claudii c. XI. Claudius, inquit, iusiurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit quam per Augustum. Et iam dum *Herodoto* L. 4. Scythis mos esse dicitur

dicitur iurandi per Regium ſolum, cum maximum volunt interponere iusiurandum. Imo teſte *Homero* Iliad. 2. ipſis Regibus per Regium ſceptrum, in quo iura dabant deieraſſe, præpotens iuramentum eſt viſum.

§. CCXXCIII.

De moralitate horum iuramentorum ſic ſentio. Præſtat quidem hominum fidem ita ſervari integram, ne opus ſit gravioribus aſſeverationibus, quorſum ſpectant monita Chriſti Matth: V. Præſuppoſito autem corrupto hominum ſtatu, eorumque diffidentia, ſicut iurare? ita & per res nobis præ ceteris caras aſſerere, vel promittere aliquid eum licet in finem, ut malle nos earum facere iacturam, quam fidem fallere conteſtemur. Utrum vero tales aſſeverationes verum iuramentum contineant, in Logomachiam abire videtur. Si enim per iuramentum intelligimus quamvis teſtimonii divini aſſumtionem, affirmativa obtinebit, quia per res nobis caras iurando, omnino Deum reſpicimus, ab eoque in illis puniri depoſcimus. Sin proprie iuramentum accipiamus pro aſſeveratione, qua nulla datur gravior, quæque perinde gratiæ divinæ renunciationem totalem continere debet, negativa verior erit, unde & tali caſu ordinaria periurii pœna obtinere nequit L. 2. C. de reb. cred. *de iis judicium*

§. CCXXCIV.

Proprie igitur illæ demum aſſertiones iuramenti nomen merentur, quæ fiunt ſub invocatione teſtimonii divini, vel renuntiatione gratiæ divinæ, ſive de cetero ille fiat directe & explicite, als mir GOtt helffe, GOtt ſtraff mich, ſive indirecte & implicite, So wahr GOtt lebt, bey meiner Seelen, it. bey meiner Seeligkeit, it. bey Teuffel hohlen, it. beym Worte der ewigen Wahrheit, (clauſula an Eydes ſtatt, iuramenti vim non habet) ſive denique aliæ ſolennitates accidentales adhibeantur, ſive minus. *formulæ juramentorum*

§. CCXXCV.

Solent quippe iuramentis præter modo deſcriptam formam eſſentialem variæ ſolennitates ad maiorem conciliandam venerationem accedere, quæ licet ad formam iuramentorum accidentalem ſaltem pertineant, ac ſalva *Solennitates*

earum

earum ſubſtantia abeſſe poſſint, nonnunquam tamen ex lege vel conſuetudine omnino ſunt neceſſariæ. Subſtantialia juramenti illuſtribus perſonis cum aliis eſſe communia, res ipſa loquitur. Quare, quæ illuſtribus circa juramenta præ aliis competunt, jura in accidentalibus potiſſimum ſunt quærenda. Quamobrem opere pretium videtur, de accidentalibus his ſolennitatibus quoque diſpicere. Ex inſtituto de iis egit *Jac. Frid. Ludovici* de ſolennib. juramentor. Hal. 1702. cujus veſtigia legere, ſimul tamen ab eodem omiſſa addere licebit.

§. CCXXCVI.

ritus Romani

Ab ultimis temporibus ſi rem repetere velimus, Patriarchas V. T. mox manu fœmori ejus, cui jurabatur, admota, mox manibus ad cœlum elevatis juraſſe colligitur ex Gen. XIV. 22. XLVII. 29. Apud Romanos jurans lapidem ſilicem tenebat, ſic dicens: ſi ſciens fallo, me Dieſpiter (ſalva urbe arceque) bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem, quem poſt hanc precationem manu ejiciebat, qui ritus in publicis præſertim fœderibus per fecialem peragebatur, & per Jovem lapidem ſolenniſſimum ſanctiſſimumjusjurandum habebatur. Qui vero per Herculem aut Deum fidium juraturi erant, ſub dio jurare cogebantur, hos enim ſub tecto, tanquam ſub ignavo otio appellare, turpe erat. Conf. *Alex. ab Alexand.* Dier. genial. L. 5. c. 10.

§. CCXXCVII.

hodie di- digitis elevatis pectorive admotis juratur.

Ex quo Chriſti ſacra gentes ſunt amplexæ, in mores ivit, ut juramenta coram aperto quandoque & tacto Evangeliorum libro præſtentur. A quo more licet recentiora noſtra inſtituta in tantum receſſerint, ut hodie mares indice & medio dextræ manus digitis cœlum verſus elevatis, fœminæ autem iisdem pectori ſiniſtro (veſtibus tecto, in Auſtria autem nudato, admotis jurent * recentiores tamen hi mores intex ſolos inferioris ſortis homines hactenus ſubſtiterunt. Inter illuſtres autem Catholicos æque ac Proteſtantes mos ille antiquus coram aperto Evangeliorum libro jurandi hodienum viget, hac tamen cum differentia, ut regulariter quidem apertus Evangeliorum liber a jurante dextra ** tangi debeat, quoties autem in jurante reverentiæ & venerationis reſpectus, aut in cauſa, ſuper qua juratur

...itur, gravitas singularis subest, sufficiat, proposito Evangeliorum libro, ... digitis pectori admotis jurasse.

* In Anglia regulariter apprehendendo & osculando clausum Evangeliorum librum juratur. Ipse tamen Rex manum aperto Evangelio imponendo jurat.

** Galliæ Reges in actu inaugurationis jurantes indicæ saltem medioque dextræ digito Evangelia tangunt. *Becman.* Notit. Dignit. diss. 5. c. 1. §. 2.

§. CCXXCVIII.

...*hristian.* ...enæ 1725. ...ico ...ibus ...aliter ...robat ...ui ...*Evangeliis* ...us ...xhibere ...iculares

Dn. *Christian. Gottlieb Buderus* in dissertatione, quam sub præsidio *Illustris* *Schrœteri* habuit de Sacramentis Principum Ecclesiasticorum *tamen* §. ult. observat, Episcopos quando in negotio sacro Ecclesiastico sacramenta fecere, tactis Evangeliorum libris, quando vero Secularibus fidem obligarunt, propositis Evangeliis manu pectori admota corporaliter jurasse. Ipse tamen regulam hanc perpetuam non esse agnoscit, & probat exemplo Joannis Godofredi a Guttenberg Episcopi Wirzeburgensis, qui d. 16. Octobr. 1684. Capitularibus de servanda Capitulatione *tactis Evangeliis* juravit. Addo quod juxta cap. 7. X. de juram. Calumn. Episcopus juramentum calumniæ non tactis, testimoniale autem tactis Evangeliis exhibere præcipiatur. Omne igitur punctum leges & consuetudines particulares hic ferre videntur.

§. CCXXCIX.

super Evangelio jurant.

Aurea Bulla c. 2. §. 2. Electores Ecclesiasticos coram Evangelio B. Joannis: *In principio erat verbum*, quod illic ante ipsos poni debebit, manus suas *pectori cum reverentia superponere*, Seculares vero dictum Evangelium corporaliter manibus suis tangere jubet. Alibi ut e. c. in investituris, quibus Saxo de feudis Bohemicis investitur, non Evangelio Joannis, sed Lucæ ubi de Christi nativitate agitur, evolvi, ipsique jurantem totam imponere dextram observamus, cum econtra idem Saxo ab Imperatore qua tali investituram recipiens, duobus saltem dextræ digitis Evangelium in sinu Imperatoris, capite tunc nudati positum tangat. Vid. *Stryck.* Exam. Jur. feud.

feud. App. p. 420. 434. & 439. ubi idem de Brandeburgico notat & p. 449. de Moguntino, in cujus investitura utrumque & Lucæ & Joannis Evangelium investiendo proponebatur, ita ut ad sinistram haberet historiam nativitatis Christi, illud autem Joannis: In principio erat verbum duobus saltem dextræ digitis tangeret, quos & ab inferioris conditionis jurantibus cœlum versus elevari §. præc. annotavimus, utut quibusdam in locis pollicem simul elevari doceat *Ludovici* l. c. p. 25. ubi simul horum rituum explicationem & significationem suppeditat, in qua tamen nimis subtiles nonnulli se præbent.

§. CCXC.

Causa harum solennitatum explicantur.

Vera eorum, qui has invenere solennitates, intentio hæc fuisse videtur, ut per tactionem Evangelii tanto magis in mentem revocetur divina, quam Evangelia annunciant, gratia, per digitorum pectori sinistro admotionem propria cordis ibidem siti conscientia excitetur per elevationem denique ad cœlum is, qui sermonis invocatur testis & vindex commonstretur. Vix autem dictæ inventorum intentioni respondet, quod dicitur, non modo *indicem* elevari vel sacris imponi ut jurans monstret, quem sermonis testem vocet, sed & *medium* simul ut mentis ostendatur integritas, quod media incedens via verum asserat, jungi vero utrumque, ut significetur copulatio jurantis & consensus cum eo, per quem jurat, quando autem duobus illis digitis pollex jungitur (quod in Camera Imperiali fit in præstatione juramenti calumniæ vid. *Comitiol. Ratisbon.* p. 391. in fin.) eo ipso S S. Trinitatem designari, reliquis vero duobus compressis corpus & animam hominis, quasi pejerans dicere velit: si sciens fallo S S. Trinitas a communione omnium Sanctorum me excludat corpore & anima. Quod eo minus probabile videtur, quo antiquiorem hunc ritum atque ab ipsis Ethnicis SS. Triadem ignorantibus acceptum perhibent. Nec meliori fundamento nititur, quod *Setserus* de juram. L. 1. c. 15. n. 20. contendit, fœminas juraturas pectori digitos admovere in signum subjectionis, qua maritis sunt obstrictæ, quem & prima fronte S. Scriptura juvare videtur, quæ pectoris pulsationem tanquam submissionis signum describit. At sicut personis Ecclesiasticis eadem jurandi solennitas procul dubio privilegii loco, non autem in signum subjectionis est concessa, facile liquet, nimis subtiliter ex hac ceremonia subjectionis aliquod signum exsculpi.

§. CCXCI.

§. CCXCI.

Ne ſic ſatis eſt ceremoniarum, ſed ut major adhuc ei, per quem juratur, Deo reverentia exhibeatur, flexis genubus ab ipſis ſummis imperantibus jurari cernimus, prout e. c. Reges Angliæ juramentum coronationis in genua procumbentes, tactisque dextra Evangeliis præſtare ſolent. Econtra Hiſpaniæ Reges illud præſtantes throno inſident, dextram cruci, ſiniſtram Evangelio imponentes. Nec parum venerationis juramento accedit, ſi inter cultus divini celebrationem præſtatur, quod olim promiſcue fieri ſolebat, ſicut hujus rei veſtigia jam dum invenimus Gen. XXXI. 54. & inter gentiles paſſim. Hodie autem in ſolis fere publicis juramentis obtinet, quando Principes vel ſubditis privilegia, vel exteris fœdera jurato confirmant. Conf. Tit. 7. §. 241. Electores quoque electionis juramenta prævio Miſſæ ſacrificio præſtare jubentur A. B. c. 2. §. 2. Singulares juramentorum ſolennitates in particularibus judiciis paſſim uſitatas, & quarum origo fortaſſis ad priſcam purgationem Canonicam referenda c. 5. X. de purgat. Canon. hic referre noſtrum non patitur inſtitutum. Cui quasdam earum legere eſt volupe, adeat Dn. *Ludovici* cit. diſſ. * *aliæ ſolennitates*

* Accenduntur nonnunquam candelæ, aperiuntur feneſtræ, & januæ, obfuſcatur conclave panno nigro, proponitur juranti in genua procumbenti caput mortui, ſignum Crucis it. chirotheca ferrea & gladius ad ſignificandum ſcil. omnia coram Deo eſſe clara & aperta, ad mortalitatem juranti in mentem tevocandam, quodque magiſtratus jurantem in veritate manu armata tueri, pejerantem punire velit. Lepidam etiam ceremoniam antiquam ex *Mulleri* Annal. des Hauſes Sachſen ad an. 1529. refert *Ludovici* l. c. p. 19. Es ſey vor der Zeit im Pabſtthum der Gebrauch geweſen, wenn jemand in dem Amt Burgau bey Jena einen Eyd hat ablegen ſollen, hat ſelbige Perſon auf genugſame Caution etliche Cörper der Heiligen zu Brießnitz auf ſeine Koſten gen Burgau allwo zur ſelbigen Zeit gemeinigl. das Landgericht gehalten worden, verſchaffen, ſich ſo dann vor Gerichte barfuß ausziehen, und alſo barfuß die Heiligen auf den Schindanger tragen, ſelbige auf ein ſeiden Tuch legen,

und bey einem brennenden Wachslicht kniende den Eyd ablegen müssen, daher das Sprichwort, womit man einen unglaubigen Thomisten begegnet, entstanden: Ich werde dir nicht alle Heiligen hertragen ꝛc.

§. CCXCII.

Mos per sanctos sanctorumque reliquias jurandi.

Ipsam quoque jurandi formulam, quæ ad sui essentiam præter numinis divini invocationem nihil requirit, majoris tamen firmitudinis ac solennitatis ergo passim auctam deprehendimus. Elisam jam dum non per Deum solum; sed per Eliæ Vitam simul jurasse observavimus §. 282. Et ex quo inter Pontificios sanctorum & reliquiarum cultus invaluit, ab ipsis per Deum & sanctos * imo & sanctorum reliquias ** jurari constat. Nostra hac de re sententia apparet ex §. 16. & 21. Tanta interim in nonnullorum animis vim accidentalis hæc juramentorum forma obtinet, ut qui per Deum falsa jurare parvi duxerunt, per certas tamen reliquias jurare noluerint. Memorabile est, quod de Ludovico XI. Galliæ Rege memoriæ prodiderunt *Cominæus* L. 5. p. 473. & *Bodin.* de Republ. L. 5. c. 6. p. 951. Evocabat Rex Ludovicum Luxemburgum Galliæ Connestablium ad collocutionem, hic autem venire aliter recusabat, quam si Rex solenni jurejurando, super *cruce S. Lupi Andegavensis* interposito, fidem sibi præstitisset, quoniam nullo alio jurejurando Regem obligari posse putabat. Nec frustra. Nam cetera quidem Rex annuit, hoc postremum recusavit, quod quem ulcisci avidissime cupiebat, non aliter quam jurejurando irretiri posse sciebat, crucis tamen illius metu terrebatur.

* Sicut a Turcis per Mahomedem. Solymannus Imperator fœdus cum Joanne Hungariæ Rege anno 1530. sequenti juramento sanxit: Ego præfectus Sultanus Solimannus Schyack Imperator Turcarum invictissimus, juro ad omnipotentiam Dei altissimi omnipotentis sanctitatem, splendorem & comitatem divinitatis suæ, ad firmamentum cœli, solem, lunam, terram & superficiem terræ, ac ad Regnum & sanctissimum Mahumetem Proavum, Avum, Patrem, Matrem, & lac maternum ac panem meum, gladium, animam & vitam meam ac omnium Bozermannorum circumcisorum salutem.

** Jam dum Tassilonem Bojoariæ Ducem Pipino per Sanctorum reliquias

liquias fidem jurasse, discimus ex Annal. rer. gestar. a Pipino ad an. 757. & *Aimoino* L. 4. c. 64.

§. CCXCIII.

Hæc per Deum & sanctos jurandi formula in publicis Imperii Germanici negotiis tam ab Imperatore, quam Electoribus aliisque Principibus olim adhibebatur, cum tamen postmodum Protestantes eadem uti recusarent, & nihilosecius uniformis jurandi formula desideraretur, Transactione Passaviensi, eamque secuto Rec. Jmp. 1555. §. 106. cautum, ut in posterum in locum formulæ: Sic me Deus adjuvet & omnes Sancti, substitueretur illa: Ita me Deus adjuvet & Sancta Dei Evangelia * quæ hodienum in Imperii negotiis constanter adhibetur. Sic enim jurant Electores hodie omnes (mutata eatenus Aurea Bulla c. 2. §. 2. in fin.) Sic ipse jurat Imperator in Capitulationem tanquam publicum Instrumentum Protestantium æque ac Pontificiorum nomine conceptum, utut in liberis reversalibus, quippe in quibus solus Imperator stylum moderatur, juret per Deum & Sanctos. Imo ipsi Pontificii Electores & Principes, investituram ab Imperatore pariter Pontificio recipientes, nihilosecius jurant per Deum & sanctum ejus Evangelium. Vid. *Multz.* Repræsentat. Maj. Imp. P. 3. c. §. n. 61. *Stryck.* Append. Exam. Jur. feud. p. 516. 519. *Formulæ per Sancta Dei Evangelia*

* Jam dum Itali Friderico I. Imperatori apud *Radevicum* L. 1. c. 19. hac formula jurarunt: ita me Deus adjuvet & hæc sancta quatuor Evangelia.

§. CCXCIV.

Nodum in scirpo quærunt, qui juramenta per Deum & sanctum ejus Evangelium præstita superstitionis aliquid alere existimant. Per Deum & verbum ejus jurari posse largiuntur, quia tunc per verbum intelligatur hypostaticum illud, Christus, at pro verbi voce illam Evangelii erronee substitui. *Donellus* quique eum sequitur *Setserus* scribunt: „ Tactus Evangeliorum ex ignoratione verbi Dei inductus. Nec levis est contumelia, si „ quis sine eo satis juratum non putet, quasi quicquam sanctius in Evangelio, „ quam in eo, qui Autor est Evangelii, & rerum omnium &c. At enimvero non per librum & literam Evangelii juratur, sed per promissiones divinas Evangelii contentas, nec quisquam dixerit, per Deum solum *frustra reprehenditur*

non ſatis juratum, & ſanctius eſſe per Evangelia, quam per Deum juramentum. Hæc ſibi opponenda non ſunt, utrumque ad eundem collimat finem, ac licet per additam Evangelii formulam ſolennius, non tamen efficacius redditur jusjurandum.

§. CCXCV.

Execrationum in juram. uſus

Simile eſto de execrationibus, quas juramentis paſſim adjici videmus, judicium. Seriam ſiquidem enixamque indicant voluntatem, atque ad terrorem injiciendum augendumque conducunt, per ſe autem nec juramenti formam conſtituunt, nec arctius jurantem, aut ad graviores ſuſtinendas pœnas in caſum mendacii aut perfidiæ adſtringunt. Et ſicut omne nimium locove alieno adhibitum vertitur in vitium, ita in iis quoque abuſus poteſt committi. Exempla talium execrationum vide ſis Novel. 8. in fin. ubi jusjurandum, quod præſtatur ab his qui adminiſtrationes accipiunt, ita concluditur: Si vero non hæc omnia ita ſervavero, recipiam hic & in futuro Seculo in terribili judicio Magni domini & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, & habeam partem cum Juda & lepra Giezi & tremore Cain, inſuper & pœnis quæ lege eorum (Imperatoris ſcil. & Imperatricis) pietatis continentur ero ſubjectus. Quod juramentum horrendiſſimum vocat & inter errrores Juſtiniani primo loco ponit *Eraſm. Ungepauer* de Errorib. Juſtiniani.

§. CCXCVI.

& abuſ

Inſignem execrationum abuſum ſiſtit juramentum Ruperti Abbatis Limpurgenſis, quo Arnoldo Epiſcopo Spirenſi revelationem divinam (ut aſſerebat) de abſtinentia a piſcibus, ovis, lacticiniis &c. ab Ordinis Benedictini Monachis obſervanda confirmavit, prout illam ex *Trithemii* Chron. Monaſterii Hirſaugienſis Operum Hiſtor. a Frehero editorum p. 118. exhibet *Buderus* de Sacram. Principum Eccleſiaſt. p. 59. hunc in modum: Ego Rupertus Dei Gratia Limpurgenſis Eccleſiæ Abbas dico, affirmo, & juro coram omnipotente Deo, omnibus ſanctis ejus, & Vobis, Domine Arnolde, in animam meam ſuper hoc corpus & ſanguinem Domini noſtri JEſu Chriſti verum, quod natum eſt ex virgine Maria, paſſum, & immolatum in ara Crucis pro nobis, quod revelationes iſtæ, quas ſcripſi in parte & in toto non ſunt fictæ, non falſæ non phantaſticæ, non diabolicæ, non excogitatæ ab homine, non deceptoriæ, neque per humanam induſtriam

dustriam adinventæ, sed mihi divinitus revelatæ, veræ, sobriæ, angelicæ & divinæ. Sic me Deus & hoc Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod in manibus meis teneo nunc, in extrema hora mortis meæ, ac novissimo die judicii adjuvet, salvet & suscipiat. Et si aliter est, quam dixi, & juravi, tunc hoc domini nostri Jesu Christi venerabile corpus non pertranseat guttur meum, sed hæreat in faucibus meis, strangulet me, suffocet me, ac interficiat me statim in momento, & non mihi sit locus in Cœlo cum electis Dei, sed sit mihi portio cum Dathan & Abiram in inferno, & Juda traditore, cum Herode & Pilato, qui Dominum crucifixerunt, & cum diabolo & angelis ejus in centro gehennæ, statim ab hinc nunc & semper sine fine in æternum. Amen.

§. CCXCVII.

Avisatio prævia

Quæ vero juramentum præcedere solet tum judicis, tum quandoque Ecclesiæ Ministri admonitio seu, ut vocatur, avisatio de vitando perjurio, gravique ejus pœna temporali pariter atque æterna, hæc inquam solennitas ad solos plebejæ inferiorisque sortis homines pertinet, nec in illustrium juramentis adhibetur, quoniam pro his fidei & integritatatis præsumtio militat, nec perfidiæ aut perjurii suspicio in eos cadit, quæ tamen sola harum admonitionum causa existit.

§. CCXCVIII.

Solennia & corporalia juramenta quæ?

Intelligitur jam ex dictis differentia inter juramenta solennia zierl. und gelehrte Eyde, & minus solennia, item in corporalia leibl. und gelehrte Eyde & non corporalia seu simplicia. Solennia dicuntur, quæ adhibitis quibusdam ex supra memoratis solennitatibus præsertim admonitione prævia præstantur, unde & vulgo audit ein gelehrt Eyd, quia jurans de negotii gravitate prius admonetur. Corporalia autem appelluntur, quæ fiunt mediante corporali actu, dum digiti vel elevantur vel Evangelio imponuntur, non-corporalia, quæ tali actu corporali destituuntur, & simpliciter fiunt, vel oretenus vel in scriptis Deum vindicem invocando. Omnia hæc juramentorum genera tum solennia tum minus solennia; tum corporalia tum noncorporalia omnibus gaudent essentialibus & formalibus juramen-

menti requisitis, unde & eandem vim & effectum habent, atque æqualiter obligant, utut vulgo nonnulli sibi erronee persuadeant, ex juramento minus solenni non tam fortem oriri obligationem, indeque longe faciliores ad non-corporalia, quam corporalia juramenta præstanda se præbeant, cui errori tollendo conducere alii putant, ut omnia omnino juramenta quoad solennitates sibi exæquentur. Verum tamen erronea illa vulgi persuasio merito ad abusum harum solennitatum pertinet, nec aliqualem earum usum tollit. Quare merito in solennitatibus adhibendis discrimen quoddam servatur, prout nunc major nunc minor vel causæ gravitas, vel perjurii suspicio subest.

CCXCIX.

Ratione objecti juramenta

Obiectum juramenti sive res, quibus illud accedere potest, sunt omnes illæ, quarum veritas desideratur. Res præsentes cum certæ satis sint, earumque veritatem ipsa earum præsentia evincat, juramentis non indigent. Quare solæ præteritæ & futuræ verum eorum constituunt objectum. Præteritæ cum asserendæ, futuræ autem promittendæ sint, oritur inde distinctio juramentorum in assertoria & promissoria. *

* *Titius* Jur. privat. L. 2. c. 15. §. 5. aliunde repetit fundamentum distinctionis juramentorum in assertoria & promissoria. Assertoria siquidem semper obligationem ex lege, promissoria autem obligationem ex pacto respicere contendit, quod tamen fallere, ostendit *Godofr. Ludov. Mencken* diss. de jurejur. p. 15. duplici quidem instantia: Juramentum enim super pacto inito delatum licet obligationem ex pacto respiciat, tamen est assertorium. Econtra juramentum, quo rustici domino jurisdictionali homagium præstant obligationem ex lege respicit & tamen est promissorium. Ceterum juramentis assertoriis & promissoriis addunt alii & mixta, qualia sunt illa calumniæ seu malitiæ, quæ tamen maximam partem sunt assertoria, a potiori igitur denominationem faciendo sub assertoriis possunt comprehendi.

§. CCC.

§. CCC.

Assertoria spectant vel ad lites *æstimandas*, qualia sunt juramentum in litem (ad pretium vel verum vel affectionis) minorationis, Zenonianum, jurata hereditatis specificatio; vel *promovendas* ut malitiæ seu calumniæ tam generale quam speciale e. c. dandorum, respondendorum, perhorrescentiæ, appellantium, leuterantium &c. vel *decidendas* ut litis decisorium, quod est vel testimoniale, vel (ipse parti) delatum, idque vel super factis propriis, quod veritatis, vel alienis, quod credulitatis audit, utrumque iterum est vel purgatorium vel suppletorium. Editionis & diffessionis ad purgatorium, aut si mavis ad juramenta litem promoventia potest referri. De omnibus his juramentorum speciebus, cum ad modum procedendi in judiciis pertineant; non est ut h. l. simus solliciti, commodior de iis alibi agendi locus occurret. Hoc loco ubi juramenta saltem tanquam firmamenta pactorum consideramus, sola promissoria sunt excutienda. *sunt vel assertoria*

§. CCCI.

Ad certas classes si promissoria Principum juramenta revocare velimus, fiunt illa pariter ac ipsa pacta vel de dando vel de faciendo, utraque vel a Principibus qua talibus, & quatenus imperant, vel quatenus considerantur ut privati. Qua imperantes subditis præstant juramenta de servanda Capitulatione, & relinquendis privilegiis, † exteris de fœderibus & pacificationibus servandis. Quatenus Principes considerantur ut privati, poterunt aliis de subjectione homagium *, de fidelitate Vasallagium, imo & si aliorum servitiis se addicunt, Ministrorum & religionis juramenta ** præstare, imo & super pactis quibusvis aliis. *** An & Urphedam si deliquerint, suo loco videbimus. *vel promissoria*

† Nulla, scribit *Francisc. Hotoman.* L. 1. de antiq. jur. Regn. Gall. ferme Gens præter Turcicam ita stupida ac barbara est, quæ non in Rege inaugurando aliquam ab illo exigat Regni conservandi fidem ac jusjurandum. Sed noli credere, destitui Turcas omni lege fundamentali. Moliatur Sultanus quicquam contra fidem

Mahomedanam, & experietur cito, quale ipsi capitis immineat periculum. Noli quoque stupiditati Turcarum tribuere, quod ipsorum imperantes citra jusjurandum officii partes expleant, in quo alios Principes ne jurisjurandi vis continere valet.

* Nonnunquam tamen ob illustrem subditi conditionem homagium non mediante jurejurando, sed stipulata manu præstatur die Huldigung geschicht nicht vermittelst Eydes, sondern mit einem Handschlag.

** De singulis his illustrium juramentis exempla cumulare velle, soli facem accendere foret. Juratam fidei professionem singuli etiam Archi-Episcopi & Episcopi in Germania ante consecrationem præstare tenentur. Conf. *Buder* de Sacram. Princip. Ecclesiast. §. 17. Ceterum illa religionis juramenta, quibus religionem non mutare promittitur, sunt alternativa aut de religione non mutanda, aut de officio deponendo, adeoque conscientiis laqueos non immittunt, nec quicquam illiciti alunt.

*** Principes Gothani postgeniti omnes simulac annum 14. impleverunt, Duce regente exigente, *jurato* confirmare tenentur jus primogenituræ vi testamenti Friderici Ducis de 1685.

§. CCCII.

Promissoria licita.

Universim de justitia juramentorum promissoriorum dubitant nonnulli, qui quamvis assertoriorum aliquam lites terminandi vim ac utilitatem agnoscant, promissoria tamen rectius aboleri censent, quasi alium usum non habeant, quam ut perfidi etiam reddantur perjuri. At enim vero quamvis non negemus, æque ad pacta quam ad juramenta servanda validam adesse obligationem, præsupposita tamen humana corruptione ac diffidentia, frequens satis se exerit promissoriorum quoque juramentorum usus ac utilitas, cum haud raro juramenta horrent, qui fidem simpliciter interpositam parvi pendent.

§. CCCIII.

§. CCCIII.

Interim non omnia juramenta promissoria probamus, sed ea saltem quæ super rebus licitis interponuntur. Illicitis autem juramentum accedere non debet, quia sanctissimi numinis nomen, quod ne quidem in vanum assumendum, multo minus iniquitatis vinculum est efficiendum. Absurde a Deo postulatur, ut puniat jurantem, si ea non facit, quæ facere non debet. At si forte de facto super re illicita juramentum interponitur, illud quidem delictum, non autem implendi obligationem involvit, sed ipso jure est nullum, & juxta tritum illud quod male juratur, pejus præstatur. Hinc juramentum Principis contra Reipublicæ utilitatem est invalidum, ceu patet exemplo Regis Hungariæ, qui in cap. 33. X. de jurejur. alienationes, in Regni præjudicium factas, non obstante juramento revocare jubetur. Aliud exemplum vid. Tit. 13. §. 368. in Not. Hinc & juramentum ab Episcopo contra utilitatem Ecclesiasticam præstitum, non juramentum, sed perjurium esse dicitur cap. 27. eod. *super rebus licitis*

§. CCCIV.

Quam in viam reducendi sunt *Gail.* Lib. 2. Obs. 27. *Besold.* part. 4. Consil. 187. n. 33. *Ziegler* de jur. success. c. 2. §. 12. putantes jus jurandum Regis, utut super re in eius potestate haud sita præstitum, ipsa Regni bona afficere, interesse enim Reipublicæ ut liberet Principem a perjurio, metuendum esse populo & successori, ne Deus ob delicta decessoris pœnam illis irroget perjurii. At sicut juramentum solam jurantis personam tangit, ita metuendum non est, ut pœna ejus ulterius protendatur, Contrarium si admitteremur, juramenta efficerentur media subvertendi leges fundamentales, quod quam periculosum sit, sponte apparet. Confer, quæ contra dissentientes disserit *Ludewig* de Oblig. Success. in Principat. p. 60. 61. *Super illicitis nedum Principis quidem juramentum valet.*

§. CCCV.

Quemadmodum vero Principes contra leges divinas Regnique fundamentales inutiliter jurant, ita nec subditis contra leges civiles jurare est integrum. Cum enim subditorum utut forte illustrium actus pendeant ex arbi- *nec subditorum contra leges civiles*

arbitrio imperantis, illorum certe actus lege potentiores esse non debent, ipsorumve juramenta legum civilium effectum tollere. Hinc ubi in sponsalibus parentum consensus requiritur, juramentum accedens hunc defectum supplere nequit, nec Geradæ vel Hergewettæ alienatio per accedens jusjurandum convalescit, nec lex commissoria pignori utut jurato addita, nec renunciatio jurata SCti Macedoniani, bene tamen SCti Vellejani. Ratio differentiæ est manifesta. SCtum Macedonianum est prohibitivum, Vellejanum non item. Renuntiatio SCti Macedoniani tenderet in præjudicium tum patris, tum publicæ, ob quam est latum utilitatis, ne liberi vitæ parentum insidiandi occasionem captent. Vellejani autem renuntiatio in solum renuntiantis præjudicium tendit, nec ullibi prohibita. Uno verbo per juramentum jurans aliis præjudicare nequit, sed sibi soli. Unde videmus juramenta excludere pœnitendi ac revocandi facultatem, quæ alias fuisset integra. Sic donationes conjugum, contractus minoris revocari regulariter possunt, non autem si juramentum accesserit. Conf. L. 2. T. 2. §. 444. Pertinet huc Brocardicon cap. 25. X. de jurejur. & cap. 2. de pact. in 6. omne iuramentum servandum esse, quod salva salute æterna servari potest, quod peculiari dissertatione illustravit *Jac. Frid. Ludovici* Hal. 1705.

§. CCCVI.

effectus juramenti. Effectus juramenti est confirmatio ejus, quod asseritur vel promittitur. Per juramentum nova obligatio non acquiritur ei, cui juratur, sed pristina magis intenditur * ita ut solo gradu differat obligatio ad servandum pactum & juramentum. Unde relinquitur, juramentum promissorium saltem esse accessorium alius pacti, accessorium autem cum suum sequatur principale, novum hinc oritur argumentum, quare irritum sit jusjurandum, quod pacto illicito vel saltem invalido accedit. Quod autem e. c. ex contractibus minorum, donationibus conjugum alias invalidis obligatio oriatur, si juramentum accedit, id inquam non ex vi jurisjurandi in se considerati derivandum, sed ex vi ipsius legis, quæ obligationem naturalem, quæ antea jam aderat, tunc sustinet.

* Dum Deus invocatur vindex, quem tamen inde non obligari manifestum. In ipsius siquidem arbitrio est positum, num illam

lam vindictam, item quomodo & quando, num statim vel ex intervallo eam exercere velit. Quare non est, ut præstito juramento expectemus miracula, sed divino beneplacito hæc omnia sunt relinquenda.

§. CCCVII.

An Deo per juramentum obligatio acquiritur?

Displicet hæc doctrina, qua juramentum pro alius negotii principalis accessorio venditatur, nonnullis. Hinc *Grotius* L. 2. c. 13. §. 14. contendit, non modo homini, cui juratur, sed & Deo acquiri obligationem per juramentum e. c. metu elicitum, quod quam falsum sit dixi §. 271. Deus in juramento testis saltem & vindex invocatur, nihil autem, certe non id, super quo juratur, promittitur, unde nec juramentum vim voti habere dici potest. *Glasey* in seinem Vernunfft-Recht p. 570. diserte negat, esse juramentum merum quoddam accessorium alius promissi vel pacti, sed potius juramentum *separatum pactum* continere contendit. Errorem tamen hujus asserti animadvertere quivis poterit, secum reputans, quod solius unius facto citra alterius exactionem vel acceptationem juramentum, sicut alia quævis renuntiatio, possit peragi, ac proinde tunc in eodem forma pacti essentialis deficiat. Quod autem juramenta plerumque prævia alterius, in cujus favorem fiunt, exactione præstantur, ad eorum accidentalia pertinet, quæ salva substantia possunt abesse.

§. CCCVIII.

Juramenti obligatio personalis, at illa pacti ad heredes transit.

Quamvis autem juramentum alius promissi vel pacti sit accessorium, quoad effectum tamen insignis inter pactum & juramentum se prodit differentia, eo quod pactum ejusque obligatio ad heredem regulariter transit, juramenti autem vis & efficacia ad heredem non pertingit. Ratio differentiæ in eo est sita, quod qui se pacto obligat, alterius fit debitor, debita autem, quæ non ipsum promittentis factum concernunt, cum hereditate tanquam onus eidem inhærens, ad heredem transeunt. At gratiæ divinæ renuntiatio, quæ juramento continetur, respicit bonum jurantis personalissimum, & extra humana commercia positum, quodque ad heredem non transit.* Perperam hæc confundit *Bodinus* de Republ. L. 5. c. dum Fœdera ad Regum successores non transire statuit, quia juramenti

vis personam non exeat. Recte regerit *Grotius* L. 2. c. 16. §. 16. posse juramentum personam tantum obstringere, licet ipsa promissio obliget heredem. Nec verum est, quod sumit *Bodinus*, fœdera jurejurando veluti fundamento inniti, cum plerumque in ipsa promissione satis sit efficaciæ, cui majoris religionis causa jusjurandum additur.

* Bene glossa Latina ad Land-R. L. 1. art. 63. Brocardicon, quod juramentum transire dicit ad heredes recipientis, non ad jurantis, ita limitat, ut juramentum quantum ad spiritualitatem, quæ ei inest, non transire ad successorem jurantis statuat, sed bene quantum ad robur contractus.

§. CCCIX.

Liberatur jurans a juramento remissione

Personam jurantis juramentum tam firmiter stringit, ut firmius nequeat. Liberari nihilo secius a jurata quoque obligatione quis potest tum remissione & consensu ejus, in cuius favorem erat juratum, quod ipsa res dictitat, & illi etiam largiuntur, qui per juramentum non modo homini, sed simul etiam Deo aliquid promitti interserunt, tum etiam secundo relaxatione seu remissione superioris. Nam quia actiones subditorum superioris voluntati & antecedenter & consequenter subsunt, hinc superior non modo jubere poterit, ne quis hoc illudve juret, aut ab alio jurari exigat, * sed & ne id, quod jam dum juste valideque erat juratum, præstetur vel exigatur sive in totum sive pro parte. Cum tamen ne summæ quidem potestati integrum sit, jus alicui quæsitum sine causa auferre, facile apparet, tunc demum subditi juramentum alias validum a superiori posse remitti, si publica utilitas vel necessitas illud exigit, ** id quod tamen solius Principis judicio relinquendum, quia subditis in Principum suorum facta inquirere est nefas.

* Quare perinde erit sive a jurantis, sive ab ejus cui juratum est superiore relaxatio fiat.

** Sic Princeps relaxare poterit juramentum, quo subditus certam armorum quantitatem, vel aliud debitum, cujus solutio Reipublicæ

publicæ noxia esset, Principi extraneo, quocum postea bellum oritur, promisit.

§. CCCX.

Pontifex R. relaxat saltem securitatis causa petitur.

Nonnunquam ubi juramenti relaxatione ne opus quidem est, illa nihilo secius majoris securitatis ergo adhibetur, quando scil. juramentum vel ab initio ob vim, dolum, errorem aut turpitudinem intervenientem est irritum ac invalidum, vel saltem impedimento non est rei, ob quam ejus relaxatio petitur. Sic per præstitam Urphedam sola vindicta privata, ac illegitimus ejusdem modus ejuratur, nec actio legalis impeditur, ad vitandam tamen vel solam externam perjurii speciem ac suspicionem Urphedæ relaxatio ad effectum agendi petitur. Alia igitur est indoles absolutionis a juramento, quam superior publicæ utilitatis, & alia ejus, quam solius jurantis gratia concedit. Illa vim juramenti, utut alias validi, tollit, hæc vero tantum declarat juramentum ab initio fuisse irritum, vel saltem rem, cujus causa relaxatio petitur, non impedire. Nam ob solum privatum jurantis commodum ne summæ quidem potestati est integrum, jus tertio legitime pactoque jurato quæsitum per juramenti relaxationem auferre, quippe cujus officium in tuendis potius cujusque juribus consistit.

§. CCCXI.

Renuntiatio de non petenda relaxatione inefficax

Unde simul apparet, quo loco habenda sit renuntiatio de non petenda relaxatione a juramento. Quam enim publica utilitas postulat relaxationem, renuntiatio certe hominis privati non impediet, quæ vero ob privatam jurantis utilitatem petitur, in se jam est inadmissibilis, nec renuntiatione indiget, quæ si nihilo secius accedit, quod inprimis in Capitulationibus Imperatorum & Episcoporum fieri solet, vid. illa Caroli VI. in fin. ad superflua, quæ saltem non nocent, pertinebit. Quæ cum ita sint, vix admittendum videtur, quod ex *Roland. a Valle* Vol. 1. Conf. 84. n. 9. tradit *Jo. Sam. Stryck.* de derogat. futuræ dispositionis p. 25. contra ipsam etiam renuntiationem juratam de non petenda relaxatione relaxationem peti, & dari posse, modo duplex accedat absolutio, cum & ipsum juramentum duplex sit. Nam si publica utilitas relaxationem efflagitat, nec centies repetita

petita renuntiatio eidem erit impedimento, quare tunc ne ſimplici quidem, nedum duplici abſolutione eſt opus. Sin ob ſolam privatam utilitatem relaxatio petitur, indulgenda eadem non eſt, etiamſi nulla de non petenda relaxatione renuntiatio præceſſerit, nedum ſi jurato eidem eſt renuntiatum.

§. CCCXII.

quæ aliquando xat juramenta

Sæpe etiam difficultates haud exiguæ circa juramentorum relaxationem in caſibus ſingularibus occurrunt, de quibus pro circumſtantiarum varietate diverſimode judicandum. Controverſum inprimis exiſtit, quisnam ſit ille ſuperior, cui facultas juramentum relaxandi competit. Vindicat eandem ſibi in toto Orbe Chriſtiano Pontifex Romanus, ſub prætextu quod juramenta ad cauſas ſpirituales pertineant, id ſibi ſumens, ut non modo ſibi, ſed & aliis Regibus & Principibus, eorumque ſubditis juramenta remittat, quod inprimis experti ſunt Reges & Principes, quos ſimulac banno Eccleſiaſtico Pontifices notarunt, ſubditis quoque ſpoliarunt, hisque obſequii & fidelitatis, quo tenebantur, juramentum remiſerunt. Non tulerunt hoc Imperatores & Reges, ſed impiis his Pontificum conatibus ſtrenue paſſim ſe oppoſuerunt. Falſum ſiquidem eſt, omnes cauſas ſpirituales pertinere ad Pontificem, falſo etiam juramenta omnia ad cauſas ſpirituales referuntur. Juramenta enim cum ſint acceſſoria negotiorum principalium, horum jure merito cenſentur.

§. CCCXIII.

in negotiis ubi ipſius juriſdictio fundata

Quodſi igitur accedant negotiis in quibus Pontificis juriſdictio eſt fundata, relaxandi quoque poteſtas eidem haud videtur deneganda. Exempla vide in cap. 27. X. de jurejur. & apud *Buder.* de juramentis Principum Eccleſiaſticor. §. 42. ubi memorabile inprimis eſt illud, quo Martinus V. Papa per Cardinalem Julianum Legatum a latere, ad inſtantiam & preces ipſius Sigismundi Imperatoris, Fridericum Bambergenſem Episcopum a vinculo juramenti, quo capitulationem ſuam firmarat, laxavit. Quæ vero juramenta accedunt negotiis, quorum cognitio ad Principes vel tribunalia ſecularia pertinet, horum etiam relaxatio eo ſpectabit. Unde eandem a ſummis Imperii Germanici tribunalibus exerceri, Pontifici autem ejusque Nuntiis denegari animadvertimus. Vid. Rec. Imp. 1654. §. 164.

164. in fin. ibi: auch im übrigen dasjenige, was die Stände wegen der Nuntiorum absolutionem a juramentis und daß dergleichen Relaxationes in den Gerichten, sie geschehen denn von dem ordentlichen Richter ad effectum agendi nicht zu attendiren seyn sollen, hierbey erinnert, beobachten.

§. CCCXIV.

Sic Camera Imperialis ad effectum agendi ab Urphedis absolvere permittitur prævia tamen causæ cognitione, & audito prius domino territoriali, qui talem Urphedam exegit. Ord. Cam. part. 2. tit. 24. Et Imperator in judicio Aulico non modo subditos eorum Statuum, qui banni pœnam promeruerunt, ab obsequii juramentis absolvit. In Instrumento Pacis art. 10. §. 14. subditi ditionum Sveciæ Reginæ cessarum exsolvuntur vinculis & sacramentis, quibus prioribus dominis obstricti fuerunt. Sed & ipsis Principibus juramenta Imperator quandoque relaxat, quorsum referri solet exemplum Caroli V. qui Mauritium Saxonum & Joachimum Brandeburgicum Electorem a fide jurata Hassiæ Landgravio de eo liberando data absolvisse legitur apud *Thuan.* Lib. 6. in fin. de cuius quidem facti justitiæ diversimode sentiunt. Conf. *Vitriarii* Jus publ. L. 3. T. 2. §. 28. ibique *Pfeffinger.* Cum Christianus Henricus Marchio Culmbacensis 1706. Borussorum Regi, competens sibi eventuale succedendi jus in ditiones Byruthinas pro se & posteris suis jurato cessisset, eodem mortuo, liberis ipsius ad ipsorum petitionem a judicio Imperii Aulico d. 13. May 1716. juramentorum relaxatio ad agendi effectum indulta. Imperii Principes in suis ditionibus subditos vi superioritatis territorialis & potestatis legislatoriæ a juramentis valide absolvere, dubitandum non est. *in aliis judex ordinarius*

Add. citata Rec. Imp. verba ibi: vor den ordentlichen Richter.

)o(

TITULUS IX.

DE

Effectu Pactorum, seu orta ex iis obligatione,

ubi de

Obligatione subditorum & successorum ex Pactis Principum,

&

Privilegiorum Revocatione.

*

* *

Pacta obligationem inducunt, & poenitentiam excludunt. Unde publica Principis pacta etiam successorem ipsumque populum obligant, & privilegia Principis, quatenus solam a lege exemtionem continent, revocari quidem pro lubitu a Principe ejusve successore possunt, quatenus vero pacti quid habent admixtum, non item. Neque revocatio privilegii cum ejus annullatione aut declaratione & interpretatione est confundenda.

§. CCCXV.

§. CCCXV.

Oriri ex pacto obligationem ad datam fidem servandam, ab omnibus agnoscitur, imo facilius forte agnoscitur ac intelligitur, quam verbis demonstratur. Si quam interim demonstrationem requiras, dixisse sufficiat, eam humanæ societatis esse indolem, ut naturaliter omnibus hominibus erga omnes homines incumbat obligatio, partim ne lædant, partim ut prosint. Illa ne quis alterum lædat, semper & sine pacto potest exitum sortiri, altera vero, ut quis alteri prosit, non semper imo rarissime sine prævio pacto potest exigi. Paucissima enim dantur officia omnium erga omnes, pleraque ita comparata sunt, ut ab uno omnibus præstari nequeant, quia unius operæ & bona omnibus haud sufficiunt. Unde sequitur, nonnullis saltem illa deberi officia. Quinam vero sint illi nonnulli, cum omnes nostro auxilio indigentes æquale jus habeant, determinari aliter quam mediante pacto nequit. Habet siquidem re aliqua indigens universum quidem humanum genus sibi obligatum ad subveniendum necessitatibus suis, neminem tamen in individuo ad bona sua communicanda aut operas præstandas cogere invitum prius poterit, quam deficit alius, qui sponte id facere velit, quod ut exploretur, conditiones offerendæ sunt singulis, quas simul ac aliquis acceptat, adest pactum, quod hoc ipso apparet esse medium conservandæ societatis humanæ. Hanc autem cum conservare jubeat naturalis ratio, pacta etiam tanquam media huc facientia, servare, eo ipso jubet. Mundus sole magis quam genus humanum fide potest carere. Bene dixit *Aristoteles* Rhetor. L. 1. c. 15. sublata fide tollitur inter se usus hominum, & *Cicero* Off. L. 1. c. 7. fundamentum justitiæ est fides h. e. dictorum conventorumque costantia & veritas. *Pacta servare debent*

§. CCCXVI.

Neque hactenus repertus est, qui hoc negaverit unquam. Quod enim de Afris, Syris, Spartanis, Thessalis, Parthis memoriæ passim prodiderunt Scriptores antiqui, iis vel nullam vel vanam & fluxam fidem fuisse. Vid. *Alex. ab Alexandr.* Dier. genial. L. 5. c. 10. in fin. non ita accipiendum, ac si ignoraverint aut in dubium vocaverint naturalem de fide servanda legem, sed quod propriam utilitatem magis cordi habuerint, atque sub variis vanis prætextibus fidem a se datam ad casus, de quibus quærebatur, *omnes*

per-

pertingere negaverint. Quod tamen fallendi artificium horruerunt, detestati ac abominati sunt plerique alii. Romani inprimis ob fidem servatam, quam Numinis instar colebant (vid. *Dionys. Halicarn.* L. 2. & *Plutarch.* in Numa) commendantur. Romanis tamen hoc in passu nunquam cesserunt Germani. Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse, legitur apud *Tacitum* Annal. Lib. 13. in fin. p. 243. dudumque in proverbium abiit Germana fides.

§. CCCXVII.

etiam Principes. Hæc de fide servanda lex dum naturalis est, non solam tangit plebeculam, sed omnes omnino homines, ipsosque summos imperantes. Conf. Tit. 3. §. 83. 128. 137. Nec quicquam hic operatur plenitudo potestatis Principi competens. Deus siquidem subjecit Principi leges NB. civiles, non autem contractus, qui iuris sunt naturalis. Subditorum quidem paciscendi & contrahendi facultas civili Principis imperio subest, quæ autem ipse Princeps, sive cum exteris, sive cum propriis suis subditis, semel rite iniit pacta, revocari amplius nequeunt. Contrarium qui Principibus persuadere conantur adulatores, quasi sub publicæ utilitatis obtentu quævis pacta rescindere ipsis sit integrum, non modo vehementer errant, (datam siquidem fidem fallere nec licitum, imo nec utile est unquam, non magis, ac societatem humanam pessundare,) sed & ipsis Principum rebus parum bene consulunt. Misera certe Principum foret conditio, si omnia cum metu futuræ rescissionis peragerent, & quam quæso difficillime reperirent secum contracturos. Non potest diu prodesse doctrina, quæ hominem hominibus insociabilem facit, Deoque invisum *Grot.* L. 3. c. 25. §. 1.

§. CCCXVIII.

Ab ultimis voluntatibus recedi potest Quod vero L. 22. de legat. 3. dicitur, neminem eam sibi legem dicere posse, ut a priore ei recedere non liceat, non ad pacta, sed solas ultimas voluntates, de quibus ibi agitur, pertinet. Hæ enim eo ipso, quod ultimæ sunt, prius tales non intelliguntur, quam si alia haud fuerit secuta. Accedit, quod ex peculiaribus iuris Romani rationibus testandi facultas abdicari plane non potuerit, quæ tamen legislatio, quia mere civilis est, summos Principes non tangit, imo ne quidem subditos Germanicos ob contrarios

patriæ

patriæ mores stringit. Vid. de Hereditatib. T. 32. §. 695. At diversa prorsus ab ultimarum voluntatum est pactorum ratio. Illæ, quia semper sunt revocabiles, jus nemini tribuunt, quod eatenus, quatenus alteri est quæsitum, recedendi aut pœnitendi facultatem excludit.

§. CCCXIX.

Hinc in contractibus nominatis pœnitere regulariter non licet, exceptis deposito, mandato & societate. Depositario enim ius nullum est quæsitum, nec ejus interest, si deponens revocat depositum. Mandatarius pariter nil juris consequitur, sed onus saltem gerendi ad utilitatem mandantis suscipit. Societas autem cum sit conventio de re communi consilio & periculo suscipienda, & suapte natura commune consilium requirat, regulariter tam diu saltem durat, quam consenserint inter se socii, si dissenserint expirat. Talis dissensus cum sola unius pœnitentia inducatur, per eam tolli societatem apparet, nisi societati tempus certum fuerit præstitutum. Tunc enim ipsa hæc temporis adjectio durante illo dissentiendi facultatem aufert, & obligat socios ut votorum pluralitati consentiant, aut si duo saltem fuerint, bono viri arbitrium sequantur. * *non a contractibus*

* *Coccejus* de jure pœnitendi in Contractibus rationem cur in societate pœnitere liceat, inde arcet, quod societas sit mandatum mutuum, mandans autem semper pœnitere possit. Quæ tamen consequentia stringere non videtur. Ratio enim quare in mandato pœnitere liceat illa est, quia negotium est unilaterale, quo alteri ius nullum est quæsitum. Hæc ratio in societate, quæ mutua est, manifeste cessat.

§. CCCXX.

In contractibus innominatis, si alter ex sua parte promissa adimplere detrectat, is, qui fecit, ideo pœnitere nequit, quia factum non potest fieri infectum, qui vero quid dedit, pœnitere datumque repetere poterit. Nam eo ipso quo alter adimpletionem detrectat, declarat, se illo pacto teneri nolle, quod simulac alter quoque acceptat, totum pactum sublatum. Quod vero iure Romano L. 3. §. 3. Dig. de Condict. caus. dat. statuitur, quamdiu alter ex sua parte *ne innominatis quidem*

promissa non adimplevit, etiamsi ad adimplendum sit paratus, ob solam pœnitentiam a contractu innominato recedere, datumque repetere possit, mere civile videtur, nec nostris moribus, ubi ex pacto nudo valida est obligatio servatur. Confer tamen *Henrici Cocceji* dissertationem de iure pœnitendi in Contractibus Francof. ad Viadr. 1704. Sect. 4.

§. CCCXXI.

Obligatio ex pacto Principis etiam ad heredes transit.

Quid quod tanta est pactorum, inprimis a Principe celebratorum, obligatio, ut illa ne quidem in sola Principis pasciscentis persona terminetur, sed nunc ad heredes quoque ipsius, nunc ad ipsum populum, cui præest, per eumque ad successorem in regimine transeat. Scilicet obligatio ex pacto privato ad heredes, ex publico ad populum transit. Vid. Tit. 2. §. 41. Cur heres ex pacto defuncti privato teneatur, suo loco ostensum. Nimirum promittendo quis alterius fit debitor. Debita hæc nisi fuerint personalia, vid. Tit. 2. §. 49. bona promittentis afficiunt. Bona autem capit heres ex voluntate defuncti, plus ergo iuris, quam defunctus habuit, acquirere nequit, sed transeunt ad eum bona cum iisdem oneribus, quibus defunctus eadem tenebat. Unde relinquitur, omnem paciscentem & contrahentem præsumi pro se & suis heredibus contraxisse. Quodsi igitur onera defuncti præstare nolit heres, ab ipsa hereditate abstineat. Quod vero ex jurejurando heres, etiamsi hereditatem adeat, non tenetur, rationem habet in forma iuramenti, quæ consistit in renuntiatione boni cujusdam, quod solam jurantis personam concernit, nec cum reliquis ad heredem hereditario jure transire potest. Vid. Tit. 8. §. 308.

§. CCCXXII.

& populum

Sed nec obscurum esse poterit, cur ex publico Principis pacto teneatur populus. Huius enim nomine Princeps contraxerat, qui tanquam mens societatis civilis eam dirigere & obligare eatenus valet, quatenus ex causa probabili agit. Vid. Tit. 3. §. 85. Si enim aperte contra Capitulationem populive utilitatem aliquid promitteret, tunc, sicut societatis, cui præest, nomine contraxisse dici nequit, ita nec eam obligasse. Quorsum spectat vulgatum illud, Rempublicam gaudere jure minorum, quod non ita accipiendum, ac si in contractu cum Republica inito semper ac in perpetuum subsit metus rescissionis, qui subest in minore, sed quod intra certum tempus

pus vel a Republica vel successore Principis male ab eodem gesta possint revocari L. 3. C. de iure Reipubl. cap. 1. X. de in integr. restit. & cap. 1. eod. in 6. Talia enim acta & promissa si non ab ipso paciscente Principe, cui doli forte exceptio obstat, certe a populo possunt rescindi, multoque magis illa, quæ a tyranno post factam ejus depositionem sunt facta. Ante depositionem vero facta tunc demum erunt irrita, si manifeste in formulam regni publicamque utilitatem impingunt. In reliquis enim tyrannus tyrannice se gessisse dici nequit, nec proinde jure tyranni censui. Conf. Tit. 3. §. 121.

§. CCCXXIII.

Quæ vero Princeps rite publico populi nomine pacta iniit, æque sunt valida, ac si ipse populus pepigisset juxta illud vulgatum; quod quis per alium facit ipse fecisse censetur. Unde nonnulli duxerunt axioma: contractus Principum esse leges, quoniam ex iis obligatio legalis in singulis subditis oritur. * Quod tamen universaliter nimis accipiendum non est. Accurate enim loquendo leges & contractus Principum insigniter differunt. Ex lege nemini jus nascitur contra legislatorem, sed hic illam pro lubitu potest tollere. At ex contractu nascitur ius aliis, nec pro lubitu ab eo receditur. Et multi omnino dantur Principum contractus, qui in leges nunquam transeunt. Quare dictum axioma accipiendum saltem est de negotiis ex lege & contractu mixtis, quando e. c. Princeps cum hoste pangit pacem, inducias, aut cum publicano, sive is sit subditus, sive extraneus, celebrat contractum locationis similemve. Tunc ab initio negotium omne consistit intra solos terminos pacti seu contractus, ex quo vero pactum vel contractus subditis publicatur, iisque injungitur, ut eidem se gerant conformes, demum vim legis nanciscitur. Conf. L. 15. Dig. de publicanis, *Grotius* L. 2. c. 14. §. 9. L. 2. c. 21. §. 5. Unde damna a subditis post conclusas inducias, sed antequam publicarentur, data impunia quidem sunt, quia nondum aderat lex prohibens, resarciuntur tamen hosti, indeque captum redditur vi pacti, quod iam ante damnum datum erat perfectum. Si tamen statim inducias publicavit Princeps, & nihilo secius subditi, antequam actorum notitiam consequi potuerint, bona hostium combusserint & perdiderint, quia locupletiores non sunt facti, vix quicquam pro damno resarciendo hosti indulgebitur.

An Principis contractus sunt leges?

* Alio sensu rectiusque longe dicitur in L. 26. C. de donat. inter Vir. & uxor. Imperiales contractus legis vicem obtineri i. e. legi civili non esse adstrictos.

§. CCCXXIV.

Ad successorem Principis pacta transeunt.

Posito atque evicto, populum ex publico Principis pacto obligari, sponte intelligitur, successorem in Principatu seu regno eodem pariter obligari. Hic enim omne jus suum ex voluntate populi habet, nec proinde plus juris sibi potest arrogare, quam ipse populus habuit, aut conferre in ipsum potuit. Unde iura privilegio quaesita, foedera, pax, induciae, quas antecessor concessit, revocari a successore, quasi cum morte antecessoris expiraverint, nequeunt, etiamsi ipsis concessionis tabulis nulla successorum mentio fuerit injecta. Sufficit publico populi nomine negotium fuisse celebratum. Conf. de Hetedit. T. 41. §. 848. Sed quid de Victore erit dicendum, numne hic quoque pacta antecessoris publico nomine inita servare tenebitur? Negativam tuetur *Ludewig* de Obligatione successoris in Principatus p. 37. & 66. Affirmativam *Glafey* im Vernunfft- und Völcker-R. p. 434. Haud incongrue forsan distingueretur inter pacta, quae antecessor cum subditis, & quae cum extraneis publico nomine iniit. In subditos plenum jus consequitur victor, nec proinde pacta antecessoris ipsis servare tenetur. Exteris vero quae ex pacto cum antecessore inito sunt quaesita denegare victor vix poterit, quoniam victis plus juris, quam habuerant, auferre ac in se transferre non potuit. Conf. Real. Princip. Jus L. 3. T. 2. §. 384.

§. CCCXXV.

Cujuscunque sint generis.

Nec distinguendum quoad validitatem ortae ex pacto obligationis & excludendam poenitendi facultatem erit, an pactum aut contractus in beneficorum aut onerosorum numero sit. Sufficit enim ad poenitentiam excludendam jus esse quaesitum. Imo etiam in nudis, ac in futurum conceptis nec non conditionatis pactis eatenus, quatenus jus est quaesitum *, omnis excluditur poenitentia. Sic pacta de constituenda hypotheca, de introducendo iure primogeniturae **, licet jus reale nullum tribuant, id tamen operantur, si reliqua rite se habent e. c. superioris consensus impetrari potest,

est, ut solius promittentis pœnitentia & dissensu hypotheca aut iuris primogenituræ introductio impediri nequeat.

* E. c. conditione purificata, quæ & purificata & adimpleta censetur, si per eum, cuius interest, conditionem impleri fit, quo minus impleatur.

** Tale pactum ubi Princeps in pactis dotalibus uxori promiserat, introducere ius primogenituræ inter liberos nascituros, & nihilo secius liberis relictis decesserat sine eiusdem primogenituræ iuris introductione memoratur apud *Ludolf.* de introd. Jur. primog. p. 164.

§. CCCXXVI.

De privilegiis inprimis anceps est disceptatio num per eorum concessionem Princeps ita obligetur, ut revocare eadem amplius nequeat? * Facultatem omnia indistincte privilegia pro lubitu revocandi Principibus vindicant *Hobbes* de Cive c. 6. §. 13. *Bodin.* de Republ. L. 1. c. 8. p. 133. e recentioribus *Georg. Beyer.* de Obligatione successoris illustris & *Gebhard. Christian. Bastineller.* de privilegiorum collisione, hanc potissimum ob rationem, quoniam potestas privilegia concedendi a potestate legislatoria pendet. Sunt enim privilegia exemtiones a lege, leges autem a Principe pro lubitu possunt tolli & revocari. Denegant econtra Principibus facultatem privilegia pro lubitu revocandi *Tolosan.* de Republ. L. 7. c. 20. §. 21. *Enenckel* de privil. L. 3. c. XI. *Rauchbar* part. 2. qu. XI. num. 34. *Myler* Nomolog. c. 13. *Ziegler.* de Jurib. Majest. L. 1. c. 12. §. 13. *Stryck* ad Lauterb. p. 32. (add. tamen diss. ejus de privil. oneros. c. 3. §. 5.) *Engelbrecht* de Servitut. Jur. publ. p. 440. *Henr. Bodin.* de Contractib. summar. potestat. §. 42. quorum sententiam juvat, quod privilegia, sive gratuito sive oneroso titulo conferantur, certe vel donationis vel alius pacti aut contractus indolem habeant, a quo recedere pro lubitu Principi integrum non est. Alii distinguere satagunt, & privilegia benefica seu gratuita revocabilia, onerosa vero irrevocabilia censent. Gratuita enim precarii indolem habere videntur, reliqua non item. Est hæc sententia communis plerorumque *Baldi, Menochii, Cacherani, Tiraquelli, Rosenthalii, Peregrini, Pistoris, Reusneri, Pruckmanni,*

An privilegia renovari possint?

Rhetii &c. Subtiliores subdistinguunt sitne pretium interveniens in publicam utilitatem versum, nec ne?

* Pro lubitu scil. Nam ob necessitatem (secus ob solam utilitatem) publicam, ob delictum aut abusum privilegiati, item ob cessantem finalem privilegii causam recte illud auferri, dubio caret *Stryck.* de privil. titulo oneros. quæsitis p. 50. Quatenus per non-usum amittatur privilegium colligitur ex dictis in Jure Principum Reali §. 326. 496. Id certum, non usum haud obesse, si occasio utendi defuerit.

§. CCCXXVII.

Natura privilegiorum explanatur

Facile patet, judicandum esse de hac controversia ex ipsa privilegiorum indole. Conf. Tit. 4. §. 170. & L. 2. T. 6. §. 511. Retineamus communem privilegii definitionem, qua describitur per exemtionem a lege, seu jus singulare contra jus commune indultum. * Eximere a lege potest nonnisi is, qui potestate legislatoria gaudet, unde sequitur, a solo legislatore proficisci privilegia, ex iisque obligationem imponi subditis. Quod vero inde porro infertur, nonnisi subditis privilegia posse concedi, admittendum non est, & refutatur quotidiano Bibliopolarum exemplo, qui a Principibus extraneis privilegia impetrant, quæ licet non-subdito concedantur, tamen obligant subditos, ne imprimant aut vendant talem librum. Porro licet privilegium necessario ex sua natura semper exemtionem a lege contineat, non tamen semper solam continet exemtionem a lege, sed sæpenumero aliud quoddam jus confert e. c. servitutem, atque tunc pacti aliquid habet admixtum. Causa quæ Principem ad privilegii concessionem impellit, est vel mera gratia vel onus ab impetrante præstitum aut præstandum, unde divisio privilegiorum in gratiosa & onerosa ** quibus posterioribus annumerant illa, quæ ob merita conceduntur. Denique nonnulla privilegia personis dantur & cum iis expirant, alia rebus & cum iis ad quemvis possessorem transeunt, unde distinctio privilegiorum in personalia & realia. In dubio gratiosa personalia, onerosa realia esse præsumenda volunt. Præscriptione quæsita, cum plerumque immemorialis illa sit, adeoque titulus deficiat, nec grotiosis nec onerosis annumerari possunt, neutris tamen favore cedunt.

* Quo-

* Quomodo subtiliores privilegium, constitutionem personalem, & jus singulare distinguant, vid. apud *Ziegler.* de Jur. Maj. L. 2. c. 12. §. 1. Mihi jus singulare tanquam genus sub se comprehendere videtur privilegium & dispensationem tanquam species. Dispensatio ad unum casum & ad tempus; privilegium ad similes quoque casus longiusque tempus vel plane in perpetuum conceditur. Beneficium & privilegium sic volunt differre, ut beneficium soli concedenti præjudicet, privilegium autem cum aliorum præjudicio sit conjunctum. *Stryck.* de privil. oneros. §. 4.

** Solent Doctores privilegia onerosa vocare conventionalia, iisque opponere simplicia seu mere gratiosa. Vid. *Rauchbar.* part. 2. qu. 11. pr. Merito tamen abstinemus ab hac locutione, quia etiam in gratiosis conventio potest intervenire.

§. CCCXXVIII.

Jam si de facultate revocandi privilegia quæratur, & consideremus privilegia ad potestatem legislatoriam pertinere, sæpe tamen pacti aliquid habere admixtum, porro leges pro lubitu posse revocari, pacta non item, sponte apparebit, simpliciter & indistincte Principi nec asserendam, nec denegandam esse facultatem revocandi privilegia, sed potius distinctione rem esse expediendam. Non quidem illa, an privilegium gratis an sub onere certo sit concessum, siquidem onus interveniens externe saltem Principem movet atque impellit, in ipsam vero privilegii essentiam non influit. Accedit, quod incertum sæpe existat, sitne privilegium gratiosum an onerosum, cum plerumque privilegia faciem gratiosam præ se ferant, ac etiamsi pretium intervenerit, illud tamen exprimi non soleat, nonnunquam vero bene merita, quæ re vera adsunt nulla vel parva, in privilegiorum tabulis jactentur. *In eorum revocatione distinguendum*

§. CCCXXIX.

Quare distinguere mallem, sitne per privilegium sola a lege exemtio concessa, an simul aliud quoddam jus e. c. servitus, immunitas a publicis oneribus. Hoc casu negotium principale est pactum, quod privilegiato jus irrevocabile tribuit, illo autem negotium principale est exemtio a lege, cujus *an exemtioni a lege pactum admixtum*

jus revocatio regulariter * pro lubitu est licita, adeo ut nec pactum accedens revocationem simpliciter impediat, nec pretii intervenientis refusio aliter sit necessaria, quam si tantum ex privilegio concesso lucrum privilegiatus nondum percepit, quantum pro ejus concessione concedenti obvenerat. Omnino enim æquitas postulat, ne privilegii revocatio cum detrimento privilegiati sit conjuncta, aut cum ejus damno Princeps ditetur, quoniam alias gratia exemtionis a lege in damnum degeneraret, & nundinario quodam, Principibusque indigno dedecore incauti facile deciperentur. Conf. *Grotius* L. 2. c. 14. §. 13. Plane si privilegio addita precarii clausula, revocandi facultas est manifesta. Quod vero *Stryck.* de privil. onerös. c. 3. §. 5. in dubio privilegia gratiosa precariis annumeranda censet, magis dubium videtur.

* Quodsi enim Princeps, qui liberam leges ferendi facultatem habet, alicui *ad certum tempus* exemtionem a lege concesserit, nec ipse nec populus revocare eam intra illud poterunt, quia temporis determinatio suspendit revocandi facultatem. Si vero concedens prius, quam illud tempus elapsum, moritur, vel alias imperio privatur, resoluto jure dantis resolvitur & illud accipientis. Quare ut irrevocabilis fiat exemtio, Procerum consensus utiliter exigitur.

§. CCCXXX.

Quæ sibi subditi jura in Principis constitutione reservant privilegia non sunt

Quæ diximus, de privilegiis proprie sic dictis, & propria item eorum revocatione sunt accipienda. Nam sub privilegiorum nomine sæpe etiam intelliguntur conventiones & conditiones, sub quibus subditi summam rerum potestatem in Principem contulerunt. Hæ cum Principe sunt initæ antequam potestate legislatoria gauderet, vel minimum citra ejus respectum, & proinde in eas exemtionum a lege seu privilegiorum nomen proprie non quadrat, sed simpliciter pactorum jure veniunt, & sicut subditi denegare Principi nequeunt obsequium tali pacto promissum, ita nec Princeps subditis jura eodem pacto quæsita. Num vero Princeps prius subditorum privilegia confirmare, an hi homagium prius præstare teneantur, ex specialibus regionum pactis & consuetudinibus pendet, nec interesse videtur, utrum alteri præmittatur, cum utrumque meram quan-

dam

dam solennitatem contineat, ipsa vero obligatio valida jam dum in Principe pariter ac subditis adsit. *Lyncker.* de Relig. Obseq. §. 19. existimat, regulariter non licere subditis differre homagium, quoad a domino literæ reversales datæ & privilegia confirmata fuerint. In urbe Franckenthalensi cum Elector Palatinus per filium suum Magistrum Teutonici Ordinis homagium accipere vellet, illud præstare prius noluerunt, quam facta privilegiorum confirmatione. Carolus V. Imp. cum Bruxellis imperio se abdicaret, Flandri & alii populi Belgici Philippo filio ipsius statim jurarunt, Hollandi autem sequenti demum die, nempe post confirmationem privilegiorum suorum.

§. CCCXXXI.

Magis adhuc improprie privilegium, speciatimque conventionale, vocatur declaratio civium, qua aliquem suum concivem a præstatione onerum communium eximunt, illiusque præstationem in semetipsos recipiunt, quæ, tanquam res inter alios acta, Principi quidem non præjudicat, concives tamen ex pacto obligat. Confer. Respons. de 1676. apud *Ziegler.* de Jur. Maj. L. 2. c. 2. §. 61. ubi tale privilegium immunitatis a collectis & oneribus publicis civi, ad pacem Osnabrugensem misso, ob res feliciter gestas remunerationis loco a concivibus datum memoratur. *nec conventionalia*

§. CCCXXXII.

Separanda etiam est revocatio privilegii ab ejus annullatione; utut abusive pro synonimis accipiantur. Revocari proprie dicitur privilegium, quod antea erat validum, annullari autem, quod ab initio erat nullum vitioque laborabat. Sic per privilegium, quo quid concessum a Principe cujus concedendi facultas penes eum haud fuerat nihil juris acquirit impetrans, sed Princeps si errore fuit lapsus, ipse, sin dolus ipsius intervenerit, successor ejus vel ipse populus illud potest rescindere. Sic & privilegia quæ sub & obreptionis vitio laborant, ipso jure sunt nulla, tacita enim ex natura negotii subest conditio, *si preces veritate nitantur.* Nec addita clausula *ex certa scientia, motu proprio, potestatis plenitudine &c.* tale vitium, ut nonnulli opinantur, sanabit. Ex recepto enim stylo Curiæ tales clausulæ a concipientibus inseri sollicite ac indistincte super quibusvis casibus solent. *Nec confundenda est revocatio privilegii cum ejus annulatione*

 Ulte-

Ulterius in collisione privilegiorum, ubi unum alteri e diametro adversatur, alterutrum ab initio nullum fuisse oportet.

§. CCCXXXIII.

aut collisione Danda autem sedulo est opera, ut collisiones omnes, quantum fieri potest, & quamdiu conciliari possunt, evitentur, nec præter rem fingantur. Collidere nimirum privilegia dicuntur, ubi duo aut plura in exercitium deducenda, vel in idem tempus, objectum, locum ac finem coincidunt. Unde privilegium generale cum speciali proprie non collidit, sed casus specialis exceptus a generali, de cetero in vigore manente censetur, sive sit antiquius sive recentius. Ubi autem duo specialia concurrunt, si de mera exemptione a lege agitur, antiquius cedit recentiori: quippe per quod priori pro facultate qua princeps pollet, mutandi leges est derogatum. Sin aliquid pacti est admixtum, recentius cedit antiquiori, quippe ex quo privilegiato jam dum jus erat quæsitum, quod auferri sine necessitate nequit, adeo ut tali casu nec clausula non obstantibus privilegiis in contrarium quicquam operari videatur. Sed quid, si non constat, utrum altero sit antiquius? Contingere id potest, ubi unum aut ambo sine die & consule sunt data. In L. 4. C. de diversf. rescript. dicitur carere tale beneficium autoritate, quod intelligo de casu, si exinde suspicio oriatur, beneficium re vera haud fuisse collatum, sed rem in terminis tractatuum substitisse. Alias enim, & si aliunde de ipsa concessione constat, licet tempus ignoretur, validitas denegari haud poterit, utut ob hunc defectum tale privilegium sine die & consule reliquis cedere existimem. Si eodem de duobus Princeps privilegia eadem sonantia dedit, nulla iterum collisio admittenda, sed ab utroque pari modo sunt usurpanda.

§. CCCXXXIV.

aut interpretatione Nec denique cum revocatione privilegii confundenda est dextra justaque, utut forte authentica, ejus interpretatio, qua declaratur, privilegium impetratum ad casum dubium, de quo quæritur, non pertinere. Communiter privilegia intuitu concedentis latissime L. 3. Dig. de Constitut. Princip. quatenus vero in præjudicium tertii tendunt, strictissime interpretanda dicuntur L. 2. §. 10. & 16. Dig. ne quid in loc. publ. priori enim

respectu

respectu causa privilegiorum favorabilis censetur, posteriori vero odiosa. At enim vero cum eadem res, idem privilegium diverso respectu nunc favorabile, nunc odiosum esse possint, facile intelligitur, quam lubricum sit, quod de diversa favorabilium & odiosorum interpretatione affertur. In genere si res consideretur, restrictiva interpretatio tum naturæ pactorum, tum exemtionum a lege magis convenire videtur. Nec enim nova obligatio nec exemtio a lege facile est præsumenda. Quodsi autem ex circumstantiis satis apparet, quænam fuerit ejus, qui privilegium concessit, mens, ei præcise inhærendum, nec de eadem restringenda nec extendenda laborandum. Rectæ enim interpretationis natura consistit in collectione mentis ex signis probabilibus.

§. CCCXXXV.

cujus exempla adducuntur.

Hinc privilegium a Principe concessum non ita extendendum, quasi ipse Princeps eodem impediatur, in usu ejusdem juris, quamvis de solo Principis nec ullius tertii præjudicio agatur. Vid. *Ziegler.* de Jur. Maj. L. I. c. 12. §. 8. Porro si quæritur, num privilegium ad instar alius concessum, aucto principali pariter augeatur, aut si postea privilegium principale abrogetur, illud ad instar etiam abrogatum censeatur, utroque casu nec pro extensiva nec restrictiva interpretatione simpliciter pronunciandum, sed cum ex circumstantiis appareat, eam esse concedentis mentem, ut privilegium competat ad imitationem ejus, quod existit, non quod futurum est, nec aucto principali augebitur privilegium ad instar seu referens, nec abrogatum censebitur abrogato principali. Vid. *Sam. Stryck.* de privilegiis onerosis c. I. §. 13.

TITU-

TITULUS X.

DE

Doli, Culpæ & Periculi in Contractibus præstatione.

* * *

Debitor præstatione ejus quod interest haud liberatur, sed præcise ad promissa, & damnorum dolo aut culpa datorum reparationem tenetur. Casum vero & periculum nemo præstat, sed res domino obligatio creditori perit.

§. CCCXXXVI.

Præstatio ejus quod interest promittentem non liberat: ORta ex pacto obligatio tendit ad id præcise, quod eodem erat promissum. Hunc enim in finem erat contracta & tanquam norma præstationis præposita. Quoad obligationem faciendi exceptio vulgo statuitur, eamque non præcise ad id, quod erat promissum, sed ad solam præstationem ejus, quod interest, promittentem obstringere communiter perhibent autoritate Legis 13. §. 1. Dig. de re judicata. Sed confundi videtur ipsa obligatio cum mediis eam persequendi. Ipsa obligatio etiam ad factum promissum præcise præstandum valida est & perfecta, sed deficiunt quandoque media cogendi promittentem ad illud præstandum. Qui enim mori scit, cogi nescit. Hic potentiæ defectus in causa est, ut ulterius, quam ad exactionem ejus, quod interest, pervenire nequeamus, quod non modo procedit, ubi facta promissa, sed & si res, quæ abscondi facile

cile possunt. Ne igitur obstinata refractarii debitoris denegatione creditor plane conventionis fructu excidat, dum illud ipsum, quod promissum, haberi nequit, indulta in creditoris * favorem persecutio ejus quod interest. Conf. Tit. 4. §. 155. Cujus præstatione si contentus esse creditor nolit, alter obligatus omnino manet, usque dum ipsum factum promissum præstiterit & cogi ad idem, quamdiu media suppetunt, potest. Neque aliud sibi velle videtur citata L. 13. quæ electionem saltem actori indulget, velitne præcise ad facti præstationem, an ob moram rei ad interesse agere. Add. L. 84. Dig. de Verb. Obl. Et plane analogiæ juris repugnaret, si statueremus obligationem faciendi ad solum interesse tendere. Sic enim in effectu tolleretur plane omnis obligatio faciendi, & sola danda in conventiones deducerentur, cum tamen hactenus constanter meritoque creditum fuerit, conventiones & obligationes alias in dando alias in faciendo consistere. Certe naturali jure & inter summos Principes debitorem præstatione ejus, quod interest, non liberari ab obligatione, quamdiu id ipsum, quod promissum, præstari potest, nemo facile negaverit.

* Dico in Creditoris, non in debitoris favorem, quod volunt ii, qui rationem citatæ legis 13. cum *Duareno, Ungebauero, Hertio* in eo quærunt, ne servilis faciendi conditio debitori imponatur, quos contra disputat *Beyer.* Jur. Germ. L. 3. c. 1. pos. 31. & *Hamberger* de non-usu stipulationum p. 44.

§. CCCXXXVII.

Nec sufficit præstari id, quod erat promissum, sed præstari etiam debet in ea quantitate, qualitate eoque tempore, quo erat promissum, quoniam alias in effectu minus, quam erat promissum, præstaretur. Unde si Princeps certam pecuniæ quantitatem solvere promiserit, integrum ipsi non est, circa tempus solutionis monetam deteriorem, quam tempore contractus initi erat, cudere, quod inter status rationes impio ausu numerant nonnulli. Sic de Prato Galliæ Cancellario memoriæ prodidit *Bussieres* Hist. Franc. Lib. 16. p. 353. quod cudi jusserit numos, quos Hispanis solveret ex auro impuro, fraude indigna Regis fide & amplitudine. Nec ideo Hispanis impositum, imo fraus magna infamia in apertum producta est, sin- *Præstetur promissum in quantitate & qualitate promissa*

gulis numis ab aurificibus tentatis, repertumque eſt deceſſionem quadraginta milium aureorum factam, quam ſupplere novo auro oportuit. Conf. L. 2. T. 13. §. 660.

§. CCCXXXVIII.

Unde in ſolutione circa valorem monetæ tempus contractus reſpicitur.

Quoad ſubditos major dubitandi ratio ſubeſſe videtur, quoniam penes eos non ſtat monetæ augmentum vel decrementum. Sed & inter eos verius omnino eſt, in pecuniæ ſolutione reſpici debere (& quoad ſummam & quoad ejus valorem vid. *Titius* ad Lauterb. Obſ. 311.) tempus contractus non ſolutionis, tum quoniam reſpexere contrahentes valorem monetæ illius temporis, tum quoniam aucta vel diminuta moneta rerum pariter pretia augentur vel diminuntur. Si tamen debitor fuerit in mora, duriorem æſtimationem ut præſtet jure ſuo creditor poſtulat. Imo ſi, poſtquam debitor pecuniam acceptam expendit, ejus valor imminuatur, æquitatem non pati, creditorem cum debitoris emolumento damnum immodicum ex mutuo ſentire cenſet *Gribner* Princip. Jur. Nat. L. 4. c. 3. th. 7. in fin. In hypotheſi difficilis foret hujus rei applicatio.

§. CCCXXXIX.

Ubi promiſſum præſtari nequit, præſtetur id, quod intereſt.

Ubi id, quod promiſſum, vel plane non, vel non in debita qualitate poteſt præſtari, num & in quantum id quod intereſt præſtari debeat, inde judicandum, num penes debitorem ſteterit, quo minus res in eum deduceretur ſtatum. Damnum enim, quod dolo vel culpa alteri datum, merito reparare jubet naturalis de nemine lædendo lex. At quod caſu fortuito damnum emergit, ſicut nemini poteſt imputari, ita a nemine præſtatur. Sed tunc res domino, obligatio creditori perit, qua de re penitius conſtabit ex iis, quæ nunc de doli, culpæ, & periculi præſtatione dicenda veniunt.

§. CCCXL.

Si a debitore dolus commiſſus.

Dolus malus (nam de bono h. l. non ſumus ſolliciti) quid ſit jam ſupra Tit. 5. §. 195. expoſitum, ſimulque oſtenſum, quando pactum vitiet, vel ſaltem ad intereſſe, ſeu damnum datum reparandum obliget. Cumque omni dolo culpa lata inſit, iidem effectus, qui culpæ latæ, dolo pariter erunt

erunt tribuendi. Dolus autem futurus ne coventione quidem poteſt remitti, quoniam talis conventio invitaret ad delinquendum.

§. CCCXLI.

Culpam hic ſtrictius accipimus & dolo opponimus. Late enim culpa ſignificat factum injuria damnum producens, & dividitur in culpam verſutiæ ac malitiæ, ſeu dolum, & imprudentiæ vel negligentiæ, de qua h. l. Atque hanc in Jure perſonarum illuſtrium L. 3. T. 14. §. 1. deſcripſi quod ſit omiſſio diligentiæ citra nocendi animum admiſſa, ſimulque monui, ſicut ipſa diligentia nunc in faciendo nunc in omittendo ſe exerit, ita pariter culpam eidem oppoſitam non præciſe omittendo, ſed & committendo nonnunquam admitti, remque exemplo ſatis claro ibidem illuſtravi. *aut culpa*

§. CCCXLII.

Quemadmodum autem varia dantur diligentiæ genera & gradus, ita & culpa ſuos admittit gradus, variaque exinde culparum oriuntur genera. Duo agnoſcere videtur *Ulpianus* L. 47. §. 5. Dig. de leg. 1. dolo proximam & levem. Quinque *Bartolus* ad L. quod Nerva Dig. depoſit. latiſſimam, latiorem, latam, levem, leviſſimam. Unicam *Thomaſius* in diſſ. de uſu practico doctrinæ de Culparum præſtationib. Hal. 1705. p. 57. Nobis a communi ſententia, quæ tria culparum genera tradit, latam nimirum, levem, & leviſſimam non eſſe recedendum videtur. Egregie eam vindicat *Titius* ad Lauterb. Obſ. 397. In omnibus, ait, rebus, quæ gradibus diſtinguuntur, quos tamen accurate & juxta ἀκρίβειαν Mathematicam dimetiri non licet, tres gradus aſſeri poſſunt (imo dixerim debent) duo extremi & tertius, qui inter utrumque ſit. Nam ſi duos, quatuor, quinque, vel plures aſſerere velis, tunc accurate oſtendendum foret, ubi alter incipiat, alter deſinat, quod tamen rei natura non admittit. At ſi in numero ternario ſubſiſtas, difficultatem iſtam effugies. Nam duo extrema & tertium interjacens aſſerenti cura accuratæ dimenſionis non incumbit. Juxta hæc ergo tam diligentia quam negligentia humana habet duo extrema, vel enim ſumma eſt vel infima, his interjacet media, quæ modo illi modo huic eſt propinquior. *cujus tres gradus*

§. CCCXLIII.

explicantur Eſt igitur culpa lata omiſſio infimæ diligentiæ, quando quis non obſervat, quod quisque hominum juxta ſenſum communem obſervare ſolet. Culpa levis eſt omiſſio mediæ diligentiæ, quando quis non obſervat, quod quisque bonus paterfamilias obſervare ſolet. Culpa leviſſima eſt omiſſio diligentiæ ſummæ ſeu exactiſſimæ, quando quis non obſervat, quæ diligentiſſimus paterfam. obſervare ſolet.

§. CCCXLIV.

Quæ culpa in contractu præſtanda Quæ vero culpa in ſingulis contractibus ſit præſtanda, ex voluntate & conventione partium pendet, quæ ſi expreſſa adeſt, eidem omnino inhærendum, ſin deficit, præſumtionibus locus fiet, quæ capiuntur 1) ex natura objecti. Sic exactior diligentia requiritur in cuſtodia rei pretioſæ, quam vilis 2) ex qualitate perſonæ, quacum contrahimus. Sic qui hominem, quem in propriis negligentem novit, ſocium ſibi jungit, tantam ab eo diligentiam requirere nequit, quantam ab alio quovis diligentiore. Econtra qui artis perito negotium committit, majorem ab eo diligentiam jure expectat, quam ab imperito. Hinc ab advocatis culpa leviſſima præſtanda. Spectat huc diſtinctio JCtorum, qua levem culpam talem vel in abſtracto vel in concreto eſſe perhibent. Regulariter autem ad normam ſenſus communis res exigitur * 3) ex natura contractus celebrati. Quorſum pertinent decantatæ tres illæ regulæ α) quicunque nullam utilitatem ex contractu percipit e. c. depoſitarius, latam ſaltem culpam præſtat. Qui enim beneficium alteri concedit, ulterius ſe oneraſſe temere non præſumitur β) qui ſolus omnem utilitatem ex contractu percipit e. c. commodatarius, leviſſimam quoque culpam præſtat, quoniam alias cum alterius damno ditaretur. Binis hic regulis conſequens eſt tertia, ut γ) ubi utraque pars ex contractu utilitatem percipit e. c. emtione venditione levis culpa præſtetur. Quæ omnia ut rationi ſunt convenientiſſima ** ita haud obſcure probantur in L. 5. §. 2. Dig. commodati, ubi ut in aliis Legibus paſſim vid. L. 226. de Verb. Signif. culpam latam ſub dolo comprehendi, levem culpæ nomine κατ' ἐξοχὴν, leviſſimam diligentiæ nomine venire obſervabis. ***

* Num

* Num qui contractui, utut benefico e. c. deposito sponte se obtulit, ad majorem tenetur diligentiam, quam si se non obtulisset? Affirmat cap. 2. X. de deposito. Alias vero & abstrahendo a lege civili, rectius negatur. Non minus enim, imo majus est beneficium, quod sponte offertur, quam quod emendicatur prius. Benefica autem agendi ratio nemini debet esse damnosa. Quodsi vero quis negotio non modo se obtulit, sed & plane obtrusit, non modo mediam sed minimam quoque culpam præstabit, quod ad prædonem applicat, merito eum ad exactissimam diligentiam adstringens L. 6. §. 3. Dig. de neg. gest. & ad Regni usurpatorem *Sam. Coccejus* de regimine usurpatoris §. 51.

** Frustra hæc a *Thomasio* l. c. p. 36. venditantur pro invento *Africani* qui sub Hadriano vixit.

*** Leges civiles passim a naturalibus, quas modo meminimus regulis discedunt, variisque exceptionibus easdem limitant. Sic a regula quæ latam saltem culpam præstare jubet eum, qui nullam utilitatem ex contractu percipit, excipitur mandatarius L. 13. 21. C. Mandati, tutor L. 7. C. arbitrium tutelæ, negotiorum gestor. §. 1. Inst. de Obl. quæ quasi ex contract. Mandatarius scil. levissimam, tutor & negotiorum gestor levem culpam præstat, heres tutoris latam saltem. Ab altera regula, ut qui solus utilitatem percipit, levissimam quoque culpam præstet, excipitur precarium L. 8. §. 3. Dig. de precario ubi ob incertum singulisque momentis revocabilem usum lata saltem culpa præstatur.

§. CCCXLV.

Extra contractum & sine alterius permissione si rebus ipsius me immisceo, indeque ipsi damnum infertur, levissima culpa præstanda, etiamsi nullam inde utilitatem perceperim. Mihi enim imputem, quod rebus alienis citra ejus consensum me immiscuerim, & satius longe est, culpam nocere autori, quam innocenti L. 44. Dig. ad Leg. Aquil. *Quæ extra contractum*

§. CCCXLVI.

An Germani culparum gradus noverint?

Ex dictis jam colligere licebit, ea quæ de pluribus diversisque culparum generibus attulimus, saltem procedere in thesi ac comparatione unius negotii, cum aliis. In hypothesi enim singulisque negotiis semper unica saltem erit culpa scil. omissio diligentiæ, quæ ex indole negotii erat præstanda & e. c. in casu quo lata saltem culpa præstatur, is qui mediam & exactissimam diligentiam omisit, culpam plane nullam commisit, quia talem diligentiam præstare non tenebatur. Econtra si negotium consideratur in comparatione cum aliis, in quibus media vel exactissima diligentia erat adhibenda, tunc licet culpa dici possit admissa, talis tamen erit, quæ imputari aut præstari non debet. Quo lumine accipi velim id, quod *Thomasius* l. c. p. 57. de prisco Germanorum jure perhibet: ignorari eodem gradus & genera culparum. Textus enim, quos citat, juris Germanici cum de casibus specialibus agant, mirandum non est, si culpæ saltem in singulari, nulla addita graduum mentione, meminerint. Male autem inde infertur. Ergo culparum gradus dantur nulli, aut priscis Germanis fuerunt ignorati. Contrarium clare probat citatus ab ipso *Thomasio* textus juris provincialis Svevici c. 249. Ein jeglichen Mann ist gesetzt, daß er fremdes Guth bas soll pflegen, denn sein selbst Guth', ubi de diligentia adhibenda comparative disseritur. Comparativum autem gradus plures minimumque duos involvere res ipsa loquitur.

§. CCCXLVII.

An semper levissima præstanda?

Præpostere igitur *Thomasius* l.c. p. 11. & 60. post *Nicolaum Burgundum* JCtum Ingolstadiensem eo delabitur, ut in omni contractu culpam levissimam præstari velit, hoc inter alia argumento fretus, quod in casu damni dati cum actione ex contractu semper ex communi opinione (quam tamen improbat *Thomasius*, nec actionem ex L. Aquil. Germanis receptam contendit) concurrat actio ex L. Aquil. quæ lex, cum damnum etiam levissima culpa datum præstare ac reparare jubeat, hac ratione consequi actorem præstationem culpæ levissimæ, quam alias per actionem ex contractu consequi non potuisset, ac proinde tolli omnem usum doctrinæ de gradibus culparum. At rectius res ita effertur, eo damnum casu, si culpa

extra

extra contractum admissa, ex L. Aquilia præstari levissimam, at si in contractu, eum saltem culpæ gradum præstari, qui ex indole contractus venit præstandus, quoniam alias otiosa foret legislatorum de diversa culpæ præstatione dispositio, quos tamen nihil frustra edicere constat.

§. CCCXLVIII.

Cur raræ de culparum gradibus controversiæ?

Quamvis igitur doctrina de diversis culparum gradibus eorumque præstatione rationi & æquitati naturali nec contraria, nec incognita plane sit, suis nihilo minus premitur incommodis ac difficultatibus, quoniam termini, ubi diversi culparum gradus incipiunt & desinunt, non satis sunt definiti, sed ad normam sensus communis exigendi, quo cum nemo se destitui credat, nec tamen omnes omnino gaudeant, necesse est, ut res arbitri vel judicis arbitrio relinquatur. Dubius igitur ac incertus cum sit litis, ex fundamento diversorum culpæ graduum suscipiendæ, eventus, & præterea ejus, quod interest, vel quantitas exigua vel probatio difficilis, mirandum sane non est, si rarius desuper lites in foro suscipiantur, prout *Thomasius* l. c. p. 59. se non recordari scribit, quod unquam in Facultate Juridica de gradibus culparum in contractibus controversia obvenerit. Frustra autem inde infertur, quod nulla plane hujus doctrinæ sit utilitas. Illa enim valde frequens ac insignis se prodit in prudentia judiciaria, ubi judicis & arbitri inter ipsos etiam summos imperantes officium efflagitat, quoties de damno dato reparando agitur, diversos culparum gradus probe ponderare, & pro eorum ceterarumque circumstantiarum diversitate damna illata æstimare.

§. CCCXLIX.

Casus & periculum an præstetur?

Casus est eventus fortuitus, qui consilio humano præcaveri non potest ab illo, qui eum patitur, & differt a periculo eo, quod periculum quemvis dubium eventum significat, adeoque & eum comprehendit, qui a culpa proficiscitur L. 37. §. 1. Dig. de negot. gest. L. 5. §. 3. Dig. Commodati L. 40. Dig. locati, casus autem ab omni culpa est vacuus, plerumque tamen καλ' ἐξοχὴν periculum pro synonimo casus fortuiti accipitur, qui cum a voluntate nostra non pendeat, nec proinde imputari possit, sponte

ſponte ſequitur, damnum inde ortum a nemine præſtari, niſi pacto aliud placuerit (hoc enim dat legem contractui, nec tamen ultra cogitata ad caſus inſolitiſſimos extenditur) aut mora aliave culpa, quæ caſum excitavit, præceſſerit, tunc enim non amplius de caſus, ſed culpæ præſtatione quæritur. Hinc de periculi præſtatione regula oritur generalis, rem domino, obligationem creditori perire, quæ tamen regula per leges civiles paſſim limitata deprehenditur. Speciatim de præſtatione periculi in commodato, deposito, emtione, locatione, pignore &c. infra ſuis locis agemus. Antiquo jure Saxonico periculum quidem rei oppignoratæ erat domini ſeu debitoris, per ejus tamen interitum ſummam debitam amittebat creditor Land-R. L. 3. art. 5. cujus rei rationem reddidi in Real. Princ. Jur. L. 3. T. 4. §. 428. Hodie per Conſtit. Elect. 26. part. 2. per pignoris interitum debitum non extinguitur.

TITULUS XI.

DE

Evictionis Præſtatione.

* *
*

Evictionem Autor, a quo quis rem titulo oneroſo bona fide habet, præſtare tenetur, ſi res juſte & ex cauſa poſſeſſionem antecedente ab alio eſt ablata.

§. CCCL.

Evictionis præ-

Ex quo conſtat, in quantum culpa & caſus præſtari in contractibus debeant, facilius etiam de evictionis præſtatione judicabitur. Eſt ſcilicet

evictio rei ab aliquo possessæ ob jus quoddam fortius facta ablatio. stati o autem evictionis est satisfactio pro damno ob rem evictam obve- nte. Auferri & quidem juste auferri potest res possessori vel ob causam, e possessionem ejus, contra quem res evincitur, præcessit, vel talem, e durante ejus possessione demum emersit. Hoc casu evictionis præ- ionem postulare ab autore nequit possessor, quia ex momento acquisi- nis periculum fuit possessoris. Priori autem casu postulatur evictionis estatio, quia jus promissum reapse translatum non est. Quare ut evi- onis præstatio exigi possit, requiritur 1) rem esse ablatam 2) juste quidem ex causa possessionem antecedente 3) ne intervenerit dolus aut lpa ejus, qui evictionis præstationem postulat, & denique 4) ut saltem negotiis onerosis non autem in lucrativis exigatur.

§. CCCLI.

Primo res debet esse ablata. Alias non habet, de quo queratur pos- *requirit* ssor. Nec sufficit, novum acquirentem succubuisse in possessorio summa- *rem abla-* o. Nam evictioni saltem est locus ob jus quoddam fortius, adeoque in *tam* ontroversiis juris non facti, quo refertur possessio. Quare ut evictionis æstatio juste postuletur, expectandum, donec in petitorio res sit abjudi- ita, nisi forte in specie evictio in possessorio fuerit promissa, quod ta- nen tunc ad possessorium ordinarium erit restringendum.

§. CCCLII.

Secundo juste res debet esse ablata, quia indoles evictionis ea est, ut *juste* iat ob fortius alius cujusdam jus, quam est illud possessoris. Quoties igi- ur de facto, non via juris res evincitur, item quoties dolo aut errore ju- dicis possessor condemnatur, evictio non præstatur, quia talis evictio me- rito casibus fortuitis annumeratur, quos a nemine præstari constat, quod eousque extendunt Doctores, ut ne quidem evictionem præstandam pu- tent, si eam *quocunque casu & facto* res fuerit evicta promiserit venditor, secus si eam promiserit *quomodo & qualitercunque* res fuerit evicta, wenn die Gewehr versprochen wieder Recht und Unrecht oder Gewalt Vid. *Sam. Stryck.* de Principe evincente p. 17. 18.

§. CCCLIII.

ex causa possessionem antecedente

Cur autor possessori non teneatur præstare evictionem ob causam, post hujus possessionem demum emergentem, §. 1. hanc attuli rationem, quia ex momento acquisitionis periculum fuit possessoris. Spectat huc Lex notabilis XI. Dig. de Evictionib. ad quam *Stryckius* citatam dissertationem scripsit, ubi p. 30. adducit exemplum Florentinorum, quibus vendita fuere certa loca postmodum vero ablata per Pisanos. Nullum tamen contra venditorem regressum habebant Florentini. Jure civili licet rei venditæ dominium ante traditionem pretiique solutionem non transeat, periculum tamen, quoniam statim post perfectam consensu venditionem est emtoris, hic evictionis præstationem a venditore postulare nequit, etiamsi res vendita ante traditionem factam evincatur, nisi culpa venditoris interveniat. Sic si res vendita ob delictum venditoris confiscaretur, deneganda emtori non est evictionis præstatio. Conf. *Stryck.* l. c. p. 52. 53. sqq. ubi alii casus memorabiles occurrunt. E. c. Princeps emerat a nobili jus venationis pro pecunia annuatim solvenda. Vendit nobilis hos reditus, qui postea non accurate satis solvuntur. Postulat emtor evictionis præstationem a venditore nobili. Sed recte illa negata, quia penes nobilem non stetit, ut Princeps reditus demum post peractam venditionem debitos solveret.

§. CCCLIV.

citra possessoris dolum aut culpam

Tertio dolus & culpa abesse debent ab eo, qui evictionis præstationem postulat. Namque ut dolus & culpa suis autoribus noceant, plane est justissimum. Is qui scivit, vel scire saltem potuisset, jus sibi promissum transferri non posse, non habet, quod illud in se non translatum queratur, quo tamen fundamento omnis nititur evictionis præstatio. Quare malæ fidei emtori qui e. c. scivit, rem sibi sine Principis aut domini directi consensu venditam esse domanialem, aut feudalem, in evictione non succurritur * nec venditor in pari dolo versatus, residuum potest petere, tum quoniam mala fides nemini debet esse proficua, tum quia ob scientiam evictio tacite remissa censetur, tum denique quia in causa turpi melior est conditio possidentis. Eandem ob causam, & quia culpa omni vacare debet is, qui evictionem

ctionem præstari postulat, venditor ad evictionis præstationem non tenetur, si emtor litem ipsi plane non, vel non rite e. c. libellum non inserendo, denuntiat, aut ob contumaciam se condemnari patitur, aut litem compromisso subjecit, desuper transegit, juramentum detulit, nisi forte venditor ejusmodi defectum supplevit e.c. sponte comparendo, ratihabendo, aut pacto speciatim denuntiationem remisit.

* Hoc sibi velle videntur Doctores, quando regulam constituunt, neminem teneri ad evictionem, quoties res sua natura evincitur i.e. si possessor novit rem ejus esse naturæ, ut transferri nequeat, sed evinci possit. Hanc enim qualitatem si ignoravit possessor, regula fallit. Quorsum spectat casus memoratus a *Stryckio* de Principe evincente p. 67. Capitulum Halberstadiense ratione quartæ Canonicatuum cum Electore Brandeburgico transegerat data 16000. thl. summa, ea conditione, ut omnia quæcunque possideret prædia, Capitulum sine prætensione a fisco movenda possideret. Cum vero pecuniam paratam Capitulum non haberet, consensu & subsecuta Electoris confirmatione prædium aliquod vendit, emtorique de evictione cavet, quo facto fiscus insurgit, actionem contra possessorem instituit, prætendens, hoc prædium pertinere ad domanium Principis. Emtor Capitulo litem denuntiat. Capitulum se ad evictionem præstandam obligatum negat, licet eam promiserit, *rem enim hic evinci sua natura*, quo casu ad evictionem nemo teneatur. Actis ad Facultatem Vitebergensem transmissis, Capitulum condemnabatur ad promissa servanda, tum quod qualitas domanialis dubia esset, tum *quod emtor eam ignorasset.* Tandem fiscus deficiente probatione succubuit.

§. CCCLV.

Denique *quarto* in solis onerosis, non autem in lucrativis negotiis evictio præstatur. In onerosis enim alter non gratis dat, sed ut vicissim promissa accipiat, quibus si ob factam evictionem excidit, ut id, quod dedit aut quod interest, recuperet, sana ratio dictitat. Qui vero gratis dat, donat, ea mente dat, qua rem ad se pertinere putat, quam si alie- *in negotiis onerosis*

nam scivisset, a dando forte abstinuisset. Queri igitur alter nequit, rem promissam sibi non esse translatam, quia, quod gratis promittitur, non pure, sed sub conditione, si meum est, promittitur vid. L. 2. T. 6. §. 488. Unde id, quod in legibus civilibus præcipitur de evictione in contractibus onerosis præstanda, in donationibus aliisve lucrativis negotiis non æque, maxime est naturale, nec mere civile, atque ad ipsos Principes pertinet.

§. CCCLVI.

Præstat evictionis nomine auctor. Incumbit præstatio evictionis autori, i. e. ei a quo rem evictam accepit possessor, cui aufertur, ubi tamen, quod quis per alium facit, ipse fecisse censetur. Princeps igitur, qui per ministrum rem vendit, si illa postmodum evincitur, ejus evictionem præstare tenetur, nec illa a ministro, qui tanquam instrumentum saltem se gessit, potest postulari. Econtra si minister dolose rem alienat, postea a Principe evictam, non Princeps, sed minister evictionem præstabit, utut emtor fidem non ministri, sed Principis fuerit secutus. Sufficit enim culpam evictionis non in Principe, sed ministro esse sitam. Ad heredes quoque evictionis præstationem transire, dubio caret. Unde si emtor sit venditoris heres evictionis præstatio, ob factam actionis & obligationis confusionem, evanescit. De foro evictionis, quodque venditor emtoris judicem sequi debeat, vid. L. 49. Dig. de judic. licet sit Clericus, ecclesia vel ipse Princeps. Conf. *Stryck.* de foro Principum & privatorum communi p. 74.

§. CCCLVII.

pretium & expensas. Præstare tenetur is, qui ex evictione convenitur, id quod interest, rem non fuisse evictam e. c. restituere pretium, imo plus, si pluris interest * aut novus possessor plus sibi fuerit stipulatus L. 37. & 56. Dig. de evictionib. & duplæ stipul. prout olim apud Romanos moris fuit, ut si res non Quiritium, sed gentium jure alienaretur, is, qui eam acquirebat, duplum sibi dari stipularetur, si ea sibi judicio adimeretur. *Varro* L. 2. c. 10. de re rustica. Quo supposito de prisco jure Romano facile concesserim, juxta L. 11. §. 18. Dig. de Actionib. emti vend. ipsum rei emtæ pretium non amitti, etiamsi pactum intervenerit, ne de evictione teneatur venditor re evicta, sed

ſed illud nihilominus a venditore emtori reſtitui debere, quia tunc ex dicto Romanorum more ea ſaltem fuiſſe videtur paciſcentium mens, ne lucrum conſuetum capiatur ex evictione. Hodie illo more ceſſante, tale pactum putarem ipſum pretium auferre. Adde quæ diſſeruit *Titius* ad Lauterbach Obſ. 685.

* E. c. expenſas & ſumtus proceſſus, quo res ab alio evicta. At ſi tertius, qui evincere voluit, cauſa cadit, expenſæ vero compenſantur, auctor poſſeſſori ad expenſas haud tenetur, niſi illas quoque in caſu victoriæ reſtituere qromiſerit.

§. CCCLIIX.

Pacto igitur ob liberam paciſcendi & donandi facultatem excluditur evictio ejusque præſtatio. Conſolidatione eam pariter evaneſcere §. præc. dictum. Denique & præſcriptione evictio excluditur. Computatur autem præſcriptionis tempus, quando evictioni præſcribitur, a momento acquiſitæ poſſeſſionis. At quando præſtationi evictionis præſcribendum, a tempore factæ evictionis computantur 30. anni, quibus evictionis præſtatio peti poteſt, quoniam ante factam evictionem agi ad eam præſtandam non poterat. At non valenti agere nulla currit præſcriptio.

Pacto & præſcriptione evictio excluditur.

§. CCCLIX.

Inter ſummos Principes ſolenne eſt, ut quoties ſuper commerciis aut ſucceſſionibus paſciſcuntur, ſibi invicem deſuper guarantiam præſtare promittant, quod nihil aliud eſt, quam ſecuritatis præſtatio, ſeu promiſſio de evictione præſtanda. Cum Principiſſæ Auſtriacæ Principibus Saxonico & Bavarico nuberent, & vi ſanctionis Pragmaticæ ſucceſſioni Auſtriacæ renunciarent, orta eſt quæſtio: num talis renunciatio tacitam evictionis præſtationem involvat? & num renunciantes eo ipſo tacitam guarantiam Sanctionis Pragmaticæ in ſe ſuſceperint? Pro affirmativa pugnat, quod talis renunciatio continet conventionem ſucceſſoriam, quæ omnino eſt negotium oneroſum, cui evictionis præſtatio ſua natura ineſt.

Tractatum guarantia.

TITULUS XII.

DE

Usuris.

* * *

Usuræ, quæ ex mora debentur, naturaliter ex eo, quod intereſt, metiendæ, per leges civiles prudenter ad modum certum rediguntur.

§. CCCLX.

Debitor promiſſum tempore promiſſo præſtet.

Ut ſatisfiat obligationi ex pacto contractæ, eo etiam tempore, in quod promiſſi præſtatio erat collata, eandem eſſe peragendam diximus Tit. 10. §. 337. * Ultra ſtatutum hoc tempus ſi debitor rem promiſſam præſtare differt, moram (quæ nihil eſt aliud, quam injuſta rei præſtandæ dilatio) committit, eoque ipſo minus quam promiſerat præſtat. Sed cum ad menſuram conſenſus interpoſiti explenda ſit obligatio, tempus autem præteritum revocari nequeat, nec proinde tempore promiſſo debitum præſtari amplius poſſit, æquitas poſtulat, ut ſaltem damnum, quod ad creditorem exinde redundat, reparetur, & præſtetur id, quod intereſt, quodque uſurarum nomine venire ſolet.

* JCti hoc tempus indicant per phraſin *dies venit*, cui opponunt illam *dies ceſſit*. Cedere diem ipſis ſignificat, incipere debere pecuniam, at venire diem ſignificat, eum diem adeſſe, quo pecunia aliave res promiſſa vel debita peti poſſit L. 213. Dig. de Verb. Signif.

§. CCCLXI.

§. CCCLXI.

Proprie usura usum denotat apud *Ciceronem, Plautum,* aliosque. Post- *Usuræ quid?* ea consuetudo usuram accepit pro mercede usuræ Germ. Zinß. Atque in hoc sensu usuram accuratiores iterum duplicem constituunt. Altera, in generis sui nomine consistens, κατ' ἐξοχὴν usura, altera fœnus vocatur. *Usura κατ' ἐξοχὴν* est compensatio ejus, quod creditoris interest, usu rei suæ ob debitoris moram caruisse, quo sensu *Paulus* in L. 17. §. 3. Dig. de usuris, usuras infligi ait non propter lucrum petentium, sed propter moram solventium. *Fœnus* autem quasi fœtus pecuniæ proprie dicitur lucrum, quod ex conventione accedit sorti alicui creditæ. Communi tamen loquendi usu usura & fœnus promiscue tam de interesse *moræ*, quam de fœnore ex *conventione* debito usurpatur, &, quod obiter noto, non pecuniæ soli, sed & alii cuivis rei debitæ accedere potest.

§. CCCLXII.

Duplicem interim habemus fontem, ex quo usurarum oritur obligatio, *Debetur ex mora & conventione* moram scilicet & conventionem. Addunt nonnulli & tertium, perceptam nimirum utilitatem. Unde emtorem, qui ob imminens evictionis periculum pretium retinet, ad usuras teneri contendunt, licet nec ex mora nec conventione eædem debeantur. Item si depositarius re deposita citra permissionem fuerit usus.

§. CCCLXIII.

Ex mora quæ debentur usuræ summa nituntur æquitate. Mora enim *ex mora ob cessantem rei usum* admissa arguit debitoris culpam, quæ suo autori merito nocet. Atque hinc creditor a debitore præter sortem tantum jure suo compensationis loco postulat, quantum sibi utilitatis ob cessantem rei suæ usum decedit. Sed cum difficulter admodum determinetur & probetur, quantum intersit creditoris, caruisse justo diutius re sibi debita, prudenter omnino leges civiles ut minuerentur lites, incertum hoc interesse ad certum usurarum modum reduxerunt, quem L. 2. Tit. 15. §. 703. sqq. explicabimus. Hinc intelligitur differre ab usuris interesse eo, quod interesse plerumque est incertum, usuræ autem semper debent esse certæ. Est enim usura mensura & æstima-

tio

tio usus. Mensura autem certa esse debet. Principua autem ejus quod interest ab usuris differentia in eo est posita, quod usuræ percipiuntur ex rebus in quantitate consistentibus, interesse autem ex aliis.

§. CCCLXIV.

an & in negotiis stricti juris

In bonæ fidei negotiis ex mora deberi usuras omnes conveniunt. At de quæstione, num in negotiis stricti juris pariter ex mora debeantur usuræ? sic sentio. Aut tempus solutionis pacto est determinatum, & tunc (sive ex pacto sive ex mora) usuras deberi manifestum. Aut determinatum non est, & tunc antequam per arbitrium boni viri, seu rem judicatam, tempus illud determinetur, debitor in mora esse dici nequit, conf. Tit. 2. §. 71. Ex re judicata autem usuras deberi indubium. Unde merito *Gundlingius* de usu actionum bonæ fidei & stricti juris p. 85. sq. perstringit JCtum, qui in condictione indebiti usuras ob moram deberi tribus decretis ideo negarat, quoniam id, quod Imperii Constitutiones de usuris ex mutuo præstandis cavent, ad alios stricti juris contractus & actiones extendendum haud putabat. Fiscum in suis contractibus usuras ex mora non præstare, colligitur ex L. 17. §. 5. Dig. de usur.

§. CCCLXV.

Ex conventione.

De usuris, quæ ex conventione debentur, sigillatim sub contractu fœneratitio dicetur.

TITU-

TITULUS XIII.

Cui ex Obligatione jus acquiratur, quisque in plurium concurſu reliquis præferatur? ubi de Jure Retractus.

* * *

Ignoranti etiam acquiritur obligatio. Pluribus ubi eadem res in ſolidum promiſſa, antiquior obligatio reliquas impedit, & jus retrahendi tribuit. Retractus eſt vel conventionalis vel teſtamentarius vel legalis. Legalis comprehendit gentilitium, territorialem & partialem, ſeu jus congrui.

§. CCCLXVI.

Et ignoranti acquiritur obligatio.

Circa pactorum effectum ſeu ortam ex iis obligationem id explanandum reſtat, cui ex obligatione jus acquiratur? Ipſa quidem pactorum indoles & finis dictitat, ei præciſe, cui aliquid promiſſum, exinde jus acquiri, ſed & ignoranti ex pacto tertii acquiri oſtenſum Tit. 3. §. 151. & L. 2. T. 5. §. 481. & paſſim çernitur in ſponſionibus bellicis, quando deſertoribus ac rebellibus venia impetratur. Vid. *Grotius* L. 3. c. 19. §. 9. aut res tertio ablatæ eidem reſtitui promittuntur. Imo ex ſolo promiſſo ignoranti

facto, citra ullum interveniens pactum teneri promittentem evicimus Tit. 5. §. 78. * utut ei, cui promiſſum, liberum ſit, num acceptare an repudiare promiſſum velit, quoniam meliorem alterius conditionem ſine mandato reddere licet, deteriorem non item, quid quod ne beneficia quidem & emolumenta invito ſunt obtrudenda.

* Legis beneficio citra prævíam voluntatem, quod militis pecunia ſibi quis comparavit, militi acquiritur L. 8. C. de Rei Vind. & quod tutor pupilli pecunia ſuo nomine acquirit, itidem fit pupilli L. 2. Dig. quand. ex fact. tutor.

§. CCCLXVII.

Pluribus ſi idem promittitur

Pluribus tales quandoque debentur obligationes, quæ collidere nec penes ſe ſtare poſſe videntur, quod non modo contingere poteſt in obligationibus, quæ ex lege proveniunt, ſed & illis, quæ ex pacto oriuntur, quando nimirum eadem res pluribus in ſolidum promittitur. Curatius tamen ſi rem penſitemus, obligationes nunquam collidunt, ſed ſibi ſaltem ſunt ſubordinatæ, amiceque ſatis inter ſe conſpirant. Obligari enim nonniſi ad res licitas poſſumus, licitæ autem demum ſunt illæ, in quibus per obligationem præcedentem non impedimur, cui eſt conſequens, omni obligationi ex propria ſua indole tacitam ineſſe conditionem, niſi in eadem per antiquiorem impediamur. Tunc enim poſterior plane non ſtringit, ſed nulla eſt, nec proinde obligationis nomen meretur. Hinc officia, quæ homo ſibi ipſi debet, ſubordinantur illis Deo debitis, tanquam antiquioribus, illa vero, quæ proximo debemus, utrisque tum Deo tum nobismetipſis debitis. Prima ſiquidem omnium & antiquiſſima obligatio eſt illa, qua Deo tanquam creatori tenemur, quam excipit altera de mutua ſui conſervatione *, & ex hac demum fluit tertia de proximo amando & juvando.

* Illa demum eſt vera ſui conſervatio, quæ eſt mutua. Sui enim ſolius conſervationi & utilitati ſi quilibet foret intentus, bellum moveretur omnium in omnes, nec unicus ſe conſervaret, ſed omnes ſe invicem contererent. Bello captus ab hoſte ſub redeundi promiſſione dimiſſus, ſi ſolam ſuam utilitatem reſpiceret, non ſane rediret. Quoniam tamen hoc principio admiſſo nemo ampli-

amplius ſuæ fidei relinqueretur, imo nec ipſe ille, ſi hoc principium fuiſſet creditum, dimiſſus fuiſſet, redeundum omnino etiam cum mortis periculo. Reguli exemplum alibi jam dum adduximus.

§. CCCLXIIX.

Neque aliter ſentiendum de pactorum colliſione. Pactum quippe poſterius ſemper eſt nullum & irritum, nec ullam producit obligationem, ſi prius quoddam & antiquius eſt impedimento, quo minus poſterius poſſit adimpleri. Ineuntur pacta vel de dando vel de faciendo. Utrinque eo quo diximus modo ſe rem habere, ſigillatim demonſtrabimus. Sumamus primo pactum de faciendo, vel fœdus offenſivum de ſuppetiis ferendis cum pluribus, iisque inter ſe ex poſt facto belligerantibus, initum, & ſupponamus, dubium eſſe, a cujus parte ſtet juſtitia, (ad injuſta enim bella nulla eſt obligatio, unde ſi fœderati inter ſe committantur cauſis utrinque injuſtis, utraque parte abſtinendum) quæritur, cui ſit aſſiſtendum? Sine dubio ei, cui prius ſuppetiæ fuerunt promiſſæ, is enim jus habet antiquius, cui per recentius derogari nequit. * Nec diſtinguerem cum *Grotio* L. 2. c. 15. §. 13. utrum fœdus ſit laxius arctiusve. Nulla ſiquidem apparet ratio, cur arctius fœdus poſterius derogare debeat laxiori antiquiori, cum ex hoc jam dum tale jus quæſitum ſit, quod in præjudicium ejus arctius ſe conſtringendi facultatem paciſcentibus plane aufert. Conf. *Gribner.* Princip. Jur. Nat. L. 3. c. 5. th. 5. quod niſi admitteremus, ſemper in fœderati poteſtate foret a priori nexu per arctius novum fœdus ſe liberare. *pactum poſterius eſt irritum*

* Hinc Ladislaus Hungariæ Rex recte omnino pacem cum Amurathe Turcarum Imperatore recens initam monente Eugenio Pontifice fregit, quia antiquiore fœdere Principibus Chriſtianis erat obſtrictus, ut fruſtra ſint, qui communiter cum *Bonfinio* Rer. Hungar. Dec. 3. lib. 6. p. 334. Ladislaum deſuper perfidiæ incuſant. Add. *Fritſch.* Princ. pecc. Concluſ. 18. §. 4. Qnodque Ladislaus poſtea in infelici ad Varnam proelio juſtas perfidiæ pœnas dediſſe dicitur, rectius de perfidia in Chriſtianos per fœdus cum Turca initum commiſſa accipitur, quam de fruſtrata Turcis

promiſſione, quæ ab initio erat nulla, & tanto majori peccato conjuncta, quo ſeverior jurisjurandi formula eidem erat addita.

§. CCCLXIX.

Sive aliquid faciendum. Neque obſtat, quod de Helvetiis notant *Amelot de la Houſſaie* in Obſervationibus ſuper fœderibus Principum ex eoque *Maſcovius* de jure fœderum in Rom. Imp. §. 6. *ſingulos* pagos quidem ex fœdere auxilia mittere poſſe, ſed ubi aliquis cum *univerſa* Helvetorum Republica fœdus inierit, & copias impetraverit, ubicunque vexillum ut vocant ligæ Helveticæ comparuerit, omnes Helvetos ſub ſignis pagorum ſingularium militantes deſerere caſtra, & ſequi commune vexillum teneri. Inde accidiſſe, quod Helveti milites 1500. deſeruerint Ludovicum Sfortiam Mediolani Ducem, Novaram obſidentem, quam primum Reipublica vexillum inter auxilia Gallici exercitus conſpexiſſent. At fœdera a ſingulis pagis inita tacitam habent conditionem, niſi fœdere univerſæ Reipublicæ impediantur, qua exiſtente prorſus expirant, & fruſtra proinde jus quæſitum antiquius urgetur, quippe quod ipſo jure jam dum eſt extinctum. Clarius hoc apparet, ſi ſupponas fœdera ſingulorum pagorum fuiſſe arctiora e. c. offenſiva, illud autem univerſæ Reipublicæ laxius e. c. defenſivum, nam & tunc particularia hæc fœdera utut arctiora expirabunt propter univerſale utut laxius.

§. CCCLXX.

Sive dandum promiſſum. Si dari res eadem pluribus in ſolidum promiſſa, itidem melior eſt ejus conditio, cui prius promiſſa, quod naturali jure, ubi ſola conventione citra traditionem valide dominia transferuntur, eo minus dubii habet. In ſpecie an emtio tollat locationem videbimus L. 2. T. 12. §. 630. At civili Romanorum jure, quo hodienum utimur, cum reale dominii jus demum per traditionem inducatur, ex ſola autem conventione ſaltem actio perſonalis contra paciſcentem detur, tunc demum in plurium, quibus eadem res promiſſa, concurſu antiquior promiſſio potius jus præ recentiori tribuit, ſi cum traditione conjuncta, alias autem, & ſi ei cui ſerius res promiſſa, eadem ſimul eſt tradita, ob jus reale ipſumque dominium translatum hujus melior erit conditio, ita ut antiquior promiſſio ſolam perſonalem ad intereſſe actionem contra promittentem operetur.

§. CCCLXXI.

§. CCCLXXI.

Jure civ. tamen is, cui res tradita, fortius jus habet.

Hoc illud est, quod sibi vult L. 61. Dig. de pactis, quæ neminem ait paciscendo posse efficere, ne vicino invito prædium alienet. Nimirum tale pactum cum saltem personalem actionem pariat, impedire non poterit jus fortius per alienationem acquisitum, sed solam producere actionem ad id quod interest. Interim cum tale pactum de non alienando, si probe rem consideres, non intra terminos jurium personalium subsistat, sed ipsam dominii vim & efficaciam infringat & restringat, Justinianus dictam L. 61. in tantum abrogavit, ut tale pactum omnino alienationem impedire valeat vid. L. ult. C. de pact. int. emt. quæ licet de solis pactis reservativis loqui videatur, idem tamen de constitutivis merito asseritur, tum propter L. ult. C. de reb. alien. non alienand. tum ob parem quæ utrinque potest subesse rationem. Sufficit quippe, interesse paciscentibus ne res, cujus alienatio prohibetur, alienetur.

§. CCCLXXII.

Fortior vel antiquior obligatio tribuit jus retrahendi alienatum.

Diligenter itaque dispiciendum erit, quid inter paciscentes sit actum, *num* sola contracta personalis obligatio e. c. quando venditor venditioni addit pactum retrovendendi vel protimiseos, tunc hodienum alienatio contra tale pactum facta est valida, & primo venditori sola datur actio personalis ad interesse: *an* ipsum dominium pacto sit restrictum & prohibita alienandi facultas, ita ut in casu susceptæ alienationis res sit inemta, tunc enim alienatio contra tale pactum suscepta est irrita, & ab eo in cujus favorem erat prohibita, revocari potest, idque vel sine pretio, vel eodem restituto, prout pacto primitus erat definitum. Vocari talis revocatio solet retractus, seu jus præhonorarii vel Recompræ, quasi recuperatio, vel recomparatio rei alienatæ Germ. Einstand, Vorgang, Abtrieb, Zugrecht, Einsprache, Losung.

§. CCCLXXIII.

Retractus vel conventionalis vel

In genere igitur jus retractus definiri potest per facultatem rem in alium translatam revocandi, quo sensu retractus non modo denotat revocationem, quæ fit ex jure quodam reali revocanti competente, sed & illam, quæ fit ex mero jure personali e. c. ex jure retrovenditionis, protimiseos &c.

testamentarius vel legalis. In ſpecie autem retractus vocatur revocatio alienationis, quæ fit ex jure reali revocanti in re alienata vel ex pacto * vel teſtamento vel lege competente. Unde & retractus commode dividitur in conventionalem, teſtamentarium ** & legalem. Legalis iterum pro varietate ſubjectorum, quibus indulgetur, in varias ſpecies abit. Si enim talis retractus competit conſanguineis, gentilitius audit, das Freund-Recht, Erbloſung, ſin concivibus vocatur retractus territorialis die Marckloſung, ſi denique poſſeſſoribus prædiorum, quibus res alienata olim fuit unita, dicitur Jus Congrui das Geſpilt-Recht.

* Utut tacito: vide dicta de heredit. §. 142.

** Quorſum ſpectant fideicommiſſa. Cum noſtro retractu teſtamentario, qui jus in re operatur, non confundendum jus protimiſeos teſtamento relictum, quod etiam quandoque nomine retractus teſtamentarii venit, & nonniſi perſonalem contra heredem ad intereſſe actionem operatur.

§. CCCLXXIV.

Legalis vel gentilitius Retractus gentilitius eſt facultas, qua conſanguineus venditoris rem extraneo vel conſanguineo remotiori alienatam ſibi condicit aut vindicat. Regulariter pro libertate militat præſumtio, & quilibet ita rerum ſuarum eſt moderator & arbiter, ut in quemcunque & quibuscunque conditionibus eam transferre valeat. Præſupponit igitur retractus legem vel conventionem (utut tacitam) quæ eum introduxerit. Utraque eſt facti, adeoque probanda, nec temere extendenda. Quod recte innuit L. 14. C. de contrahenda emtione, quæ retractum non penitus improbat, ſed NB. ſine lege ſpeciali valere negat. Extat talis lex Friderici Imp. 5. feud. 13. ſqq. Ac licet omnium fere gentium inſtitutis & moribus id obſervetur, ut conſanguineus venditoris intra certum tempus admittatur ad redimendum prædium venditum teſte *Jo. Mich. Rotermund.* de Retractu conventionali Erford. 1722. p. 5. & ex conſuetudine ferme univerſali tam in feudalibus, quam allodialibus bonis hodie confirmatum eſſe retractum ſcribat *Gail.* L. 2. Obſ. 19. præſumi autem debeat id, quod communiter obtinere ſolet: probe tamen notandum, hanc ſaltem præſumtionem procedere de eo, quod ex ipſius

ipſius rei natura communiter fieri ſolet, non autem quod ex diſpoſitione ſpeciali pendet. Jam vero cum natura dominii liberam alienationem involvat, reſtricta autem alienandi facultas legem præſupponat, merito talis lex requiritur, priusquam pro retrahendi jure pronuncietur.

§. CCCLXXV.

Unde & ex ipſa lege dijudicandum, quibus competat retractus, an ſolis agnatis, an vero & cognatis, it. intra quod temporis ſpatium, porro num ſine pretio, an eodem emtori reſtituto. In dubio retractus, utpote commerciorum libertati valde noxii, reſtrictivam interpretationem recipiunt. Quare & in venditionibus ſolis, non aliis negotiis ſolent obtinere, nec etiam, ſi res judicaliter ex cauſa neceſſaria adjudicatur arg. 2. C. ſi propter publicas penſitationes. *qui ſtricte interpretandus*

§. CCCLXXVI.

Sacræ Pandectæ nobis ſiſtunt exemplum Iſraelitarum, quos inter in quantum viguerit retractus, diſcitur ex Levit. XXV. 25. Ruth. IV. 4. Jerem. XXXII. 7. Alia exempla vid. in cap. 8. X. de in integr. reſtit. in Novella Romani Senioris Imp. tertia & Conſtitutione Friderici Imp. 5. feud. 13. In Germania noſtra cum olim lege quadam vel conſuetudine univerſali rerum immobilium domini prohiberentur ſine heredum conſenſu easdem alienare Land-R. L. I. art. 34. 52. Schwabenſp. c. 306. 379. eo ipſo retractus gentilitius fuit introductus. Sed cum recepto jure Romano hæc conſuetudines migrarentur in tantum, ut libera dominis rerum ſuarum permitteretur alienatio, reducendo retractui gentilitio ſpeciales leges fuerunt neceſſariæ. Quorſum trahi ſolet 2. feud. 9. §. donare Tit. 26. §. Titius Tit. 3. §. Sed etiam. At rectius ad alias proximiores provocatur. *Exempla*

§. CCCLXXVII.

Sic nobiles immediati per privilegia ſpecialia hoc jure retractus gaudent: Franconici ſpeciatim ex privilegio de 1609. ſæpius ac noviſſime confirmato 1718. Svevici ex Ordinat. Nobil. Svevic. de 1560. confirmata 1566. Rhenani & Wetteravici ex privil. de 1605. Alſatici ex privil. *Nobil. immediat.*

de

de 1614. Vi horum privilegiorum bona immobilia *, matriculæ Equeſtri ſemel adſcripta, in extraneum ſeu extra corpus Equeſtre alienata ** intra tempus olim annale hodie triennii *** refuſo vel legitime oblato ac depoſito pretio **** revocantur, primo a proximis alienatoris agnatis ***** & cognatis, his vero deficientibus vel nolentibus a quovis nobilitatis ejusdem membro, ac in ſubſidium tandem a toto corpore Equeſtri.

* Utut feudalia cum domini conſenſu vendita 2. feud. 9. §. 1. 2. feud. 3. §. 7. & 26. Feudum tamen apertum extraneo conceſſum retrahi nequit. Solet tamen plerumque tale feudum alii cuidam ejusdem nobilitatis membro concedi.

** Permutationem tamen *utilem* privilegia Cæſarea diſerte permittunt.

*** A die denuntiationis directorio factæ computandi. Imo proſtat exemplum, ſexennium fuiſſe indultum ab Imperatore ratione bonorum, quæ Princeps quidam a Nobilibus immediatis emerat.

**** Sub fide Equeſtri indicando, nec non meliorationibus a rerum peritis æſtimandis, quarum tamen intuitu emtor jus retentionis non habet, ſed via juris procedere jubetur. Verum pretium ſi diſſimulatur, etiamſi illud demum poſt elapſum retrahendi tempus reſciverit retrahens, adhuc tamen ipſi integrum retrahendi jus eſſe videtur. Addita in fraudem veri pretii pacta, de officio conferendo, vel educando liberos venditoris, pro non adjectis retrahentium intuitu habentur.

***** Requiritur tamen, ut ſint membra ejusdem nobilitatis. Si plures ejusdem gradus concurrunt, in re dividua omnes pro rata admittuntur, in individua præventioni, & ſi plures ſimul ſe obtulerint, ſorti locum faciunt arg. L. 2. C. quando & quib. quarta pars. §. 23. Inſt. de legatis. Caſu obveniente forte & ætati præcipui quid tribueretur vid. §. 17. Venditoris arbitrium non plane excludit *Struv.* Jurisprud. Rom. Germ. L. 3 T. 11. §. 33. Nec fœminæ, quamdiu non denubunt, a retrahendo allodio arcentur. Extraneo cedi a proximo agnato retrahendi jus nequit, quia eſt perſonale.

§. CCCLXXVIII.

§. CCCLXXVIII.

Exempla hujus juris a Nobilitate immediata in actum deducti præjudiciisque firmati adducit *Imanuel Weber* de Retractu Nobilibus Imperii per privilegia Cæsarea concesso Giess. 1719. p. 5. Impugnarunt quidem hoc jus retractus Nobilitati immediatæ competens *Besold.* Consil. 227. it. Decanus & Capitulum Elvacense, quod 1703. rem ad Comitia detulit, & anno 1704. trium Collegiorum conclusum impetravit, quasi hoc jus communi reliquorum Statuum interesse seu utilitati ac libertati repugnaret. Besoldo tamen satisfecit *Knipschild* de Nobilit. immediat. L. 3. c. 9. num. 3. sqq. Statuum autem querelis opposita est Deductio & informatio Ordinis Equestr. Svevici 1704. impressa.

§. CCCLXXIX.

Ceterum confundenda non est revocatio bonorum alienatorum quæ fit jure retractus ab illa quæ fit ex capite nullitatis. Sic quando bona familiæ ab ejus possessore, & qui saltem jure usufructuarii gaudet, alienantur, alienatio tanquam nulla 30. annis poterit impugnari. Qui vero jure retractus utitur factam alienationem non quidem nullam dicit, sed validam agnoscit, ac se saltem vi privilegii præferri petit, hocque suum jus intra triennium urgere debet.

§. CCCXXC.

Comitum de Wied & Isenburg

Vi pacti retractus gentilitius viget inter Comites de Wied qui inter se 1595. convenerunt, ut in extraneos aliquid de bonis suis alienaturi illud prius tempore congruo & quidem ante sex menses agnatis gentilibusque suis indicare & offerre necessum habeant, prout videre est aus der Erb- und Grundtheilung, quæ 1622. nomine Joannis Wilhelmi & Hermanni Comitum de Wied contra fratrem suum natu minorem Philippum Ludovicum de Wied publicata est. De Comitibus Isenburgicis refert *Sprenger.* in Ellychn. p. 334. quod 1517. pactum familiæ invicem inierint, ut si quis agnatorum quid vel oppignorare, vel vendere, vel permutare, seu aliter alienare velit, teneatur illud prius agnatis offerre, qui si intra tres menses suum consensum non declaraverint, extraneo sed tamen nonnisi sub perpetua retroductionis lege dare liceat.

§. CCCXXCI.

vel territorialis Retractus territorialis, die Marcklosung, a territorio Germanice Marck, quod definitum terræ spatium * denotat, dicitur, & proinde est facultas a lege concessa, qua rem immobilem ** extraneo alienatam *** intra certum tempus plerumque annale reluunt vici vel oppidi incolæ, in cujus territorio res illa est sita. **** Vestigia hujus juris nonnulli quærunt in L. 9. §. 2. Dig. de administratione rerum ad civitates pertinentium. Clarior est constitutio Leonis & Anthemii in L. un. C. non licere habitatoribus Metrocomiæ (i. e. pagorum majorum) loca sua ad extraneum transferre. Ratio & utilitas ejusdem est manifesta, quia nimirum ab extraneis tributa aliæque præstationes debitæ difficilius, quam ab incola & subdito exiguntur. Non tamen est, ut ex dicta lege retractum territorialem amplius repetamus. In iis enim locis, ubi ille non viget, exempla non deerunt bonorum in extraneos alienatorum, ac proinde per contrariam consuetudinem lex ibi abrogata erit. Ubi vero viget, tutius ex lege vel consuetudine speciali repetitur. In Marchia, Ducatu Wurtenbergico, Gothano, Comitatu Schwarzburgico, Schaumburgico, Alsatia ejusmodi leges adesse, fusius docet *Jo. Eisenhart.* de Retractu territoriali Helmstad. 1707. p. 22. sqq.

* Seu ut definitur in L. 239. §. 8. de Verb. Sign. territorium est universitas agrorum intra fines cujusque civitatis, quod magistratus ejus loci intra eos fines *terrendi* i. e. summovendi jus habet. Quam etymologiam etiam probat *Siculus Flaccus* de conditione agrorum & *Frontinus* de agrorum qualitate. At *Varro* de lingua Latina Lib. 4. a *terendo* derivare mavult, quem juvat quod Tera in augurum libris cum uno R. fuerit scripta. *Isidorus & Servius* ad Virgil. Aeneid. Lib. 5. Vers. Urbem designat aratro territorium vocatum ait quasi tauritorium vel tauribovium, quia tauro tritum. Solebant enim antiqui sulco ducto possessionum & territoriorum limites designare. Nobis territorium a terra, cujus est portio, dictum videtur, quam si primitivum negas, a terendo derivari facile sinimus.

** Peculiare plane est, quod in quibusdam Hassiæ præfecturis etiam

res

res mobiles, jumenta &c. incola ab extraneo emtore pretio refuſo retrahit teſte *Reinking.* de Retractu Conſanguinitatis quæſt. 2. n. 123.

*** In locatione, pignore antichretico, emphyteuſi locum eſſe retractui territoriali arg. L. un. C. non licere habitatorib. colligit *Eiſenhart.* de retract. territ. p. 41. quod & p. 42. extendit ad dotis dationem, donationem tam inter vivos, quam mortis cauſa

**** Plures ubi ſe ad retractum territorialem offerunt, ille qui duplici jure gaudet, præfertur illi qui ſimplici, adeoque prior habetur ratio ejus, qui præter retractum territorialem habet ſimul gentilitium, aut hoc deficiente conventionalem vel teſtamentarium, hoc pariter deficiente vicini, poſtrema denique ratio prævenientis habebitur.

§. CCCXXCII.

Hoc loco ſaltem diſpiciendum, in quantum retractus territorialis ad ipſum Principem, qui forte a privatis bona huic retractui obnoxia ſibi comparavit, ſit applicandus. Lex ſubditis non legislatori fertur, hunc non ſtringit, ſed illos. Ac licet lex prohibens, ne res extraneo alienetur, ipſam rem afficere, adeoque ſemper obtinere videatur, ſive res illa a Principe ſive ſubdito poſſideatur: nihiloſecius verius eſt, Principem talem rem extraneo omnino alienare poſſe, quia eo ipſo dum talem alienationem ſuſcipit, diſpenſare, remque illam retractui territoriali alias obnoxiam quoad hunc paſſum eximere cenſetur. Par ſubeſt ratio in caſu, quo ſubditus rem retractui territoriali obnoxiam in ipſum Principem transfert. Itidem enim diſpenſatio interveniſſe videtur. Quam rationem meliorem exiſtimo, quam ſi dicatur, Principem pro extraneo non eſſe habendum, nec ipſi jus civitatis denegandum. Ratio enim retractus territorialis in eo conſiſtit, ne difficilior præſtationum civitati debitarum exactio reddatur, quod omnino in Principe poſſeſſore contingit. Ceterum quæ modo diximus ſaltem quadrant in Principem poteſtate legislatoria pollentem, fallunt autem quoties eadem vel in totum vel pro parte (concurrentibus nimirum circa eandem Ordinibus provincialibus) deſtituitur. Sicut autem lege caveri poteſt, ne extra vici vel civitatis territorium habitanti res alienetur, ita multo magis poteſt conſtitui, ne extra univerſum Principis territorium res alie-

qui ipſi Principi prodeſt

nentur, aut ut ipsi Principi retractus relinquatur. Quæ tamen legislatio pariter est facti & regulariter pro liberrima alienandi facultate militat præsumtio.

§. CCCXXCIII.

vel jus Congrui

Ius Congrui *Reinkingius* de Retractu Consanguinitatis quæst. I. num. 6. ita dictum existimat a *gruibus*, quæ vadunt una post aliam. Sequitur eum *Ahasverus Fritschius* in peculiari tractatione quam de jure Congrui edidit Jenæ 1678. c. 1. §. 1. hanc denominationis rationem reddens, quod nolit bona ad extraneos segregari, sed ut instar *gruum congruat* inter consortes. Hanc tamen etymologiam tanquam ridiculam exagitat *Eisenhart* de retractu territoriali p. 4. & cum *Stryckio* in Exam. Jur. feud. c. 20. qu. 3. jus congrui dictum mavult a vocula initiali L. 4. C. de locat. prædior. civil. quæ ita habet: Congruit æquitati, ut veteres possessores fundorum publicorum novis conductoribus præferantur, si facta per alios augmenta suscipiant. Sed non adeo est inepta, quam prima quidem fronte videri posset derivatio Reinkingio-Fritschiana. Consistit enim jus Congrui in congruentia seu conjunctione bonorum antea separatorum. Congruere autem tractum esse a gruibus, quæ non se separant, jam dum *Festus* agnovit. Germanis vocatur das Gespilde seu das Gespält-Recht, quoniam competit in rebus antea separatis, in solchen Güthern, die vorher zertheilt oder gespalten gewesen.

§. CCCXXCIV.

ejus definitio

Describitur jus Congrui per facultatem reluendi * ab emtore extraneo partem prædii sive urbani sive rustici, competentem possessori prædii, cui olim pars illa fuit unita, unde & passim vocatur retractus partialis, die Theillosung it. retractus censualis die Zinßlosung, weil die Theile, so dem Erbzinß-Guthe abgerissen, zu Ergäntzung des Zinses wieder zusammen bracht werden, ex quo tamen apparet, latius patere jus congrui, quam retractum censualem, quæ illius saltem speciem constituit. Nonnulli jus congrui das Gespilde in prædiis potissimum urbanis retractum vero censualem in rusticis locum habere perhibent, usum tamen esse contrarium docet *Fritsch.* l. c. c. 2. §. 2. & 3.

* Refuso pretio, meliorationibus & contractus expensis. Unde

&

& laudemium, quod forte emtor præstitit, reddendum, novum autem a retrahente non præstandum.

§. CCCXXCV.

Originem & occasionem introducendi juris congrui haud male repetit *Fritschius* ab incommodis, quæ tum possessoribus tum dominis censualibus ratione servitiorum & censuum ex bonorum censualium distractione oriebantur, cumque forte ad vitanda hæc incommoda primitus consolidatio libere placeret possessoribus, ex frequenti harum consolidationum usu rerumque judicatarum autoritate orta videtur consuetudo, quæ invitum etiam emtorem cogit, rem emtam possessori fundi principalis pro eodem pretio cedere. Tandem hæc consuetudo legibus provincialibus passim firmata, quales in Ducatu Vinariensi, Comitatu Schwarzburgico alibique passim occurrunt. Ex quibus specifice discendum, quando quibusve casibus, & intra quodnam tempus illud obtinere debeat. Nobis iisdem immorari non lubet, cum juris congrui usus omnino frequentior inter plebejos, quam illustres subditos se exerat. *origo*

§. CCCXXCVI.

Interim non dubito, posse ipsum Principem hoc jure congrui uti, & vi ejusdem bona suis prædiis quondam innexa, post vero separata, & extraneo alienata iterum conjungere, quoniam lex quæ jus congrui introduxit, prædio principali in genere indulget jus revocandi inde alienata, quod sane ob eam solam rationem, quod tale prædium a Principe possideatur, auferri non debet. Simile fere est jus, vi cujus dominus directus emphyteusin, quam emphyteuta vult vendire pro ea quantitate, quam emphysteuta ab alio reciperet, sibi comparere potest L. 3. C. de jur. emphyteut. quæ tamen perperam ad bona censitica extenditur. *usus*

§. CCCXXCVII.

Addi solet *retractus vicinitatis*, das Nachbar-Recht, vi cujus vicinus rem remotiori venditam reluere finitur. Nonnulli hunc retractum vicinitatis cum jure congrui confundunt. Alii in iisque *Eisenhart* de retract. territ. p. 8. hanc inculcat differentiem, quod retractus vicinitatis obtineat in prædiis urbanis sibi vicinis, jus congrui autem in confinibus prædiis rusticis. *differentia a retractu vicinitatis*

Nam prædia urbana quæ parietibus distincta vicina dici, rustica vero confinia L. 4. §. 10. Dig. fin. regund. *Fritschius* econtra de jure Congrui c. 2. §. 3. ad usum modernum provocans, jus congrui in urbanis æque ac rusticis obtinere contendit & c. 4. §. 2. ob solam vicinitatem retractum non competere asserit. Nec ullum ejus exemplum adduxit Eisenhart. Quare supersedere possumus quæstione, utrum in retractu vicinitatis præferendus sit vicinus dexter an sinister, quam circa venditoris arbitrio locum relinquit. *Eisenhart.* p. 9.

§. CCCXXCVIII.

producit condictionem

Effectus contractuum hactenus recensitorum in eo consistit, quod is, qui eodem gaudet, rem retractui obnoxiam condictione ex Lege vel privilegio revocet, quæ condictio, cum in rem sit scripta, contra quosvis ejus possessores datur nec per subhastationem tollitur Conf. de Process. T. 6. §. 180. Institui hæc condictio, & exerceri retractus potest statim, simulac alienatio illegitime est suscepta, nec alienantis mors præcise expectanda. Nam usumfructum quidem ad vitæ dies cedere potuisset alienans, eo ipso autem dum plenam intendit alienationem, statim retractui locum facit. Sed & post alienantis mortem ejus *heredi* retractum esse integrum vulgo perhibent, quia per eundem non tam impugnatur factum defuncti, cujus facta præstare tenetur heres, sed saltem petitur, ut emtor jus sibi ex emtione quæsitum cedat. Unde apparet illum saltem retractum heredi esse permissum, qui fit pretio refuso. At is, qui sine pretio retractum gentilitium exercere cupit, abstinere omnino ab alienandis hereditate debet.

§. CCCXXCIX.

impetit servitutis ac hypotheca impositionem.

Porro retrahens agnoscere non tenetur servitutem aut hypothecam rei retractæ citra suum consensum impositam, cum hic a prohibita alienatione ad prohibitam oppignorationem & servitutis constitutionem recte argumentum ducatur. Ut tamen retrahens, qui rem ab onere liberam retrahit, magis pro ea pretium solvat, quam emtor, qui cum illo eandem receperat, æquitas postulat. Qui vero solo protimiseos jure rem venditam retrahit, imposita eidem onera realia agnoscere tenetur, quia solo jure personali gaudet, quod tanquam debilius fortiora jura realia tollere nequit.

De

De fructibus inter retrahentem & pristinum possessorem dividendis confer ea, quæ de usufructu dividendo suo loco disseruimus.

§. CCCXC.

Retractus, qui Jure Saxonico Electorali debitori in bonis sub hasta venditis olim intra annum, hodie intra sex menses per Ord. Proc. Recogn. tit. 39. §. 19. competit. it. jus prælationis olim primo licitanti competens l. c. §. 16. quodque Jure Justinianeo per L. 16. Dig. de reb. autoritate judicis possidend. inter plures licitatores creditores, & inter hos is, cui major summa debetur, præferantur in subhastatione bonorum debitoris, hæc inquam omnia magis ad jus protimiseos L. 2. T. 12. §. 621 explicandum, quam ad retractum, de quo hic agimus spectant. *Affinia.*

TITULUS XIV.

DE

Modis tollendi Obligationem.

* *
*

Tollitur obligatio vel solutione, vel remissione debiti, quæ valida quoque est si a superiore, e. c. victore, nomine inferioris, utut inviti peragitur.

§. CCCXCI.

§. CCCXCI.

Tollitur obligatio solutione & remissione

Modi, quibus Obligatio tollitur, plurimi passim recensentur, omnes tamen commode satis ad solutionem seu præstationem debiti, ejusque remissionem revocantur. *Solutionem* non in sensu generali, quo omnem obligationis liberationem denotat accipimus, sed pro satisfactione promissi vid. L. 176. de Verb. Signif. quæ tanquam varias sui species sub se comprehendit solutionem in specie dictam, compensationem & novationem. Solutio in specie dicitur præstatio ejus præcise, quod erat promissum. *Compensatio* dicitur debiti & crediti ultro citroque facta contributio. *Novatio* denique est debiti in aliam obligationem translatio.

§. CCCXCII.

Solutio comprehendit compensationem & novationem

Circa compensationem hoc peculiare est quod opponi illa nequeat Principi in causa tributorum, stipendiorum, & alimentorum, nec in pretio rei a fisco emtæ L. 46. §. 5. Dig. de jure fisci L. 3. C. de Compensationib. In novatione vel idem, qui antea erat creditor & debitor remanet, quod in transactionibus contingit, it. quando id quod antea ex emto aut re judicata debebatur, nunc in mutuum aut transactionem transfunditur, vel novus intervenit creditor, & tunc dicitur *assignatio*, quæ citra debitoris consensum fieri potest, vel novus debitor & tunc *delegatio*, it. expromissio vocatur, quæ creditoris consensum omnino requirit. Nam nihil interest, utri quis solvat, multum autem a quo quis debitum exigat. Cesso nomine, sola ejus veritas non bonitas præstanda L. 4. Dig. de hered. vend. L. 74. §. 3. Dig. de Evict. Si vero bonitas expresse promissa, sufficit debitorem tempore cessionis fuisse solvendo L. 96. §. 2. Dig. de Solut.

§. CCCXCIII.

Remissio debet esse mutua in bilateralib.

Remissione seu renuntiatione juris sui obligationem tolli res ipsa loquitur, cumque in pactis unilateralibus uni saltem parti, in bilateralibus utrique jus sit quæsitum, sequitur, ad tollendam obligationem in unilateralibus unius sufficere remissionem, in bilateralibus autem mutuum utriusque requiri dissensum. Conf. L. 2. T. 16. §. 740. Contractus feudalis bilateralis quidem est, interim cum feuda primitus in Vasallorum potissimum favorem, & tanquam beneficia fuerint concessa, jure feudali Vasallis feuda refutandi, eaque vel domino, vel ei qui alias successurus esset, resig-

ſignandi facultas eſt indulta 2. feud. 38. & 49. quam & illuſtribus Imperii Vaſallis eſſe integram, complura confirmant exempla.

§. CCCXCIV.

Bavariæ Ducatum ſeptem vexillorum interventu ab Henrico natu majori Auſtriæ Duce in manus Cæſaris reſignatum refert *Otto Friſingenſ.* de geſt. Frider. L. 2. c. 32. Ansfridum Comitem Hoyenſem, qui circa finem Seculi X. Epiſcopus Trajectenſis eſt factus, ad utilitatem Eccleſiæ Leodienſis Comitatum ſuum in manus Ottonis II. Imperatoris reſignaſſe, narrat *Wilhelm Heda* Hiſtor. Epiſcopor. Ultraject. p. 93. Pariter 1359. Ludovicus Senior & Ludovicus junior ambo Comites Oettingenſes & Landgravii Alſatiæ Carolo IV. Imperatori ſolenni refutatione poteſtatem judiciariam cum reliquis juribus ac emolumentis, quæ vi Landgraviatus Imperialis feudi titulo acceperant, in ditione Simonis Domini de Lichtenberg in gratiam dicti Simonis, ut is de illis juribus ab Imperatore inveſtiretur, libere ceſſerunt. Vid. *Ulric. Obrecht.* Prodrom. Rer. Alſat. c. 12. p. 307. Plura feudorum reſignatorum exempla collegit *Itter.* de feud. Imp. c. 22. §. 9. Sed cum hæc feuda refutandi licentia poſtea in abuſum traheretur, dum potentiores Vaſalli dominum invaſuri, feudo prius renuntiabant, Carolus IV. Imp. in Aur. Bulla c. 14. intempeſtivos ejusmodi refutatores feudorum amiſſione, infamia, & banno puniendos decrevit.

Feudatamen pro lubitu Vaſalli refutantur

§. CCCXCV.

Eo ipſo autem, dum renuntiatio alienationem vel donationem quandam involvit, is demum valide obligationem remittit, qui habet facultatem diſponendi de re, cui per remiſſionem renuntiatur. Unde is, cui contrahendi poteſtas eſt data, non protinus obligationem remittere poteſt, quod recte applicatur ad Electores Imperii Germanici, qui Capitulationem Imperatori poſſunt præſcribere, non autem remittere. Vid. *Titii* Spec. Jur. publ. L. 2. c. 7. §. 31.

Qui obligationem contrahere, non protinus remittere poteſt.

§. CCCXCVI.

Porro a ſuperiore nomine inferioris valide remittitur obligatio. Agnoſcere enim tenetur ſubditus facta ſuperioris, quippe a cujus arbitrio inferior

Superior inferioris

nomine remittit obligationem. ferior pendet * . Illustre hujus rei exemplum habetur apud *Sveton.* in Jul. c. 49. ubi eum tulisse scribit legem occasione belli civilis, per quod multi cives ad incitas erant redacti, ut creditoribus satisfacerent æstimatione possessionum, quantæ illæ ante bellum erant comparatæ, fœnus vero omne in universum remitteretur, numerato de sorte deducto, qua ratione quarta fere pars deperibat. Simile occurrit in Rec. Imp. 1654. §. 173. ubi usuræ durante bello tricennali non solutæ, usque ad quartam partem reducuntur. Aliud vide apud *Limnæum* ad Capitulat. Caroli V. art. 23. n. 10. ubi Carolus IV. Imp. 1347. Burggraviis Noribergensibus remisisse legitur debita, quibus Judæis erant obærati. Et Wenceslaus 1392. Nobilibus Imperii reddi jussit *pignora* Judæis obligata, salvo tamen debito principali. Sic & Benedictus XIII. Papa, ex gente Ursinorum Gravinensi oriundus, nepoti suo Duci Gravinæ 1729. peculiari Diplomate concessit facultatem revocandi omnia bona, ab Ursinorum familia unquam alienata. Justitiam externam si spectes, dubitandum non est, quin subditi teneantur ejusmodi Principum suorum mandatis. In foro conscientiæ autem Princeps nonnisi ob summam necessitatem subditis auferre valet jura ex pactis & contractibus quæsita, quorsum & collimat L. 16. C. de Transact. L. 3. C. de rescind. Vendit. L. 2. C. de precib. Imperatori offerend.

* Quo fundamento nititur pactum remissorium in Creditorum concursu, sive lex & consuetudo, quæ in Creditorum concursu, pluribus transigentibus, reliquos etiam ad transigendum cogit. Vid. de Procefs. T. 14. §. 418. Eodem adhuc fundamento nituntur Moratoria, die Quinquennelle, de quibus de Procefs. T. 7. §. 215.

§. CCCXCVII.

Remittitur debitum expresse & tacite. Fit debiti remissio vel expresse per *acceptilationem* *, qua quis debitum, ac si reapse illud accepisset, extinctum profitetur, cui & accedere potest apocha imaginaria; vel tacite per facta remissionem indicantia e. c. reddendo chirographum ** aut prius discedendo a pacto aut contractu. Nam quo quæso jure pacti impletionem postulare poterit is, qui ipse illud ex sua parte implere detractat. Per hanc sane detrectationem liberat alterum, licet non liberetur ipse. Vid. *Grotius* L. 3. c. 20. §. 38. sqq. Num

vero

ro a pacto reapſe ſit diſceſſum, ex inſtituta facti cum pacti tenore comparatione dijudicandum.

* Acceptilatio olim per ſolam ſtipulationem fieri poterat §. 1. Inſt. quib. mod. toll. oblig. noſtris moribus quavis conventione vel promiſſione, utut *Coccej.* de uſ. & differ. hod. pact. & ſtipul. Sect. 3. §. 16. exiſtimet, hodienum acceptilationem tantum ſtipulatione non pacto fieri. Add. *Hamberger* de non-uſu ſtipulationum p. 94.

** Militi captivo, qui intra menſem a Duce ſuo non redimitur, eo ipſo tacite remitti fidem & juramentum, quibus antea Duci tenebatur, docet *Ludovici* de Capitulat. Bell. c. 2. §. 21.

§. CCCXCVIII.

Sic hoſti ſuppetias ferendo pax omnino rupta cenſetur, non autem ſuſcipiendo ſubditos alterius, nec vim vi arcendo, nec contraventione a privatis quibusdam citra accedentem publicam approbationem ſuſcepta. Unde nec capitulatio obſeſſorum fracta putatur, ſi ex victis quidam petulantes ſe geſſerint. Non enim univerſis eſt imputandum, quod peccatum a ſingulis. Imo ne quidem pro rupta reputanda eſt conventio, cujus adimpletionem altera pars hactenus juſto longius diſtulit, nunc vero cum damni ex mora dati reparatione offert. Dum enim hoc ipſo ſatisfactionem offert, juſti & æqui regulas læderet, qui ulterius vindictam extendere auderet. Conf. Tit. 7. §. 250. Interim ne a minimis contraventionibus ſumatur prætextus pacem vel conventionem initam deſerendi, conſultum omnino eſt, ipſis tabulis inſerere clauſulam, ne ob minimas læſiones liceat recedere, ſed illæ amicabili compoſitione vel juris diſceptationi ſubmittantur, qualis habetur in Inſtr. Pac. Weſtphal. art. 17. §. 5. it. in Pace Olivenſi art. 35. §. 2. *e. c. pactum prius rumpendo*

§. CCCXCIX.

Per non-uſum quoque tacita remiſſio juris ex pacto competentis inducitur. Qui enim jure ſuo uti nolle qualitercunque declarat, remittere illud cenſetur. At nolle ſuo jure uti, declarat is, qui eodem, cum po- *an non-uſu*

teſt,

test, non utitur: Unde privilegia non-usu amitti dixi Tit. 9. §. 326. fin. item servitutes affirmativas in Reali Principum jure L. 2. T. 4. Quæ vero ex naturali libertate jura competunt, seu res meræ facultatis ex ipsa sua indole, & quamdiu meræ facultatis sunt, nec ademta probatur libertas, solo non-usu haud amittuntur. Vid. Reale Princ. Jus L. 4. T. 4. §. 496. Quod si ad jus suffragandi Principum Imperii applicare, & quærere velis, num illud non-usu pereat? Negando omnino respondendum, quia suffragium ferre, ad res meri arbitrii pertinet. Unde & Bohemus licet per aliquot Secula a Comitiis sub usus intermissi prætextu exclusus, nostra memoria ad eadem readmissus. Qui vero Principes ratione terrarum, quarum intuitu vota petunt, eadem nunquam habuerunt, non-usu eadem amisisse dici nequeunt, sed ex aliis principiis, num fundata eorum sit intentio, judicandum. Conferri meretur dissertatio *Mich. Henr. Gribneri* de jure suffragandi Principum Imperii usu intermisso non pereunte Viteb. 1716.

§. CD.

Restitutio in integrum

Præter solutionem & remissionem debiti, quorsum modos tollendi obligationem referendos diximus, plures passim enumerantur, de quibus quid sentiamus, breviter indicandum. Referri inprimis huc solet restitutio in integrum, seu reductio vel repositio in pristinum statum; quæ duplici ratione se exerit. Vel enim negotium ab initio fuisse nullum & irritum declarat, vel negotio, quod ab initio erat validum, validitatem detrahit. Declaratio qua negotium ab initio fuisse nullum declaratur, frustra certe inter modos tollendi obligationem reponitur, quæ enim nulla adfuit obligatio, tolli nequit. Infirmatio autem negotii alias validi coincidit cum remissione a superiore, nomine inferioris, facta de qua §. 396. Quare non est, ut restitutionis in integrum jura fuse hic persequamur, præsertim cum alibi eadem attigerimus. De restitutione ex capite doli, metus & erroris * vid Tit. 5. § 193. sqq. ob læsionem ultra dimidium L. 2. T. 12. §. 600. ob ætatem minorennem ** de Tutela T. 10. §. 504. ob sexum sequiorem de Jure personar. illustr. L. 2. T. 14. §. 219. & infra L. 2. T. 21. §. 802.

* Item ob absentiam, noviter reperta instrumenta, aliamque facti ignorantiam, locum habere potest restitutio, quia illa cum errore

rore conjuncta. Conf. tot. tit. Dig. ex quib. cauſ. major 25. an. in integr. reſtit. Vid. tamen L. 19. C. de Transact.

** Ad imitationem minorum etiam reſtituuntur Eccleſiæ & pia loca cap. 7. X. de in integr. reſtit. Respublia L. 4. C. quib. ex cauſ. maj. 25. ann. & tot. tit. C. de jure Reip. imo ex praxi univerſitates omnes. Ruricolæ tamen in pagis die Hüffner und Coſſäten, quando univerſitatem non conſtituunt. Vid. Ord. Proc. Sax. Recogn. tit. 18. §. 5. beneficio reſtitutionis non gaudent.

§. CDI.

in quantum Principibus applicanda.

Id ſaltem expendi meretur, num & in quantum in integrum reſtitutio Principibus applicari debeat? Nimirum quatenus reſtitutio in integrum infirmat negotium alias validum, opus habet jure cogendi eum, cui ex illo negotio jus eſt quæſitum, ut de jure ſuo remittat. Hoc jus cogendi cum nonniſi ſuperior habeat, facile patet, talem reſtitutionem in Principem, qui ſuperiorem nullum agnoſcit, plane non cadere. Quando autem in integrum reſtitutio ſaltem declarat negotium ab initio fuiſſe nullum, diſpiciendum erit, utrum negotium pronuntietur nullum ob deficiens requiſitum juris naturalis an civilis? Sic naturale requiſitum eſt, ut exulet dolus, metus &c. Talis igitur reſtitutio juri naturali non eſt incognita, ſed inter ipſos ſummos imperantes locum ſibi vindicat, ut fruſtra ſint, qui in Principum cauſis innocentem reſtitutionis vocem faſtidiunt. At civile requiſitum e. c. eſt, quod contrahentes præciſe 25. annis debeant eſſe majores, quod mulier non poſſit fidejubere, quod alienatio, quæ continet læſionem ultra dimidium, ſit invalida &c. Ex his igitur capitibus nonniſi ſubditos poſſe reſtitui, manifeſtum. Unde ſi quando perſonæ illuſtres, quas nulla tenet legum civilium communio, renuntiant SCto Vellejano, læſioni ultra dimidium, qualia exempla vid. Tit. 1. §. XI. & L. 2. T. 21. §. 800. * id omne ad cautiones ſuperfluas otioſas & abundantes merito refertur.

* Aliud in præfat. Codicis Juris Gentium Diplomatici affert *Leibnizius* de Joanne Rege Bohemiæ læſioni ultra dimidium renuntiante, cum 1334. de Lucenſi civitate cum Philippo Valeſio tractaret.

§. CDII.

Morte an obligatio tollitur?

Morte si obligationem ad præstationes personales tolli dicas, non magnopere quidem repugnabo. Verius tamen est, obligationem in personales præstationes conceptam plane non pertingere ad casum mortis, sed tacitam habere conditionem, si supervixeris. Quæ vero ad dandum tendunt obligationes, nec debitoris nec creditoris morte extinguuntur, sed si privatæ fuerint, ad heredes, sin publicæ, ad successores transeunt. Peculiare erat, quod apud Spartanos olim defuncto Rege alter, qui succedebat, liberabat ære alieno eos, qui aliquid aut Regi aut Reipubl. debebant. Et apud Persas, qui Rex creatus erat, omnibus civitatibus tributum, quod debebant, remittebat teste *Herodoto* L. 6. p. 456. Si forte debitor creditoris vel hic illius heres esse contingat, oritur debiti & crediti confusio, unde & *confusionem* inter modos obligationem tollendi referri deprehendimus.

§. CDIII.

an capitis diminutione?

Per mortem civilem, capitis deminutionem seu bannum, imo quodvis delictum, quod bonorum confiscatione punitur, obligatio non tam tollitur, quam in fiscum transfertur. Unde in A. B. c. 24. §. 11. dicitur, ob crimen læsæ Majestatis nec alienare nec manumittere delinquentem posse, nec *ei solvere jure* debitorem. Simili fere ratione victor succedit in jura devictorum, ac de debitis, quæ alii ipsis debebant, pro lubitu disponit. Alexander M. Thebarum dominus factus Thessalis 100. talenta, quæ Thebanis debebant, remisit. At chirographo ab hoste occupato non statim debitum occupatur, sed tunc demum, si hostis creditorem in potestate habet. Unde si Thebani sui iterum juris fuissent facti, debitum a Thessalis potuissent repetere. Conf. *Titius* ad Lauterb. Obs. 1438. & dicta de Pignore L. 3. T. 4. §. 429.

§. CDIV.

Alia non minus curiosa ac spinosa est quæstio: Si invasor tyrannus id, quod civis aliquis Reipublicæ debet, vi exegerit, an tyranno ejecto Respublica debitum denuo petere queat? Videri posset, quod sic, quia solu-

ſolutio facta eſt alii quam creditori, nimirum latroni, cujus violentia caſui fortuito tribuenda. Æquior tamen eſt negativa, quia culpa ac negligentia Reipubl. tyranni invaſionem haud avertentis caſum illum præceſſit, eique dedit occaſionem. Hinc debitores illi Neapolitani, qui Carolo VIII. uſurpatori publica debita ſolverant, ab ulteriori præſtatione abſoluti leguntur apud *Matth. de Afflictis* Deciſ. Neapol. 150.

§. CDV.

Per interitum Reipublicæ tolli obligationes, qua tenebatur, manifeſtum. Interiiſſe autem dici nequit Reſpublica, cujus forma ſaltem mutatur e. c. ſi ex Monarchia fit Democratia, gens ipſa manet, ejusque obligatio erga alias gentes, utut forma interna mutetur. Contra diſſentientem *Ariſtotelem* Polit. L. 3. c. 3. diſſerit *Grotius* L. 2. c. 9. §. 8.

§. CDVI.

Rei interitu debitor ſpeciei liberatur, quoniam ad hunc caſum non pertingit contracta obligatio, nec penes debitorem ſtat, eidem ſatisfacere. *rei interitu?*

§. CDVII.

Pariter ceſſante cauſa & fine, quare conventio erat inita, urgeri amplius nequit obligatio ex eâdem contracta quippe quæ ulterius, quam ad finem illum obtinendum non pertingit. Hinc pacta temporaria expirant elapſo tempore, ad quod erant inita. E. c. induciarum ad certum tempus initarum, eodem præterito, nulla amplius eſt obligatio, ac ſtatim citra præviam indictionem recte reditur ad arma. Sic & in conventione mutui auxilii cauſa inita, ubi illud obtineri amplius nequit, ipſa conventionis obligatio ceſſat, & unicuique eſt integrum, altera etiam parte invita pacem cum hoſte inire, quo jure familia Brandeburgica pleno jure Boruſſiam eſt adepta. *ceſſante cauſa & fine*

§. CDVIII.

Interim id, quod dicitur, ceſſante fine conventionis ceſſare ipſam ejus obligationem, ad abuſum ſæpe trahitur, quorſum neſcio, an debeam referre quod Franciſcus I. Dux Saxo-Lauenburgicus receperit 1536. octo *quod ad abuſum*

pagos,

pagos, quos cœnobio Reinbeccensi majores ipsius donaverant. Cum enim ad pias causas essent dati, secuta secularisatione cœnobii Reinbeccensis jure illos recipi prætendebatur. Regeri tamen posset, secularisationes nonnisi ob urgentem fieri necessitatem, in necessitate autem summam subesse pietatem, ut proinde bona secularisata nequeant dici ad impias causas translata, quo posito non sane causa, ob quam pagi erant donati, cessabat.

§. CDIX.

non trahendum

Evidentior prætensæ causæ cessantis abusus forte cernitur in quæstione, num tributum vel lytrum incendiarium hosti pro avertenda devastatione promissum, eodem fugato, nihilo secius debeatur? Qui negativam tuentur provocant ad regulam modo laudatam, & cessare ajunt finem, ob quem lytrum erat promissum, devastationis puta aversionem, quare ipsum debitum evanescere perhibent, quod quam falsum sit dixi Tit. 5. §. 206. Hic loci notasse sufficit, tantum abesse, ut cesset in casu proposito finis intentus, aversio scil. devastationis, ut potius plene sit obtentus. Quod vero causa impulsiva pro .issi, metus nimirum, cessat, ipsi promisso non officit, quia metus ille bellicus reputatur justus, justus autem metus conventionem non vitiat.

§. CDX.

an sola pœnitentia?

Sola pœnitentia ne Principem quidem a pacto aut promisso liberari, ostendi Tit. 9. §. 317. adeo ut ne quidem privilegia conventionalia pro lubitu revocare valeat Tit. 9. §. 329. Eorum opinionem, qui Principum donationes ad instar ultimarum voluntatum singulis momentis juste revocari contendunt, tanquam iniquam ac injustam redarguemus L. 2. T. 6. §. 509. Adhuc magis absurdum est *Vasquii* dogma, licere subditis, etiamsi sponte sua subditi esse cœpissent, sese in libertatem asserere, quia quod ex voluntate sit profectum, in eo pœnitere liceat, & mutare voluntatem, quod quam falsum sit, sponte patet, cum id, quod ab initio erat voluntatis, ex post facto, & per intervenientem promissionem fiat necessitatis.

LIBER

LIBER II.

DE
SINGULIS PACTORUM ET CONTRACTUUM SPECIEBUS EORUMQUE INTER PRINCIPES USU.

TITULUS I.
DE
Donationibus ſpeciatimque
Quis inter Principes valide donet?

* * *

Privata ſua bona Princeps pro lubitu, publica nonniſi cum Ordinum conſenſu donat. Per factam vitæ monaſticæ profeſſionem ipſa Principum donandi facultas ex Canonum & Conciliorum decretis videtur reſtricta. Civilis autem de prodigorum, minorum, parentum ac liberorum donationibus legislatio ſummos Principes non tangit, bene tamen Imperii Germanici Principes, quatenus ejusdem ſunt ſubditi.

§. CDXI.

Connexio

A generali pactorum theoria ubi nunc ad ſingulas eorum ſpecies eſt progrediendum, ſingularumque inter Principes uſus oſtendendus, optarem quidem, ut methodo Juſtinianea tanquam communi, atque ex ſcholis cognita, incedere poſſemus. Sed graviſſimæ nobis ſunt cauſæ, quæ illam in præſenti deſerere jubent. Nec enim accurata ſatis eſt, nec ad ſtatum naturalem, legisque civilis expertem, ubique applicabilis, qui tamen in illuſtri, quam circa verſamur, Jurisprudentia ante omnia eſt reſpiciendus. Sic dum jus Romanum pacta a contractibus diſtinguit, a jure naturali illud deflectere jam dum monui Lib. 1. Tit. 2. §. 38. Porro quando contractus in veros & quaſi contractus diſpeſcit, in theſi quidem bene ſatis ſe res habet, at fallitur in applicatione, dum tutelæ adminiſtratio, hereditatis aditio, litis conteſtatio aliaque negotia, quæ ad veros contractus pertinent quaſi contractibus annumerantur. Denique diviſio quæ contractus nominatos in reales, verbales, literales, & conſenſuales diſtinguit, eatenus, quatenus contractum verbalem & literalem pro peculiaribus contractibus venditat, vix probanda videtur. Vid. Lib. 1. Tit. 2. §. 60.

§. CDXII.

Ordo dicendorum

De alia igitur cum circumſpiceremus methodo, neque Grotianam ſatis convenire animadverteremus, vid. L. 1. T. 2. §. 39. placuit tandem omnia pacta ad duas revocare claſſes. Vel enim perſonam vel res principaliter reſpiciunt. Ad pacta, quæ perſonas principaliter reſpiciunt, ſpectant pacta ſubjectionis inter imperantes & parentes, herum & miniſtrum inita, nec non pacta matrimonii, adoptionis, emancipationis &c. de quibus tamen h. l. non ſumus acturi, quoniam partim ad Jus publicum pertinent, partim in Jure Perſonarum illuſtrium fuerunt excuſſa. Sola igitur pacta quæ principaliter res reſpiciunt, tractationis noſtræ objectum conſtituent, eaque trifariam diſpertiemur, nimirum in pacta benefica, oneroſa, & pacti aſſecuratoria, ſeu in *donationem*, *permutationem & pacti aſſecurationem*, vocibus in ſenſu laxiori acceptis. Singulæ ſuas iterum continent ſpecies peculiaribus nominibus inſignitas.

§. CDXIII.

Tabula pactorum & Contractuum

DONATUR seu gratis datur vel res in genere atque	
tunc negotium κατ' ἐξοχὴν, audit	DONATIO
vel saltem usus rei fungibilis, & vocatur	MUTUUM
vel usus rei non fungibilis, & vocatur	COMMODATUM
ac	PRECARIUM
vel opera & vocatur	MANDATUM
vel custodia rei & vocatur	DEPOSITUM
PERMUTATUR *res* (quævis præter pecuniam)	
pro re alia, & dicitur	PERMUTATIO
seu	DO UT DES
quorsum & refer Contractum	CENSITICUM
res pro facto, & dicitur	DO UT FACIAS
quorsum & refer Contractum	FEUDALEM
factum pro re & dicitur	FACIO UT DES.
quo refer Contractum	PROXENETICUM
factum pro facto & dicitur	FACIO UT FACIAS
sub facio autem & non facio comprehenditur	
e. c. non facio ut facias, quale quid cernitur in	SALVO CONDUCTU
pecunia pro re & dicitur	EMTIO
ubi de emtione annuor. redituum	
Spei seu	LOTARIA
Securitatis seu	ASSECURATIONE
item de	EMPHYTEUSI
	CONTR. LIBELLARIO
	ÆSTIMATORIO
- - - pro usu rei vel opera & dicitur	LOCATIO
- - - pro pecunia & dicitur	CAMBIUM
- - - pro usu pecuniæ & dicitur	FOENORATITIUS
seu	USURARIUS CONTR.
periculum, quorsum spectant	SOCIETATES
ASSECURATUR pactum	
traditione rei, quorsum spectat	PIGNUS
- - - personæ - - - -	OBSIDUM DATIO
fidei interpositione pro facto proprio ut in	OBSTAGIO
- - - - pro facto alieno ut in	FIDEJUSSIONE
ac	GUARANTIA.

Qui præterea memorari solent contractus, non tam species diversas constituunt, quam modos diversos, quibus voluntas declaratur, & obligatio inducitur. Fit illud nimirum

vel EXPRESSE, ut in STIPULATIONE, CONSTITUTA PECUNIA, CHIROGRAPHO

vel TACITE per facta, ut in HEREDITATIS ADITIONE, LITIS CONTESTATIONE, RECEPTIONE

vel PRÆSUMTE in QUASI-CONTRACTIBUS ut NEGOTIORUM GESTIONE.

§. CDXIV.

Donationis definitio.

Donatio est concessio gratuita, seu actus quo aliquid in alterum ex liberalitate aut gratitudine confertur. Definitio donationis per concessionem gratuitam brevis quidem, satis tamen bona est, ac naturæ & indoli negotii, quod denotat, conveniens. Constat enim genere & differentia specifica, quæ licet primo intuitu laxa nimis ac ampla videri posset, cum non soli donationi, sed & commodato, deposito, precario &c. conveniat: si tamen nobiscum consideramus, quod non modo res ipsa, sed & nudus ejusdem usus gratis concedi, adeoque donari possit, quodque proinde sub omni commodato, deposito ac precario donatio quædam lateat, deprehendimus, recte omnino generalem hanc notionem, quæ commodatum precarium &c. ambitu suo simul complectitur, donationi applicari. Unde & ubi prius donationum jura paulo curatius tradiderimus, eo brevioribus postea nobis esse licebit circa mutuum, commodatum & ceteras ejus species.

§. CDXV.

indoles

Dum autem donationem actum, seu negotium esse dicimus iis præcise non repugnamus, qui eandem pactum vel conventionem, vel contractum, sive consensualem, sive beneficum, vel traditionem, vel denique modum, titulum, aut causam acquirendi dicere malunt. Quæ enim aliorum sæpenumero negotiorum est indoles, ut non semper uno ictu, sed nunc celerius, nunc tardius, nunc uno nunc pluribus actibus perficiantur, eandem & donationis esse deprehendimus. Illa siquidem aliquando stat intra nudos deliberationis ac *destinationis* imperfectæ terminos, quæ, utut verbis scriptisve

ptisve declarata, nullam tamen obligationem producit. Sin *firmum* declaro *propoſitum* donandi, perfecta ſed unius ſaltem adeſt obligatio. Huic ſi accedit alterius *acceptatio*, tunc demum adeſt pactum, conventio, contractus, cauſa titulusve dominium acquirendi. Imo naturaliter ſi rem æſtimes, ipſum jus reale, ipſum dominium jam dum erit translatum. Quodſi denique ipſa accedit ſolennis *traditio*, etiam jus in re civiliter ſpectatum translatum, eoque ipſo modus acquirendi dominium adeſſe cenſetur.

§. CDXVI.

Fundamentum ſeu originem ſuam habet donatio tum in ipſa dominii indole, quæ liberrimam diſponendi de rebus facultatem involvit, tum in naturali hominum propenſione, qua, ubi indigent, accipere, ubi autem abundant, dare ac donare geſtiunt. Cumque apud Principes illuſtresque perſonas major rerum abundantia, quam inopia deprehendatur, mirandum non eſt, ſi ad donandum quam accipiendum ſunt proniores. Ea eſt, dicere ſolebat Titus imperator, imperantium conditio, ut neminem facile a conſpectu ſuo triſtem dimittant. Atque hæc ad donandum proclivitas tantum abeſt, ut naturali jure impediatur, ut potius regulis honeſti & decori immane quantum juvetur. * Civiles quidem leges donationibus paſſim modum ponunt, ſed nonniſi ſubditos, neutiquam autem ſummos imperantes Principesque reliquos humana lege ſolutos ſtringunt. Imo ipſæ hæ leges licet plebejorum donandi facultatem immane quantum coarctent, adeo tamen favent perſonarum illuſtrium, utut ſubditarum, donationibus, ut diſerte easdem hinc velint exceptas, ceu pluribus ex ſequentibus patebit, ubi ſigillatim in donationum illuſtrium cauſam, ſubjectum, objectum, & requiſita inquirendum erit. *fundamentum.*

* Qui rerum dominia, eorumque originem a corrupta hominum natura deducunt, ſtatui integritatis liberalitates & donationes defuturas contendunt. Sed cum alibi ſtatum integritatis dominii haud expertem evicerimus, non eſt ut defectus cujusdam eum incuſemus, aut tantum humani generis decus ac ornamentum, mutuæque beneficentiæ ac charitatis vinculum eidem denegemus.

§. CDXVII.

In quantum Principes donent

Donare potest quilibet, qui alienare. Est enim donatio alienatio gratuita. Ad alienandi autem facultatem requiritur, ut quis rei alienandæ sit dominus, nec mentis vitio vid. §. 426. aut pacto aut lege vid. §. 429. alienare impediatur, quæ omnia ex generali obligationum theoria, superius tradita, præsupponimus. Hæc ubi ad Principes * applicamus, sponte patet, eosdem illas demum res donare posse, quæ in privato ipsorum patrimonio existunt, & quarum proinde sunt domini. Quæ enim in publico Regni sunt patrimonio, earum administratio sola ** ad Principem spectat, dominium autem ad ipsum populum, cujus proinde consensus accedere debet, quoties vel minima ejus pars per donationem in alium est transferenda. Conf. Tit. 4. §. 465.

* An Princeps dum donat, qua talis, seu jure Principis, an jure privati donasse censeatur, quæstio est ambigua, adeoque distinctam poscit responsionem. Si enim quæritur, an Princeps ex privato suo, an ex publico populi patrimonio donasse præsumetur, prius affirmandum per mox dicenda. Sin ita formatur quæstio, an Princeps independenter imperans in donando jure civili privato teneatur, & civilia requisita privatis circa donationum quantitatem, modum, & solennitates præscripta observare debeat nec ne? tunc negativa est amplectenda. Licet enim ex privato suo patrimonio donet, non tamen ideo *civili* privatorum jure tenetur, quia donatio est actus personalis, & proinde si quæstio incidit, quo jure illa peragenda sit, non tam ad rei donandæ, quam donatoris qualitatem est respiciendum, qui cum in casu proposito Princeps sit legibus solutus, frustra leges civiles vocantur in partes, utut forte alias intuitu onerum *realium* res, quam Princeps donat, civili obligationi sit obnoxia. Conf. §. 430.

** Quæ tamen eousque nonnunquam conceditur, ut dominium dependens possit concedi. Quo refer frequentes priscorum Imperatorum donationes. Sic Archi-Præsul Coloniensis Angariam & Westphaliam a Friderico I. Archi-Præsul Magdeburgensis Gibichenstein cum 70. pagis & civitate Hala anno 1004. ab Henrico

co II. donationis titulo accepit. Plura exempla cumulat *Strauchius* de Oppignorationib. Rer. Imp. c. 9. & omnes fere Episcopatus ejusmodi donationibus creverunt. Plane bona, quæ ex confiscatione Principi obveniunt, in privato ipsius sunt patrimonio, ac libere pleneque donari possunt.

§. CDXIIX.

Hinc in Polonia publico Regni decreto, quod Statutum Alexandrinum vocatur, principio Seculi XVI. donationes Alexandri Regis fuerunt revocatæ. In Galliarum Regno, ubi ceteroquin magna satis Regum animadvertitur potestas, nulla a Rege ex Regni substantia facta donatio subsistit, nisi Parlamenti assensu fuerit firmata, & reapse multas Caroli VI. donationes ab ærarii Præfecto infirmatas his verbis subscriptis: *Immodice datum & repetatur : trop donné soit repeté* ex *Aemyl.* L. 9. Hist. Franc. docet *Arnisæus* Relect. Polit. L. 2. c. 6. n. 34. In Comitiis Turonensibus anno 1485. Galliæ Proceres irritas reddiderunt donationes Ludovici. In Hungariæ Regno Matthias consilio populi donationes Ladislai revocavit. Donationes a Richardo Imperatore factas non aliter firmas fore, nisi consensu majoris partis Principum in electione Romani Regis vocem habentium fuerint approbatæ, Rudolphus I. Imp. decrevit Diplomate de dato Nurnberg 1281. apud *Martene* & *Durand*, Tom. I. Thesaur. Anecdot. p. 1169. Paparum donationes de patrimonio S. Petri aliter validas non esse, quam si a tribus subsequentibus Pontificibus, toto Cardinalium collegio consentiente, sint approbatæ ex Julii III. decreto refert *Limnæus* ad Capitul. Caroli V. art. 9. p. 162. *Exempla*

§. CDXIX.

Hinc quoque ferri poterit judicium de famosa illa donatione Constantini M. Sylvestro Papæ facta. Perhibent nimirum Pontificiorum nonnulli, Constantinum lepra laborantem, adhortantibus Petro & Paulo, ut remedium a Pontifice exposceret, morem gessisse, sacroque lavacro Romæ a Sylvestro Pontifice tinctum a morbo fuisse liberatum, atque pro tanto beneficio Sylvestro Palatium in urbe Romana, & omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, loca, civitates donasse. Ipsæ donationis tabulæ pro parte in Decreto Gratiani, prout hodie circumfertur (nam a vetustioribus *Donatio Constantini M.*

codi-

codicibus absunt, & in recentioribus etiam inter Paleas numerantur) Can. 14. distinct. 96. extant, ubi datæ dicuntur Romæ 3. Cal. April. Flavio Constantino Augusto & Gallicano Coss. sublestæ fidei falsitatisque hanc donationem dudum convicerunt, inter ipsos quidem sagaciores Pontificios, jam dum Seculo XV. *Laurentius Valla* Patricius Romanus, & Canonicus Eccles. D. Jo. Lateranens. Pontificisque Secretarius peculiari declamatione in hanc Constantini donationem, & *Baronius* in Annal. ipseque *Æneas Sylvius* postea sub nomine Pii II. Pontifex Romanus: inter Protestantes *Francisc. Hotoman.* in bruto fulmine p. 99-119. *Limnæus* de Jur. publ. L. 1. c. 9. n. 37. sqq. *Conring.* de Imperii Rom. Germ. & *Jo. Volckm. Bechmann* in discursu Juris publici de donatione Constantini M. *

* Potiora quæ hanc in rem afferunt argumenta sunt *primo*, quod coævi vel suppares saltem Scriptores hujus rei non modo nullam mentionem injiciunt, sed & talia memorant, quæ illam manifestæ fraudis convincunt e. c. quod, facta post Constantini mortem inter filios divisione, Constanti Italia ipsaque Roma obvenisse legatur apud *Zonaram* in Vita Constantis princ. Add. *Zosim.* L. 2. & *Socrat.* Hist. Eccl. L. 1. c. ult. & penult. it. *Agatho* in Epistola ad Constantinum vulgo Pogonatum dictum anno 682. scripta quæque in Synodo Constantiensi habetur, Imperatorem urbis Romanæ dominum, hancque ipsius urbem servilem appellat. *Secundo* quod ipsæ donationis tabulæ haud satis sibi constant. Datæ enim perhibentur Consulibus Constantino Augusto quater & Gallicano. At Gallicanus non Constantinum sed Symmachum, Constantinus autem quarto Consul Licinium collegam habuit. Sic & annus, quo tabulæ datæ dicuntur, incidit in illum Æræ Christ. 337. cum tamen Sylvester, cui donatio facta fingitur, jam anno 330. fuerit mortuus. Porro hæ tabulæ Romanæ Ecclesiæ Principatum tribuunt super Constantinopolitan. At Constantinopolis tunc ne quidem in rerum natura extitit. Taceo occurrere in memoratis illis tabulis Satraparum mentionem, quæ vox in nullo alio illorum temporum instrumento deprehenditur, sed ævum longe recentius sapit. Nonnulli equidem Pontificiorum e. c. *Barthol. Picernus* & *Augustinus Steuchus* affirmant, has tabulas ab initio

initio non Latine, sed Græce fuisse conceptas, illoque idiomate in Vaticana extare, quæque Latina circumferuntur exempla, meras versiones esse. Sed demonstravit post alios *Bechmannus* l. c. ne verisimile quidem esse, hanc donationem unquam, nedum Græce fuisse factam.

§. CDXX.

Sed ponamus, reapse eandem fuisse celebratam, patet tamen ex modo allatis, eam ipso jure esse nullam. Erat enim Roma totaque Italia non in privato Constantini, sed publico Regni patrimonio, & proinde a Constantino, qui saltem administrator ejus erat, alienari aut donari non poterat. Ac licet Henricus Lutzelburgicus fictam hanc Constantini donationem postea confirmaverit, neque tamen inde robur eidem accedet, tum quod hæc confirmatio sub & obreptionis vitio laborat, cum Henricus reapse hanc a Constantino donationem fuisse factam, falso persuasus, tum etiam, quod ne ipse Henricus donandi hoc in passu facultate gavisus. Simile esto judicium de reliquis, quas Pontifices sibi ab Imperatoribus Pipino, Carolo M. Ludovico Pio, Ottonibus factas interserunt, donationibus. Nam etiamsi factæ sint, irritæ tamen erunt, & ad summum utile saltem dominium per easdem transferri potuit. Ipsum directum & supremum dominium transferre in Imperatorum potestate haud fuit. *examinatur*

§. CDXXI.

Ex eodem hoc principio, quo nonnisi eum, qui rei donandæ dominus est, donare posse diximus, apparet ratio, quare personæ vitam monasticam professæ donare nequeant. Constat nimirum easdem debere votum paupertatis statim sub initium professionis suæ * suscipere, quo ipso bonis omnibus se abdicant, rerum suarum dominium amittunt, nec proinde amplius quicquam, quod donare possint, habent. Quare vitam monasticam amplectentes ante factam professionem de bonis suis, quæ monasterio cedere nolunt, disponere debent. Parentibus tamen, vitam monasticam eligentibus, inter liberos bona dividere etiam post factam professionem indulgetur. Breviter rem omnem atque distincte complectitur Authent. Si qua mulier C. de SS. Eccles. his verbis: Si qua mulier aut vir liberis non extantibus monasticam vitam elegerit, & monasterium intraverit, monaste- *Monachi in quantum donent juxta Jus Civ.*

rio, quod intravit, res ejus competere jubemus (qui tamen monasterium introire voluerit, antequam monasterium ingrediatur, licentiam habet, suis uti, quo voluerit, modo ** Nov. 5. c. 5.) Sed si persona liberos habens, antequam de rebus suis inter eos disponat, monasterium intret, liceat ei postea inter eos dividere. legitima nulli diminuta, & quod eis non dederit, monasterio competet. Sed si omnem substantiam inter eos filios dividere voluerit, sua persona filiis connumerata, partem sibi retineat, quæ monasterio competere debet. Sed si post ingressum monasterii moriatur, antequam inter eos dividat, filii legitimam percipient, reliqua substantia monasterio competente.

* Solus Monasterii ingressus forte educationis aut probationis causa factus, imo nec habitus Monachalis paupertatis votum, multo minus ademtam donandi facultatem involvit arg. cap. 21. X. de Regular.

** Quod vero nonnulli, in iisque *Bastineller* de donationibus ante & post ingressum Monasterii §. 6. ad validitatem donationis ante professionem factæ requirunt, ut res donata ante professionem donatario sit tradita, nec æquitati, nec juris analogiæ convenit. Interserunt quidem hanc rationem, quod alias & citra factam traditionem, si cum reliquis novicii bonis etiam donata Monasterio inferantur, donatio effectu destitueretur, propterea quod jus Monasterii reale per illationem quæsitum, sit fortius illo donatarii, quod personale saltem est, nec effectum potest sortiri, cum nec contra donatorem, qui tanquam servus & civiliter mortuus, personam standi in judicio non habet, nec contra monasterium, ob jus reale, quo pollet, actio detur. Sed enim vero nulla apparet ratio, quare actio contra monasterium donatario sit deneganda. Eo ipso enim quo professum pro servo suo agnoscit, certe & facta ejus præstare tenetur. Frustra autem jure quodam reali se tuebitur Monasterium. Per illationem ea saltem bona ipsi acquiruntur, quæ debito non fuerunt obnoxia. Unde ipsi adversarii liberorum legitimam, dotem uxoris, aliorumque creditorum NB. jura salva manere docent. Vid. *Bastineller* l. c. §. 5. Quidni igitur & donatario jus salvum manebit?

§. CDXXII.

§. CDXXII.

Repetita verbotenus hæc authentica reperitur can. 9. cauſ. 19. qu. 3. Hæc tamen inter jus civile & canonicum hoc in paſſu deprehenditur differentia, quod jure Canonico puberes utut minorennes mares anno 14. fœminæ anno 12. completo, & ſi religio eſt duriſſima anno 18. cap. 6. 11. 12. X. de Regularib. Monachatum profiteri, adeoque & durante minorennitate ante profeſſionem, cuicunque voluerint, ſine prævia Curatoris aut judicis auctoritate, mortis quidem cauſa ſine juramento, inter vivos autem cum juramento, legitime donare valeant. Cum exadverſo jure civili nonniſi juſtam ob cauſam e. c. propter nuptias, ad pias cauſas, aut familiæ conſervationem, & quidem interveniente vel judicis decreto, vel jurejurando ſpontaneo, donare inter vivos poſſint arg. L. 1. C. ſi adv. donationem junct. Auth. Sacramenta puberum C. ſi adv. vendition. *Canonicum.*

§. CDXXIII.

Concilium Tridentinum autem non modo ſub nullitatis pœna cavet, ne profeſſio in quacunque religione tam virorum quam mulierum ante 16. annum expletum fiat, nec qui minore tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur Seſſ. 25. cap. 15. Sed & circa renuntiationes aut obligationes (adeoque & donationes) antea etiam cum juramento vel in favorem cujuscunque piæ cauſæ factas præcipit, ne aliter valeant, quam ſi 1) fiant præciſe intra 2. menſes proximos ante profeſſionem, adeoque poſt lapſum 10. menſium poſt ſuſceptum noviciatum, ſeu probationem, & quidem 2) cum licentia Epiſcopi ſeu ejus Vicarii nec 3) alias effectum ſortiatur, niſi ſecuta profesſione Seſſ. 25. c. 16. Ratio hujus diſpoſitionis in eo eſt ſita, ut integra maneat novitiis libertas recedendi ex monaſterio, quæ deficeret, ſi per donationes ſe ſpoliaverint mediis, honeſte vitam in ſtatu ſeculari degendi. *Concilium Tridentinum.*

§. CDXXIV.

Unde ſequitur, omnes donationes, renuntiationes & obligationes, quæ hanc recedendi libertatem non impediunt, hac prohibitione non contineri, qualis eſt donatio facta a perſona adhuc in Seculo exiſtente ſub expreſſa *Caſus memorabilis.*

 condi-

conditione, *si professa fuerit*, ceu hunc in specie casum decidit tum ipsa Cardinalium congregatio, tum etiam JCti Ingolstadienses in Responso de 1706. & Lipsienses in Responso de 1709. in causa Baronissæ a Reck, quæ 1698. fratri suo Baroni a Reck omnia sua bona mobilia, sub conditione si religionem professa fuerit, donaverat, postea autem facti pœnitens, revocata hac donatione, anno 1701. Baroni ab Horst eadem donaverat. Quærebatur igitur, utra donatio esset valida. Prior destituebatur, altera pollebat requisitis & solennitatibus a Concilio Tridentino præscriptis. Nihilo secius recte respondebatur, validam esse priorem, ad eamque Concilii dispositionem non quadrare, tum quod ante Noviciatum susceptum fuerit facta, cum exadverso Concilium de solis novitiis loquatur, nec secularibus personis quoad civilia negotia leges præscribere possit, tum etiam & præcipue, quod per eandem recedendi a religione libertas non impediatur, quam tamen rationem Concilium Tridentinum respexit. Contrarium tamen placet *Bœhmero* Jur. Eccles. Protest. L. 3. T. 31. §. 71. & in Responso nomine Facult. Jur. Halens. concepto, quod inseruit *Stryck.* Us. Modern. Pand. L. 27. T. 9. §. 7. ubi etiam ad donationem in Statu Seculari sub conditione, si professio fuerit suscepta, factam prohibitio Concilii Tridentini extenditur, quia talis donatio intuitu religionis facta, Concilii autem dispositio generaliter concepta sit. Comparetur citata *Bastinelleri* dissertatio.

§. CDXXV.

Exceptiones. Quæ modo de illicitis personarum religiosarum donationibus in medium attulimus exceptionem patiuntur *primo* in casu, quo sibi peculium quoddam cum permissione Abbatis reservarunt arg. cap. 2. X. de Statu Monachor. quæ permissio illustribus præsertim personis, vitam monasticam amplectentibus, frequenter satis indulgeri solet. *Secundo* hæc donationum prohibitio ad Protestantium monasteria plane non pertinet. Ad illa ratio hujus prohibitionis prorsus non quadrat. Hæc enim sita est in suscepto paupertatis voto, & abdicata rerum omnium proprietate. Inter Protestantes autem cum talia vota ignorentur, consequens est, ipsorum monasteria ingredientes rerum suarum dominium retinere, valideque donare.

§. CDXXVI.

§. CDXXVI.

Vidimus hactenus palmarium donationis requisitum, ut scilicet donator rei donandæ sit dominus. At existere potest casus, ut quis, licet rei dominus sit, tamen in usu & exercitio dominii vel a naturali mentis vitio, aut imbecillitate vel legis prohibitione impediatur. Quare ulterius requiritur, ut quis nec natura nec pacto aut lege impediatur. Hinc in donatore *rectus rationis usus* est necessarius, h. e. ut ratione uti possit, dummodo velit. Quo ipso donare impediuntur infantes, furiosi, mente capti, quique ita muti ac surdi sunt, ut nec aliorum voluntatem percipere, nec suam declarare valeant, quæ omnia tanquam mere naturalia in ipsis etiam Principibus obtinent. *Amentes an donent?*

§. CDXXVII.

In prodigis id quidem naturale est, quod sanam, qua pollent, rationem in usus suos convertere nolint, quod autem alienationes & donationes ab iis susceptæ irritæ sint, mere est civile, ac proinde ad personas illustres, quas sola naturalis juris communio tenet, non pertinet. Hæ enim, sicut ob imperii defectum ab aliis declarari pro prodigis nequeunt, ita nec donationes in sui perniciem factas revocare sub prætextu prodigalitatis poterunt, quippe quæ demum a tempore declarationis incipit, nec ad tempus præteritum retrotrahitur. *an prodigi?*

§. CDXXIIX.

Quodsi autem Princeps in ipsa publicæ rei, quæ ipsi est concredita administratione prodigus forte deprehenditur, neque, admonitus licet, a prodigalitate desistit, tunc quidem ob cessantem finem, propter quem imperium ipsi erat concreditum, publicam nimirum conservationem talis Princeps deponi, imperioque exui poterit, ubi tamen magna opus est circumspectione, nec modicum attendendum, cum ubi liberalitas, aut decens Principes magnificentia desinat, ubive prodigalitas incipiat, ad lineam aut obolum determinari nequeat. Circa donationes autem a prodigo tali Principe susceptas ita sentio. Ea, quæ ex ipsa publici regni aut territorii substantia donavit, recte revocantur, non tam ob prodigalitatem (hæc enim ante declarationem vel h. l. depositionem haud intelligitur) quam ob dominii de-

 fectum,

fectum, cum res talis non in donantis, sed publico populi fuerit patrimonio. Sin ex fructibus territorii aliquid donando alienavit, illi aut ipsius sustentationi fuerunt assignati, & tunc in privato ipsius patrimonio extiterunt, valideque fuerunt donati, aut publicis usibus erant destinati, & tunc, licet donatio inde facta publicæ rei utilis haud sit, valida tamen erit, propterea quod administratio publica publice a toto populo Principi erat commissa, & proinde ea, quæ gessit, æque rata esse debent, ac si ab integro populo fuissent peracta. Quæ denique in privato sunt Principis patrimonio, cum populi arbitrio non subsint, hicque in illa nihil juris habeat, tum ante tum post depositionem recte a Principe donantur. Illustrantur hæc omnia Wenceslai Imperatoris exemplo. Hic etiam postea, quam ab Imperii Ordinibus Imperio exutus erat, terras tamen hereditarias retinuit salvas, liberamque de iis disponendi aut donandi facultatem. Quodsi autem ante depositionem ex ipsa Imperii substantia quicquam alienasset, donasset, illud omne fuisset irritum, quæ autem ex fructibus Imperii largitus est, aut privilegia concessit, omnino valent, exitumque sortiri debent. Conf. de tutela T. 13. §. 578.

§. CDXXIX.

Donare prohibetur Vasallus

Tertium denique (vid. §. 417.) quod in donatore requiritur est, ut nec pacto nec lege donare impediatur. Pacto prohibetur donare e. c. feudum Vasallus, familiæ fideicommissum ejusdem possessor. Utut enim uterque, ille feudi hic fideicommissi habeat dominium, hoc ipsum tamen est restrictum, atque tacite annexam de non alienando conditionem habet.

§. CDXXX.

Minores

Lege naturali quidem nemo rectæ rationis usu præditus, at civili donare prohibentur præter prodigos, de quibus modo diximus, pupilli & minores, parentes ac liberi, conjuges & Monachi. De Monachis itidem jam dum egimus, de reliquis nunc sigillatim dispicere, operæ pretium existimamus. In antecessum autem monemus, has donatorum qualitates cum sola lege civili requirantur, in solis subditis, utut illustribus, respici, non autem in donatoribus lege civili solutis, utut imperio destitutis. At Germaniæ Principes, cum Imperii sint subditi, in Imperio autem civiles Romano-

manorum leges publice receptæ ſint, hac pariter legum civilium diſpoſitione in tantum tenentur, in quantum patriæ mores eidem non adverſantur. Neque obſtat, quod in dubio donatio a Principe, qua tali, facta cenſeatur, Germaniæ autem Principes in publica ditionum ſuarum adminiſtratione legibus Romanis haud ſint adſtricti. Cum enim ex veriori ſententia liberi & conjuges Principum Germaniæ eorundem ſubditi non ſint, donatio iisdem facta pro publico negotio haberi non poterit. Id tamen quod de Germaniæ Principum donationibus Romanæ legislationi obnoxiis diximus, ad eos ſaltem Principes eſt reſtringendum, quorum potiſſima dignitas ab Imperio eſt dependens. Ceteri enim, qui quidem ratione certarum ditionum ab Imperio pendent, ſed præterea ſimul independenti quadam dignitate gaudent, quales ſunt Reges Angliæ, Daniæ, Sueciæ, Pruſſiæ &c. in dubio, qua Reges, non qua Germaniæ Principes donare cenſentur, (donare enim potuiſſent, etiamſi Imperii Principes non fuiſſent) hocque intuitu ne patriis quidem Germanorum, nedum ſubſidiariis & a Romanis mutuatis legibus adſtringuntur. Sed quid ſi talis Rex bona immobilia in Germania ſita donet, numne & tunc Germaniæ legibus erit ſolutus. Dubitandi ratio hæc eſt, quia donatio eſt negotium perſonale (vid. ſupra §. 417.) Rex autem talis, quoad ſuam perſonam Germanorum legibus haud tenetur. Nihilo ſecius verius omnino eſt, Germaniæ leges hoc in paſſu eſſe obſervandas, quia talis donatio a Rege, non qua tali, ſed quatenus Principis Imperii perſonam ſuſtinet, peragitur.

§. CDXXXI.

Ipſa nunc ut aggrediar civilia donatorum requiſita, primo loco eo refero, ut donans ſit majorennis h. e. 25. annis major. Ipſum quidem naturale jus in donatore requirit annos perfecti judicii, quia alias nec conſentire, nec proinde paciſci, alienare, multo minus igitur donare poteſt, ne quidem interveniente tutoris autoritate, quia huic plus juris & autoritatis haud competit, quam ad obtinendum tutelæ finem, pupilli ſcil. bonorumque ejus conſervationem, neceſſario requiritur, quo cum donatio referri nequeat, pupillus majorennis factus omnes a tutore ſuſceptas donationes recte revocabit, utut decori regulis, Principumque generoſitati parum ſit conveniens, modicas, præſertim remuneratorias a tutore factas donationes revocare. Exemplum largitionum a tutore factarum, poſteaque revo-

Exemplum

revocatarum vide apud *Buchanan.* Rer. Scot. L. 10. p. 364. Quatenus autem hoc perfecti judicii tempus ad annos certos adstringitur, omnesque 25. annis minores donare prohibentur, eatenus hoc donatoris requisitum mere est civile, Principibus tamen Germaniæ ideo observandum, quia civili hoc Romanorum jure in dubio, & ubi aliud doceri nequit, obligantur.

§. CDXXXII.

Parentes & liberi

Patres filiis donare prohibentur L. 11. & 17. C. de donat. Ratio hujus dispositionis sita est in fictione unitatis, qua pater & filius durante patria potestate pro una persona habentur, indeque sequeretur, patrem sibi ipsi per talem donationem acquirere. * Quæ fictio, indeque orta donationum inter parentes & liberos prohibitio, non modo naturali juri est incognita, nec ad Principes independentes pertinet, sed & in Germania, licet Principes alias jure Romano vivant, tamen hoc in passu propter contrarios patriæ mores ab ejus obligatione eximuntur, quippe quibus valide sibi invicem parentes liberique donant, Land-R. L. 1. art. 10. & Spec. Svev. c. 118. Quamobrem si quandoque in Germania a parentibus liberorum suscipitur emancipatio eo fine, ut ratæ sint inter eos donationes, id ipsum ex superflua potius cautela, quam juris necessitate fieri videtur. Sicut & summos quoque Reges nonnunquam hoc fine emancipationem celebrasse, discimus Philippi Valesii Francorum Regis exemplo, qui filium suum Joannem anno 1331. emancipavit ut Normanniam ipsi dono daret, quod tamen necessarium non fuisse, cum nec donans nec donatarius jure Romano teneretur, alibi monuimus. Vid. de patria potest. §. 282.

* Hæc ratio cum cesset in donatione a liberis patri facta, sequitur, hanc ex ipsis juris Romani principiis validam esse, quando e. c. filius ex peculio castrensi aut adventitio patri donat. L. ult. §. 5. C. de bonis quæ liberis. Eandem ob rationem subsistunt donationes inter matres & liberos celebratæ. An mater liberis sine Curatore donet vide de tutel. §. 601.

TITU-

TITULUS II.

DE

Conjugum illuſtrium donationibus.

* *
*

Naturali jure quo minus conjuges valide ſibi donent, nil obſtat. Civilia autem & Canonica jura donationem conſtante matrimonio inter conjuges factam, ex qua alter fit locupletior alter pauperior, tum demum firmam pronuntiant, ſi aut donatoris obitu, aut jureiurando confirmentur. Idemque inter Germaniæ Principes obtinet.

§. CDXXXIII.

Conjuges ſibidonare prohibentur

Prohibitionem, qua conjuges ſibi donare vetantur, inter civiles a nobis referri, mirum videri poſſet, cum alio loco aſſeruerimus, ipſo naturali jure inter conjuges bonorum communionem regulariter vigere, nec proinde donationem inter eos intelligi. Sed ſalva res eſt. Bonorum enim communio, quæ inter conjuges obtinere regulariter debet, non ipſam matrimonii eſſentiam ingreditur, & ſaltem eſt juris naturalis permiſſivi, non præceptivi, nilque impedit, quo minus conjuges eidem renuntiare poſſint. Stante itaque hac bonorum communione, recte omnino dicitur, donationem inter eos intelligi nullam. Simul autem ac eidem eſt renuntiatum, & cuilibet conjugum ſeparatæ rationes conſtitutæ, omnino donatio inter eos celebrari poterit, eademque ipſo naturali jure tanquam valida ſuſtinebitur. Quare prohibitio conjuges donationibus interdicens aliunde, & a civili lege arcenda, qua cum ſummi imperantes

soluti sint, recte etiam conjugibus donant. Sic Philippus Valesius Galliæ Rex cum uxori pecuniam & prædia contra leges (civiles) 1330. largiretur, se patriis legibus solutum, testatus est referente *Bodino* de Republ. L. 1. c. 8. p. 158.

§. CDXXXIV.

civilibus legibus

Civiles autem prohibitiones, quæ conjugum donationes vetant, si desideres, reperitur talis in legibus Romanorum L. 1. Dig. de donat. inter Vir. & Uxor. ubi *Ulpianus* ait moribus * apud nos receptum est, ne inter virum & uxorem donationes valerent. Hujus vestigiis insistit Gregorius IX. Pontifex in cap. 8. X. de donationib. inter vir. & ux. donatio, inquiens, quæ constante matrimonio inter conjuges dicitur esse facta, ex qua alter locupletior, pauperior alter efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur, quæ tamen penitus evanescit, si revocatur ab eo tacite vel expresse, vel qui donatum accepit, prius debitum naturæ persolvat. Jus Saxonicum adhuc magis rigorose conjugum donationes vetat, adeo ut ne donantis quidem morte easdem validitatem acquirere patiatur, etiamsi quoad reliqua tales donationes solennissime e. c. adhibito curatore, factaque judiciali insinuatione fuerit celebrata. Pertinet huc textus Land-R. L. 1. art. 31. Mann und Weib haben kein gezweyet Guth zu ihrem Leibe darum mag kein Weib ihrem Manne eine Gab geben an ihrem eigen oder an ihrer fahrenden Haabe, da sie es ihrem rechten Erben mit entführe nach ihrem Tod ꝛc. Duplex apparet hujus Dispositionis ratio, quarum una in bonorum communione est sita, altera hæc est, ne legitimo heredi præjudicetur.

* Placet conjectura Dn. *Kemmerichii* de donationib. Conjug. illustr. §. 6. not. b. ubi jam a Romulo legem, conjugum donationes prohibentem, fuisse latam existimat. Firmat eandem locus *Dionys. Halicarn.* L. 2. §. 4. ubi refert Romulum, ut mulieres omnium maritorum suorum bonorum redderentur participes, jussisse, quod ita accipio: Romulum bonorum inter conjuges communionem, quæ antea juris naturalis permissivi erat, juris civilis præceptivi effecisse. Cum autem nullæ inter conjuges celebrari possint donationes, quæ non hanc bonorum communionem tollant, eo ipso, easdem a Romulo fuisse prohibitas, se-

qui-

quitur. Idem innuit *Plutarchus* in Præcept. Conjug. prohibitionis, qua Romanus legislator prohibuerit, ne conjugum alter alteri quicquam donaret, hanc reddens rationem: *non ut nullius rei participes fierent.* Ipsa hæc bonorum inter conjuges communio licet Regibus exactis cum aliis legibus Regiis exoleverit, moribus tamen servata fuit donationum prohibitio, quæ inde primitus fluxerat. Rationes clare satis indicat L. 1. 2. 3. Dig. de donat. inter vir. & ux. ubi Antoninus hanc reddit: ne concordia pretio conciliari videretur, neve mulier in paupertatem incideret, deterior ditior fieret, cui gemina est illa *Ulpiani*, ne mutuo amore invicem spoliarentur. Neque male *Sextus Cæcilius* divortiorum apud Romanos licentiam in partes vocat, quia sæpe futurum esset, ut discuterentur matrimonia, si non donaret is, qui posset.

§. CDXXXV.

quibus Imperator & Augusta haud tenentur

De vi & usu harum legum in Germania circa illustrium conjugum donationes disquirendum. Ipse Imperator qua talis, cum in subditorum numero haud sit, nec civilibus his legibus tenebitur. Imperatrix licet quandoque subdita esse possit, diserte tamen a civili hac circa donationes obligatione eximitur L. 26. C. de donat. int. vir. & ux. L. ult. C. de quadr. præscript. quod tamen merito restringitur ad donationes ab Imperatore vel Imperatrice qua tali factas, quales in dubio præsumuntur omnes, quas suscipit. Quodsi autem Imperator prædium in terris, quas qua Imperii Princeps & subditus possidet, situm conjugi suæ donaret, tunc manifestum, eum non qua Augustum, sed qua Imperii Principem donare, adeoque eodem jure teneri, quo reliqui Imperii Principes.

§. CDXXXVI.

At Principes quoad Geradam & Hergewettam

Ad hos itaque quod attinet, primo dispiciendum, in quantum inter Principes, qui alias jure Saxonico utuntur, dictus articulus 31. obtineat. Verum ut fatear, ego ejusdem usum non adeo magnum, neque alium agnosco, quam qui in Gerada & Hergewetta cernitur. Hæ enim cum hodienum ad legitimum heredem necessario pervenire debeant, in hujus frau-

fraudem conjugibus vi dicti articuli donari nequeunt. Ratio autem quare in reliquis donationibus hunc articulum vim suam exerere negem, hæc est, quod cessante legis ratione, cesset & ipsa ejus dispositio. Utraque autem dicti articuli ratio hodie cesset. Nam & Saxonici conjuges divisa bona possidere sinuntur, & legitimis heredibus (sola Gerada & Hergewetta excepta) hereditas tum testamento, tum contractu inter vivos, quidni ergo & donatione interverti potest.

§. CDXXXVII.

non autem amplius quo ad mobilia uxoris.

Circa sola mobilia uxoris bona dubium superesse posset, quia maritus jure Saxonico eorum heres legitimus existit, ceu ex ipso art. 31. patet. Unde sequi videtur, neque horum donationem inter conjuges Saxonicos esse licitam. Atenim vero priscis quidem temporibus res se ita habebat, cum duplici ratione donationum prohibitio niteretur, quarum licet una, ne quid scil. in fraudem legitimi heredis suscipiatur cessaret in donatione mobilium, ab uxore marito facta, quia hic ipse heres legitimus existit, subsistebat tamen altera in bonorum communione sita, quæ proinde talem donationem impediebat. Hodie autem cum & hæc ac proinde utraque prohibitionis ratio cesset, nihil omnino obstat, quo minus hodie uxor Saxonica interveniente Curatoris autoritate mobilia marito donet, ad hanc saltem effectum, ut talis donatio morte uxoris confirmetur. Consentientes habeo *Schilterum* Exerc. ad Pand. 36. §. 103. & *Thomas.* in Not.. ad Dig. Tit. de Donat. inter Vir. & ux. p. 240. quos contra licet disputet *Kemmerich* de Donat. Conjug. illustr. §. 18. & mobilia ab uxore marito posse donari neget, hanc causam interserens, non solum illum casum ob oculos esse ponendum, ubi uxor præmoritur, adeoque maritus superstes heres ejus est in rebus mobilibus, sed etiam ubi uxor manet superstes prædefuncto marito, quo casu uxor mobilia sua per donationem inter vivos in maritum transferens non solum sibi, sed & legitimis suis heredibus noceret. Hæc tamen ratio tanta non est, ut propterea a priori sententia recedamus. Cum enim de hodierno jure sit quæstio, hodie autem vi recepti juris Romani & Canonici conjugum donationes demum morte donantis confirmentur, & in casu præmortui donatarii plane evanescant, metuendum non est, ut uxor donatrix se ipsam bonis & ornamentis suis per donationem

nem marito factam spoliet. Quod vero additur talem donatricem hac ratione legitimis suis heredibus & cognatis nocere, plane non stringit, cum hi jus quæsitum nullum habeant, nec hodie iisdem hereditas necessario relinquenda, sed pro lubitu variis modis, tum inter vivos, tum mortis causa interverti possit. Quæ cum ita sint, in ipsa etiam Saxonia inter plebejos pariter ac Principes mobilium donationem ab uxore in maritum collatam morte uxoris confirmari existimo. Ais, ni fallor, nihil tunc lucrari maritum per talem donationem, cum etiamsi illa facta non fuerit, tamen jure hereditario mobilia uxoris accepisset. Respondeo, lucrabitur certe aliquid maritus in casu, quo hereditario huic juri vel pro parte vel in totum forte renunciavit, tunc enim id, quod hereditario jure accipere non poterat, donationis titulo accipiet.

§. CDXXXVIII.

Majorem inter Germaniæ Principes usum habet juris civilis & canonici de conjugum donationibus dispositio. Hæc enim jura non modo inter Imperii Principes sunt recepta, sed & ratio quare conjugibus donationes interdicunt, ne scil. melior in paupertatem incidat, deterior ditior fiat, in nostris pariter Principibus locum invenit. Unde in ipsis rerum argumentis illustrium conjugum donationes irritas fuisse pronuntiatas, deprehendimus. Memorabile hujus rei præjudicium extat in citata *Kemmerichii* de donationibus conjugum illustrium dissertatione, ubi in Responso sub finem adjecto Facultas Juridica Vitebergensis donationem bonorum Paraphernalium, in nominibus (Capitalien) præcipue consistentium, ab Imperii quadam Comitissa marito factam, cujus postea, marito mortuo, Comitissam ad secundas nuptias transeuntem pœnitebat, revocandam judicavit.

pœnitere tamen potest conjux donans.

§. CDXXXIX.

Sed cum jura Romana conjugum donationes in tantum saltem invalidas velint, ut fas sit pœnitere eum, qui donavit, ceteroquin autem tales donationes obligationem civilem contineant, & res donatæ fiant ejus, cui donatæ sunt, adeoque ipsum earum dominium translatum videri posset L. 32. §. 1. Dig. de donat. inter Vir. & Ux. quæritur, num in casu, quo

donatumque a tertio quoque vindicare

uxor marito rem donavit, isque eam tertio vendidit, num inquam uxori, quam donationis pœnitet rei vindicatio contra tertium competat, an saltem contra maritum actio ad æstimationem præstandam sit indulgenda. Mihi quidem prius videtur, quia etiamsi forte maritus in rem ab uxore donatam dominium habet, revocabile tamen idem est. Dominus revocabilis autem irrevocabile dominium in alium transferre nequit.

§. CDXL.

Sententia Schilteri Proposita modo de prohibita, vi recepti juris Romani & Canonici, inter ipsos Imperii Princeps conjugum donatione doctrina Doctoribus nonnullis, diversis quidem ex rationibus iis tamen parum firmis ac solidis impugnatur. Sic *Schilterus* Inst. Jur. publ. L. 2. T. 6. §. 5. donationem Principum inter conjuges non ex prohibitione juris Romani, sed ex permissione Juris Naturæ & Gentium æstimandam retur, quod tamen ex iis, quæ de autoritate Juris Romani & Canonici in privatis Principum Imperii causis alibi attulimus, refellitur.

§. CDXLI.

Myleri *Mylerus ab Ehrenbach* de Statib. Imp. c. 27. §. 3. & Gamolog. c. 7. §. 13. argumentum ducit ex L. penult. C. de donat. int. Vir. & Ux. & sicut inter Augustum & Augustam donationes sunt licitæ, ita pariter inter Imperii Principes eorumque conjuges, quia nimirum hi in territoriis suis Augustorum fruuntur jure licitas esse putat.. Verumtamen Principes in suis territoriis Augustorum saltem jure fruuntur in publica eorum administratione, eoque intuitu omnino legibus Romanis sunt soluti. At in privatis suis negotiis, quale sine dubio est donatio inter conjuges (quippe quæ non modo a Principe, sed & uxore ejus cujus nullæ sunt in publica territorii administratione partes, peragi potest) Augustorum jure non pollent, sed juris civilis autoritatem agnoscere tenentur. Quodsi vero Imperii Princeps conjugi suæ, non qua tali, sed e. c. qua ministræ & publicæ administrationis intuitu donat, secus se rem habere facile concesserim. Fac e. c. Principem Imperii belli aliamve ob causam peregre proficiscentem uxori publici territorii administrationem committere, er setzt sie zur Gouvernantin oder Statthalterin, reducem autem in rerum bene gestarum præmium eidem

eidem aliquot prædia donare. Tunc talis donatio in conjugem, non qua talem, ſed publicæ adminiſtrationis intuitu confertur, ubi Princeps omnino Auguſti jure fruitur, legibusque Romanis eſt ſolutus, adeo ut hæc donatio ſtatim per ſe & ſine ullis ſolennitatibus ſubſiſtat.

§. CDXLII.

Denique nonnulli in iisque JCti Tubingenſes in Reſponſo de 1629. apud *Beſold.* Conſil. 44. & *Vitriarius* Inſt. Jur. publ. L. 3. T. 20. §. 12. differentiam ſtatuunt, habeatne talis uxor illuſtris patrem adhuc viventem nec ne? Priori caſu ac ſuperſtite parente negant, quod uxor illuſtris marito Principi pretioſa ſua Heyrath-Guth und Geſchmuck donare poſſit, poſteriori autem ac patre jam mortuo eandem omnia ſua pretioſa marito recte donare contendunt. Hauſerunt hanc doctrinam ex præpoſtera juris Romani ad Germaniæ ſtatum applicatione. Cum enim jure Romano filiæ per nuptias a patria poteſtate non præciſe liberarentur, hæc autem in cauſa eſſet, quare de peculio donare non poſſent L. 7. pr. Dig. de donat. L. 28. §. 2. Dig. de pact. hinc in Germania pariter filias utut nuptas in patria poteſtate exiſtere, eâdemque impediri quo minus maritis donare queant, ſoluta autem per patris mortem poteſtate patria, ſublatum eſſe impedimentum, quod donationem impediverat, adeoque mortuo parente valide omnino uxorem illuſtrem marito donare cenſuerunt. *Vitriarii*

§. CDXLIII.

At enim vero laborat hæc argumentandi ratio plus ſimplici fallacia. Primo enim ratio, quare uxor marito donare prohibetur, non in patria, cui apud Romanos ſuberat uxor, poteſtate latet, ſed hæc eſt, ne mutuo amore ſe ſpoliarent conjuges. Secundo & id pariter falſum eſt, quod apud Germanos filia nupta patriæ adhuc ſubſit poteſtati. Contrarium enim quodque ex Germanorum inſtitutis filiæ per nuptias paterna poteſtate exeant, probatum dedimus de patria poteſt. §. 298. Quæ cum ita ſint, nihil omnino ex toto hoc argumento pro validitate donationis ab uxore marito poſt parentis mortem factæ exſculpi poterit. *examinatur*

§. CDXLIV.

Firmatur conjugum donatio jurejur.

Quamvis autem regulariter etiam inter Imperii nostri Principes conjugum donationes sint irritæ, dantur tamen casus, quibus ex ipsis juris civilis & Canonici placitis celebrata inter conjuges donatio sustinetur. Primus est, si juramento fuerit firmata per expressum cap. 28. X. de jurejur. quod conjuges donatores proprio sacramento contravenire vetat, cum in alterius præjudicium non redundet, unde hoc capitulum impedimento non erit, quo minus heres legitimus Hergewettæ vel Geradæ donationem conjugi jurato factam revocare queat. Cum autem juramento æquipparetur promissio fide illustri bey Fürstl. oder Gräfl. Ehren und Würden oder Cavaliers-Parole vallata, nonnulli quoque conjugum illustrium donationes hac clausula firmatas sanari existimant, quibus calculum addunt *Carpzovius*, *Bocerus*, *Pistorius*, *Mylerus*, *Lynckerus*, *Kemmerichius &c.* Alii tamen in quibus & est *Zollius* de promiss. fide generos. vallat. p. 44. negant, propterea quod ubi juramentum ad actus formam requiritur, fides generosa aut illustris eidem haud æquipollet.

§. CDXLV.

donatoris obitu

Alter casus est, si conjugum donatio * confirmatur obitu donatoris cap. 9. X. de donat. int. Vir. & Ux. & Nov. 162. cap. 1. §. 1. propter supremæ voluntatis favorem L. 32. §. 2. Dig. de donat. int. Vir. & Ux. donatarii non æque, hoc enim prius naturæ debitum persolvente, donatio evanescit cit. cap. 9. Id autem vel dicta Novella non monente per se intelligitur, ut talis donatio per silentium usque ad mortem servatum valida reddatur, reliqua omnia quæ ad talem donationem pertinent, rite se habere debere, tam secundum mensuram, quam secundum insinuationem. Unde & illud fluit, quod in Saxonia donatio Geradæ & Hergewettæ conjugi facta plane non, immobilium autem non aliter donatoris morte convalidari possit, quam si judicialiter celebrata, atque a donatrice curator adhibitus. An vero etiam putativæ uxori facta donatio morte donantis confirmetur ex L. 32. §. 27. Dig. de donat. inter Vir. & Ux. in utramque partem disputari potest. Plerique negativam amplectuntur. Affirmativam

autem

autem longe verosimiliorem reddit. *Hertius* de Matrimonio putativo §. 29. Add. dicenda Tit. 5. §. 471.

* Utut res donata nondum tradita fuerit, quod frustra propter L. 23. Dig. de don. int. Vir. requirit *Mynsingerus*. Id enim quod donatio ante traditionem sit invalida, jam dum Justinianus correxit §. 2. J. & L. 35. C. de donat.

§. CDXLVI.

Tertius casus est, si neutra pars donationibus nec pauperior nec locupletior facta fuerit. Dictitat hoc tum ipsa prohibitæ inter conjuges donationis ratio, tum clara Lex 25. Dig. de donat. int. Vir. & Ux. Hinc mutuæ & remuneratoriæ donationes inter conjuges sustinentur, quæ & ratio extitit, quare in Responso Facultatis Juridicæ Vitebergensis §. 438. memorato, donatio Paraphernalium a Comitissa facta in tantum saltem revocanda censeatur, in quantum illa superarat pretium duorum prædiorum, quæ vicissim Comitissæ donaverat maritus. Hinc porro conjugibus permittuntur donationes in mortis eventum suspensæ it. donationes ob causam & ad amorem conciliandum, quæ tamen modicæ esse debent, & ex donatoris facultatibus metiendæ, adeo ut ex reditibus, non autem ipsa principali ejus substantia desumantur, nec grave æs alienum propterea contrahatur. Pertinent huc strenæ it. donationes, quarum fructus, honor, & utilitas ad donantem quoque redundat, quas e. c. uxor novæ dignitatis adipiscendæ causa in maritum confert L. 40. Dig. de donat. int. Vir. & Ux. it. ornamenta uxori a marito donata *Stryck.* de Jur. Blanditiar. c. 3. n. 11. huc quoque trahit dona a marito sene juvenculæ in senectutis, aut a plebejo nobilitatem mentito conjugi generosæ in ignobilitatis compensationem data.

Si neutra pars sit locupletior.

§. CDXLVII.

Denique per se liquet, omnem donationis inter conjuges prohibitionem ad conjuges solos esse restringendam, nec ad sponsum sponsamve extendendam, quippe inter quos ipso etiam nuptiarum die factæ donationes sunt validæ L. 27. & 36. §. 1. Dig. de don. int. Vir. & Ux. L. 6. C.

de desponsatorum donatione

de donat. ant. nupt. Si tamen ſponſus ſponſæ ornamenta, annulos, veſtes non in quotidianum uſum dat, ſed ſaltem ut in ſolennitatibus ornatior incedat, non tam donaſſe, quam commodaſſe videtur.

TITULUS III.

Quibus a Principe valide donetur?

* * *

Concubinis naturali jure valide datur & promittitur. Jure Civili in pari turpitudine poſſeſſoris melior eſt conditio. Adulteræ tamen id etiam, quod datum, eripitur. Liberis illegitimis jus Romanum a matre illuſtri quicquam donari haud ſinit, à patre non amplius, quam ex legitimis accepit is, qui minus habet. Quæ Princeps filiofam. donat, peculio quaſicaſtrenſi annumerantur, quæ vero pluribus donatariis conjunctim donantur, uno deficiente ad reliquos accreſcendi jure perveniunt.

§. CDXLVIII.

§. CDXLVIII.

Concubinæ naturali jure valide donatur

In quantum Princeps conjugi liberisque ſuis donare valeat, ex ſuperioribus obſcurum eſſe nequit. Quibus h.l. breviter ſaltem addendum, an & Concubinæ aut pellici ac illegitimis ſuis liberis valide donet? Quod ad Concubinam attinet, cum, quicquid eidem concubinus donat, in Concubinatus præmium datum cenſeatur, res redit ad quæſtionem præjudicialem, ſitne ratum negotium, in quo utriusque turpitudo ſubeſt. Ex naturali ratione ſi rem æſtimes, quia in caſu propoſito turpitudo utrinque compenſatur, nec ab altero alteri objici valide poteſt, omnino pro negotii validitate erit pronuntiandum, adeo ut non modo id, quod datum eſt, repeti nequeat, ſed id, quod ſaltem erat promiſſum, præſtari quoque debeat. Conf. Tit. 6. §. 501. Hinc eſt, quod ea, quæ ſummi Principes concubinis ſuis ex bonis, de quibus diſponendi facultas ipſis competit, aſſignant, etiam poſt illorum mortem his relinqui, atque a ſucceſſoribus præſtari animadvertimus.

§. CDXLIX.

Milites focariis donata revocare ſinuntur.

Jure Romano donationes in Concubinam aut meretricem collatæ pariter revocari nequeunt, nec ſi matrimonium inter eosdem poſtea fuerit contractum, ad irritum recidunt L. 5. & 31. C. de donationib. In militibus autem id eſt peculiare, quod donationes focariis * ſuis factas revocare permittantur, ne ipſarum adulationibus ſpolientur L. 2. C. de donat. inter Vir. & Ux. In Germania licet alias jus Romanum receptum, quoad hos paſſus tamen vix ejusdem uſus obtinebit, ſive plebejos inter, ſive Principes lis vertatur. Ratio enim, quare jus Romanum concubinis donare ſinit, non eſt naturalis illa, qua in negotio utrinque turpi validam naturaliter obligationem eſſe, modo audivimus, ſed potius hæc, quod apud Romanos quæſtum meretricium accipere non habebatur pro civiliter turpi L. 4. §. 3. Dig. de Condictione ob turpem cauſam, quæ ratio cum apud nos ceſſet, ubi lucrum meretricium ex parte accipientis æque ac dantis pro turpi habetur, potius ſequenda erit generalis lex, quæ in pari turpitudine poſſeſſoris conditionem meliorem haberi præcipit L. 2. C. de Condict. ob turp. Atque eandem hanc legem hodie in ipſis militibus obtinere puto,

neque iis integrum esse repetere vi L. 2. C. de donat. int. Vir. & Ux. a meretricibus seu focariis ea, quæ ipsis donaverant. Quomodocunque se res habeat circa milites plebejos, certe quoad Principes, qui militiam sequuntur, otiosa plane videtur quæstio. Nam licet nonnulli in aliis passibus e. c. testamentis Principes jure militari gaudere contendant, non tamen memini, quenquam dictam legem secundam ad Principes applicasse. Quidquod ad Principes milites non pertinere, hosque inde excipiendos expresse fatetur *Ernest. Tenzel.* de donatione a Principe in filiumfam. collata. Certe quivis Principum a dignitate sua alienum putabit, suam hoc in passu turpitudinem prodere; nedum ea, quæ turpiter dedit, repetere.

* *Guido Pancirolus* in Thesauro variar. Lection. p. 1338. per focariam non meretricem sed eine Marquetennerin intelligi contendit.

§. CDL.

Adulteræ jure Rom. donari nequit. Memorata modo Juris Romani dispositio ad Concubinas solas seu mulieres *solutas* viris cohabitantes est restringenda, nec ad adulteras (quo nomine jure divino nostrisque moribus etiam veniunt solutæ cum maritis rem habentes) porrigenda. His enim adulter ipso etiam Romano jure nihil prorsus, neque per interpositam quidem personam, vel donare superstes, vel moriturus relinquere permittitur L. 6. C. de incest. & inutil. nupt. junct. L. 13. & 14. Dig. de his quæ ut indignis auferunt. * id quod hodienum in Imperio nostro inter ipsos Principes observatur. Sic *Lynckerus* nomine Facult. Jurid Jenens. nullam irritamque declaravit donationem omnem, quam Bernhardus Dux Saxo Jenensis in pellicem suam tanquam adulteram contulerat, de qua plura diximus de Matrim. T. 36. §. 470.

* *Petr. Gregorius* Syntagm. Jur. c. 35. n. 14. ejusmodi tabulis donationum fortunas velut in stabulum contaminatum projici, effundi, easque igitur pro injustis habendas esse scribit.

§. CDLI.

an liberis illegitimis Illegitimis imo ex damnato coitu natis liberis parentes naturali jure valide donare, ex ipsa dominii indole ac libera de rebus suis disponendi facul-

facultate colligitur. Jure Romano patrem, qui legitimos liberos habet, naturali ſuo plus donare non poſſe, quam is, qui inter legitimos omnes minus habet, accepit, ex Nov. 89. c. 3. matrem autem illuſtrem legitimos liberos habentem nihil penitus ſpurio ſuo ex liberalitate poſſe conferre, oſtendimus de patria poteſt. T. 13. §. 267. quod poſterius an caſu obveniente in Principiſſa Germaniæ locum ſit inventurum pro certo aſſerere non auſim. De liberis adulterinis, inceſtuoſis & ex damnato coitu natis magis expeditum videtur, quod iis jure civili donari a parentibus nequeat, utpote indignis omnis paternæ ſubſtantiæ beneficio, adeo ut nec alantur a patre (vid. tamen de patria poteſt. T. 1. §. 9.) L. 6. & Auth. ex Complexu C. de inceſtis nupt. Nov. 74. c. 6. Atque ita Facultas Juridica Jenenſis in modo memorato Reſponſo irritam declaravit donationem prædii, a Bernhardo Duce Saxo-Jenenſi filiæ ſuæ, ex pellice ſeu adultera ſuſceptæ, factam.

§. CDLII.

filiisfamilias a Principe donata fiunt quaſi caſtrenſia.

Suis liberis in quantum Principes valide donent, audivimus. Alio rum liberis non modo libere donant Principes, ſed peculiaribus etiam hæc ipſorum dona præ illis privatorum prærogativis & juribus gaudent. Sic cum jure civili Romano regulariter patri in bonis liberorum in poteſtate conſtitutorum adventitiis uſusfructus competat L. 6. pr. C. de bonis quæ liber. donationibus ab Auguſto vel Auguſta filiisfamilias factis id tribuitur præcipuum L. 7. eod. ne pater in iis uſumfructum ſibi vindicet, ſed ad *ſimilitudinem caſtrenſis* peculii omnem facultatem in eas filii vel filiæfamilias habeant. Quæ verba clare ſimul innuunt, acquiſita ex tali donatione ad peculium quaſi-caſtrenſe eſſe referenda, cujus rei rationem plerique hanc perhibent, quod Principes nonniſi arte & Marte bene meritis donare præſumantur. Parum tamen ſolidi hæc ratio habere videtur. Sequeretur enim exinde, quodſi hæc præſumtio contraria probatione, vel alia fortiore præſumtione elidi, ac doceri poſſit, Principem non ob bene merita, ſed ex ſola liberalitate e. c. infanti donaſſe, quod inquam tunc uſumfructum rei donatæ pater infantis ſibi vindicare poſſit, quod tamen contra mentem legis foret. Neque eſt, ut multum de ratione legis ſimus ſolliciti, cum illa in verbis immediate ſubſequentibus aperte hæc reddatur, ut principales liberalitates culmen habeant præcipuum.

 §. CDLIII.

§. CDLIII.

ejus rei effectus ostenditur

Quæcunque autem legis fuerit ratio, sufficit eam clare satis præcipere, ut ab Augustis donata castrensi peculio assimilentur, adeoque ad quasi-castrense referantur. Quare censuram omnino merentur *Lauterbach*, *Brunneman*, *Struv* aliique, qui ad adventitium irregulare idem referre satagunt. Merito quoque rejicitur distinctio *Bergeri* Oecon. Jur. L. 2. T. 20. §. 33. n. 11. sitne talis donatio facta filio in munere constituto nec ne? priori casu illam ad castrense vel quasi, posteriori ad adventitium irregulare refert. Lege enim non distinguente, nec nostrum est distinguere. Accedit, quod ratio dictæ L. 7. ceu modo ostendimus non in meritis donatarii, sed in dignitate donantis sita sit. Neque inanis aut de solis vocibus hæc est controversia. Usus ejusdem haud exiguus se exerit circa facultatem testandi, quæ filiofamilias quidem competit in peculio castrensi vel quasi, non autem in adventitio irregulari L. penult. C. qui testam. facere poss. & princ. Inst. quib. non est permiss. fac. test. Porro filiusfamilias emancipatus si testamentum condit, sicut de reliqua sua substantia, ita & de bonis ex peculio adventitio irregulari parentibus debet portionem legitimam. Vid. tit. Dig. Cod. & Inst. de inoff. testam. & Nov. 115. At testamentum filiifamilias de peculio castrensi vel quasi factum per inofficiosi querelam rescindi nequit L. 24. C. de inoff. testam. quod tamen quoad Clericos correctum Nov. 123. cap. 19. ubi Clerici res quolibet modo ad eorum dominium venientes habere sub sua potestate præcipiuntur, ad similitudinem castrensium peculiorum, & donare secundum leges, & in his testari, licet sub parentum sint potestate: Sic tamen, ut filii, aut his non existentibus, parentes legitimam partem ferant.

§. CDLIV.

Apanagiatorum donationes his privilegiis non gaudent.

Eandem hanc prærogativam, quam donationes ab Augusto vel Augusta filiofamilias factas habere audivimus, etiam ad donationes a Principibus Imperii regentibus eorumque uxoribus in filiosfam. collatas extendere non dubitamus, cum & hi in suis territoriis Augustorum jure gaudeant, quo cum Apanagiati destituantur, vix est ut paria jura donationibus ab iisdem factis vindicemus, aut usumfructum in re ab Apanagiato in filiumf. donationis

nationis titulo collata hujus parenti denegemus. Sed quid si filiisfam. Statuum Imperii ab extraneo donationes obveniant, ad quodnam peculii genus hæ erunt referendæ. Et quidem si donator ille extraneus itidem est Princeps Imperii regens, dubitandum non est, quin ob rationis paritatem tale donum peculio quasi castrensi sit annumerandum, atque in eodem ususfructus patri donatarii denegandus. Sin donator fuit Apanagiatus aut privatus alius, stricto quidem jure ejusmodi dona prærogativa nulla gaudent, vix tamen illustris donatarii parens filio suo plenum in re tali dominium invidebit, aut usumfructum sibi asseret. Conf. *Rhetii* Inst. Jur. publ. L. 2. T. 33. ubi statuit in eo, quod donatum est liberis Statuum Imperii, parentes usumfructum non habere.

§. CDLV.

Nonnisi uni eandem rem in solidum posse donari, ipsa naturalis ratio dictitat. Sed si de facto Princeps eandem rem duobus diverso tempore ita donat, ut priori eandem saltem promittat, posteriori simul tradat, potior nihilo secius prioris erit conditio. Hic enim Principem perfecte jam habuit obligatum. Neque obstat, quod tradita ipsi res haud fuerit, cum traditio naturaliter nec ad donationis perfectionem, nec dominii translationem requiratur. Imo nec aliter se res habet in Principibus Imperii nostri regentibus, quippe qui in dubio tanquam Principes, & intuitu publicæ administrationis, in qua lege Romana non tenentur, donare censentur. Quoad Apanagiatos autem, quippe qui tanquam privati donant, Romana legislatio haud exulabit.

Pluribus si eadem res a Principe donatur, cujus conditio sit potior?

§. CDLIV.

Ubi vero Princeps rem pluribus vel communiter possidendam, vel pro partibus quotis donat, quilibet assignata sua portione fruetur, ita tamen ut, alterutro sine heredibus mortuo, alteri pars ipsius ex naturalis juris placitis haud accrescat. Duplex enim tali casu celebratur donatio ex quarum una alteri jus nullum est quæsitum. Contrarium autem jure Romano expresse dispositum L. un. C. si liberalitatis Imperialis socius sine herede decesserit * his verbis: Jubemus, ut si quis forte ex his, quibus communiter a nobis aliquid donatum sit, nullo herede relicto decesserit, ad consortem potius solatium quam ad personam aliam (e. c. fiscum, dominum directum * *) pars

In Principum donationibus obtinet accrescendi jus.

pars decedentis perveniat. Id quod ad donationes ab Imperii nostri Principibus factas etiam pertinere nullus dubito. Quamvis enim Imperii Principes in publica territoriorum administratione, cujus intuitu donare præsumuntur, jure Romano haud teneantur, liberum tamen ipsis est, privilegia jure Romano concessa suis pariter subditis indulgere, idque in dubio, & nisi aliam lege contraria voluntatem declaraverint (quod sane ipsis debet esse integrum) fecisse præsumuntur per generalem Juris Romani receptionem. Simul etiam hinc patescit, quod hoc accrescendi jus in Principum regentium donationibus, in Apanagiatorum publico regimine destitutorum non æque obtineat, quippe quibus privilegia concedere non est integrum. Ut itaque in horum etiam donationibus accrescendi juri locus fiat, requiritur, ut illud diserte promittatur, adeoque pacto ac stipulatione acquiratur.

* *Schilter.* Inst. Jur. publ. L. 2. T. 6. §. 3. hoc restringit ad casum, ubi donatarius *sine liberis* decedit, tuncque non heredem ab intestato, sed socium liberalitatis Imperialis succedere in parte donata existimat.

** Vulgo enim Doctores hoc jus accrescendi etiam ad feuda a Principe pluribus donata extendunt, adeo ut uno horum sine heredibus defuncto ejus portio non ad Principem, qua dominum directum revertatur, sed reliquis accrescat. Vid. *Stryck.* Exam. Jur. feud. c. 16. qu. 9. *Rhet.* Inst. Jur. publ. L. 2. T. 21. §. 4. invita forte juris feudalis analogia 2. feud 12. quam etiam præfert *Gothofred.* ad cit. L. un. Add. de Heredit. T. 26. §. 580.

§. CDLVII.

Ecclesiis in quantum licet donare

Mysticis quoque personis ac societatibus, imo & Ecclesiis, templis, seu potius per illa publicæ rei donari valide posse, quotidiana docet experientia. * Cavendum tamen, ne ejusmodi donationibus ansa superstitioni præbeatur. Unde Princeps Pontificius, qui imaginibus Sanctorum, in templo Lutherano positis, ornamenta pretiosa donare voluerit, admittendus vix videtur. Abstinendum potius tali casu a munere, quam in partem perversi cultus descendendum. Vix enim alia quam superstitiosa mente ejusmodi donatio suscipietur. Criminosam autem alterius intentionem admit-

mittens, ubi impedire eandem poteſt, ſine dubio eodem ſe delicti genere involvit. Conf. *Klein* de jure circa Margaritas p. 45.

* Vix conſentientem quemquam reperiet *Thomaſius*, dum de Natura bonor. Seculariſator. §. 21. not. n. dationem uſus ad pias cauſas rem meræ liberalitatis *ſemper revocabilis* venditat.

§. CDLIIX.

Ipſi Principi a ſubdito poſſe donari, non ambigendum, utut illud Joannem Sichardum, neſcio quibus ex rationibus negaſſe, deprehendam apud Gundling. de Principe hered. ex teſtam. civium p. 27. Lites tamen donatas ſe non ſuſcepturum reſcripſit D. Pius L. 22. §. 2. Dig. de jure fiſci. Conf. de Heredit. §. 569. De Atheinenſibus ſcribit *Herodot.* L. 6. c. 89. p. 469. apud eos Reipublicæ dono dare lege vetari, ideoque Corinthios ipſis 20. naves vendidiſſe ſingulas pro quinis drachmis. Vide dicta ſupr. L. 1. T. 2. §. 53. *an Principi?*

§. CDLIX.

Miniſtris & legatis nonnunquam dona accipere interdici, ſuo loco monuimus. Chinenſis Imperii Proceres hodienum tam diu recuſare dona, usque dum ad accipienda antidora ſe obſtringat donator, ut magis permutatio, quam donatio videatur memorat *Ludewig.* de donationib. p. 127. *Miniſtris*

§. CDLX.

Denique & incerto e. c. primo occupanti poteſt donari, quale quid in miſſilibus cernitur vid. Real. Princ. Jus L. 1. T. 14. §. 183. modo donatarius ab initio incertus ex poſt facto certus reddi queat. Vid. de Heredit. T. 25. §. 544. Alias enim donatio exitum habere non poſſet. Pertinet huc quod de Gallo quodam perhibetur, extruxiſſe eum magnificum Palatium hac impoſita inſcriptione: pour l'homme content, ſimulque declaraſſe, ſe palatium illud ei donaturum, qui ſua ſorte contentus primus ſe obtulerit. Poſt ſpatium ſatis diuturnum obtulit ſe quidam, ſe ſua ſorte contentum prædicans, cui tamen dominus reſpondiſſe fertur: contentus ſi eſſes, domum meam haud poſtulares. Facile igitur apparet, declarationem ac donationem ipſius ob nimiam donatarii incertitudinem exitum habere non potuiſſe, nec quicquam præter vanum ingenii luſum continuiſſe. *incerto.*

TITULUS IV.

Quid donari poſſit?

*
* *

Solæ res donatoris propriæ donantur, non autem alienæ, aut in quibus tertio cuidam jus eſt quæſitum. Subditorum tamen bona a Principe bona fide donata, vindicari nequeunt.

§. CDLXI.

Donantur non-niſi res donatoris propriæ.

Donatio eſt ſpecies alienationis. Omnis autem alienatio eſt dominii effectus. Ceſſante itaque dominio, tanquam cauſa, ipſa etiam donatio tanquam effectus ceſſabit, & proinde nemo alias res, quam quæ ipſius ſunt propriæ, & quarum dominus exiſtit, donare valebit. Nec plus juris in alium transferre quisquam poteſt, quam ipſe habet. Tam naturale hoc eſt, ut nec incultas barbarasque gentes fugiat. Recte omnino Athabalipa, Peruvianorum Rex, Hiſpanis (nominatim Piſardo a Carolo V. Imperatore miſſo & Vincentio de Valle Viridi Monacho) Regnum ſuum invadentibus, Pontificisque Romani donationem interſerentibus, reſpondit, ſtulti eſſe aliena velle donare. *

* Nihilo ſecius verba Bullæ Papalis, quibus Alexander VI. Ferdinando & Iſabellæ novum Orbem donat ita ferunt: de noſtra mera liberalitate & ex certa ſcientia ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes inſulas & terras firmas inventas & inveniendas, detectas & detegendas verſus occidentem & meridiem; fabricando & conſtruendo unam lineam a polo arctico, ſcilicet ſeptentrione, ad polum antarcticum, ſcilicet meridiem (ſive terræ firmæ

firmæ & insulæ inventæ & inveniendæ sint versus Indiam aut versus aliam quamcunque partem) quæ linea distet a qualibet insularum, quæ vulgariter nuncupantur de los Azores y cabo verde centum leucis versus occidentem & meridiem: ita quod omnes insulæ & terræ firmæ repertæ & reperiendæ, detectæ & detegendæ a præfata linea versus occidentem & meridiem per alium Regem aut Principem Christianum non fuerint actualiter possessæ usque ad diem nativitatis Domini nostri JEsu Christi proxime præteritum a quo incipit annus præsens millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius: quando fuerint per nuntios & Capitaneos vestros inventæ aliquæ prædictarum insularum; auctoritate omnipotentis Dei nobis in beato Petro concessa ac Vicariatus JEsu Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis, & villis, juribusque & jurisdictionibus, ac pertinentiis universis: vobis heredibusque & successoribus vestris Castellæ & Legionis Regibus in perpetuum tenore præsentium donamus, concedimus, assignamus, vosque & heredes ac successores præfatos illarum dominos cum plena libera & omnimoda potestate auctoritate & jurisdictione facimus, constituimus & deputamus &c.

§. CDLXII.

Quæ cum ita sint, mirum videri posset, quod vulgo perhibetur, etiam res alienas a Principe valide donari, vel titulo oneroso alienari, earumque dominium in donatarium transferri, adeo ut nec a priscis dominis vindicari queant, vid. L. 2. & 3. C. de quadriennii præscriptione. Sed non est, ut hanc Principum prærogativam iniquitatis aut injustitiæ accusemus. Supponitur enim Principem bona fide rem alienam a se possessam cuidam donasse, quo casu naturali quidem jure expeditum est, verum dominum rem suam recipere, donatario autem a donatore ne quidem rei donatæ æstimationem esse præstandam. Habebat enim dominii opinio in mente donantis vim conditionis, qui si rem alienam esse scivisset a donatione abstinuisset. Accedit, quod donator de damno vitando, donatarius de lucro captando certet.

Si tamen Princeps aliena donat

§. CDLXIII.

Donatio valida, salvâ ad æstimationem actione.

At jure civili justas ob causas id omne paululum est mutatum, atque ut eo facilius Principum negotia exitum sortiantur, donatarius statim de dominio rei a Principe donatæ redditur securus, vero autem ejus domino, cujus plerumque negligentia cernitur circa res, a Principe bona fide possessas, quasi in pœnam neglectæ possessionis rei vindicatio denegatur, ejusque loco saltem intra quadriennium rei amissæ æstimationem a Principe petere, permittitur. Quæ lex cum mere civilis sit, ad solas subditorum res, bona fide a Principe donatas, vel alienatas restringenda. Quodsi enim Princeps extranei res donaverit, is sane elapso etiam quadriennio jus suum persequi poterit, nec sola rei æstimatione contentus præcise esse debebit, sed ipsam rem juste quidem vindicabit, ex prudentiæ tamen regulis oblatam a Principe æstimationem potius acceptabit, quam ulteriori difficili satis ipsius rei persecutioni inhærebit.

§. CDLXIV.

Quod & ad Augustarum, non autem Apanagiatorum donationes pertinet.

Atque hoc securitatis privilegio non modo donationes ab Imperii Principibus factæ gaudebunt, sed & quæ a conjugibus ipsorum, quia & hæ fisci jure gaudent. Ad Apanagiatorum autem donationes hoc privilegium extendere non ausim. Hi itaque si rem alienam donent, hæcque a domino vindicetur, quoad evictionem ab iis præstandam usum exeret distinctio, num donatio solam liberalitatem an simul debitum contineat, seu ut alii efferunt, num simplex sit, an remuneratoria. In hac evictio est præstanda in tantum, quam talis remuneratio debitum continet, non autem in quantum liberalitatem meram. Tunc enim sicut in simplici nulla præstatur evictio. Conf. Tit. 5. §. 4. L. 27. Dig. de donat. L. 18. §. 3. Dig. eod. nisi subfuerit dolus, quem quidem donator, non autem heres ipsius præstabit.

§. CDLXV.

Bona fiscalia & domanialia Princeps

Cum igitur nonnisi res donatoris propriæ donari possint, sponte sequitur, bona fiscalia & domanialia regulariter a Principe donari non posse. Illorum enim sola administratio, horum autem fructus soli ad Principem spectant, proprietas ad populum, vid. Tit. 1. §. 417. ex quo capite nostra memoria Livoni donationes bonorum domanialium a Suecorum Rege factas impu-

impugnarunt, nec jurejurando tales alienationes sanari, memorabili Hungariæ Regis exemplo docet cap. 33. X. de jurejur. *donare nequit.*

§. CDLXVI.

A donatione multum differt renuntiatio in heredis legitimi favorem facta. Hac mediante & publicorum bonorum administratio in eum potest transferri. Spectant huc Principum abdicationes, die Uebergab der Regierung bey Lebzeiten. Artaxerxes Persarum Rex se vivo imperium in filium Darium transtulit apud *Justinum* L. 20. c. 1. Ptolomæus Ægypti Rex regno publice filio tradito privatus officium Regi inter satellites fecit, omnique regno pulchrius Regis esse patrem duxit, teste *Justin.* L. 16. c. 2. *Sed iis renuntiare.*

Sigismundus Tirolensis, quod legitimam prolem haberet nullam, Maximilianum I. patruelis filium adoptionis jure omnibus ditionibus suis donavit. *Fugger* Spiegel der Ehren L. 2. c. 12. ibi: Ertz-Hertzog Sigmund, der nun ein hohes Alter auf sich, und keinen Erben mehr zu hoffen hatte, auch zu den Regierungs-Sorgen verdrossen war, beschiede seine Lands-Stände nach Inspruck, sprach sie ledig von ihrer Eydes-Pflicht, und ließ sie dem Römischen König, als ihren angehenden Landes-Fürsten, schweren, den er in ihrer Gegenwart an Sohnes statt aufnahme, ihm alle seine vom Vater ererbte Länder abtratte, und übergabe, und allein auf übrige Lebenszeit ein gewisses jährliches Einkommen ihm vorbehielte.

Nota pariter est abdicatio Christinæ Sueciæ Reginæ in ipso ætatis & fortunæ flore facta. Nostra memoria 1724. Philippus V. Hispaniæ Rex vivus Ludovico filio Regnum cessit, & Victor Amadeus Sardiniæ Rex 1730. filio Carolo Emanueli.

In Germania Seculo XIV. Otto Stetinensis Dux monasterium ingreditur, regimen relinquens Barnimo III. filio. Henricus junior Brunsuicensis Imperatori infensus 1521. filiis regimen tradens in Galliam se recepit. Georgius Fridericus Durlacensis Marchio cum contra Imperatorem Friderici V. Palatini partes sequeretur 1622. filio Friderico regimen resignavit. Simile quid de Comite Lœwensteinensi annotavimus, cum de emancipationibus ageremus. Quanquam autem tale negotium a donatione differt, non

tamen ideo ad ultimam voluntatem est referendum, nec pater tali casu filio invito regimen iterum auferre valet, quod cum 1731. Victor Amadeus Sardiniæ Rex tentaret, non injuste a filio carceri inclusus. An autem filio præmortuo recipere pater Imperium possit ? dixi de Heredit. §. XI. An pater abdicans fiat subditus filii regentis ? dixi de patria potest. §. 331. An Princeps post imperii, quod electionis jure tenuit, abdicationem adhuc uti queat insignibus Imperii, item titulo DEI gratia, disquirit *Sam. Frid. Willenberg* de veneratione erga Principem post abdicatum imperium p. 28.

§. CDLXVII.

Nec bona singulorum

Privata subditorum bona a Principe, ad subditos ea spectare sciente, donari plane non poterunt. Horum enim nec administratio nec fructus Principi competunt, sed solum eminens in ea dominium, quod cum solo necessitatis casu, quo certe donatio referri nequit, obtineat, nulla hinc donandi facultas poterit exsculpi. Sed an ad donationes a Principe peragendas tributa subditis imponi possint ? diversa hinc est quæstio. Utiles saltem, si non necessariæ quandoque sunt Principum in Republica largitiones & donationes ad detegendas conspirationes, rebelliones, hostiumque machinationes, quibus ut sufficiat Princeps recte prudenterque sæpenumero subditis imperantur tributa. Pertinent huc pecuniarum summæ, quas Parlamentum Anglicanum Regi suo ad secretas ut vocant, expensas concedere solet.

§. CDLXIIX.

sed bona patrimonialia.

Conficitur ex dictis, Principem ea demum bona recte donare, quæ privato ipsius patrimonio subsunt, sive mobilia sint, sive immobilia, integraque territoria. Sic donatione inter vivos Umbertus Delphinatum 1349. Galliæ Regi dedit. Vid. *Theodor a Niem* Hist. L. 2. c. 25. * Quidquod omnia bona valide inter vivos donari tum libera de rebus suis disponendi facultas, tum ipsa lex civilis 35. §. 4. C. de donat. & L. 8. C. de revocand. donat. L. 5. C. de inoff. donat. innuit **, & speciatim in Imperio nostro illustri exemplo confirmavit ultimus Schwalenburgensium Comes, qui 1346. Waldecciæ Comitatum cum reliquis suis bonis omnibus donatione inter vivos Ottoni Comiti Waldeccio cessit cujus posteri postea 1431. & 1438. dictum

dictum Comitatum Landgravio Hassiæ in feudum obtulerunt. Unde olim Hassiæ Landgravii Waldeccios pro immediatis Imperii Comitibus agnoscere detrectarunt, donec lis 1635. transactione inter Landgravium Wilhelmum & Comites Christianum & Volrathum inita, paceque Westphalica confirmata, ita sopiretur, ut Regalia (quæ primitus Wenceslaus Imperator Henrico IV. Comiti sub feudi lege concesserat) & superioritatem Comites ab Imperio, terras ab Hassiæ Landgravio recognoscerent, ceu pluribus refert *Struv.* de Allod. Imp. §. 31. p. 50. Ceterum ob strictam, quæ in donationum materia adhibetur, interpretationem expedit, specifice & sigillatim mentionem injicere omnium bonorum ac rerum corporalium ac incorporalium, propriorum & alienorum ad usucapiendum, præsentium & futurorum, mobilium & immobilium, jurium & actionum, feudi & allodii ubicunque sitorum nullo genere rerum & jurium excepto.

* Alexandrum M. Regna bello parta donationis jure in Proceres transtulisse, ex male intellecto loco 1. Maccab. I. v. 7. existimat *Tolosan.* de Republ. L. 7. c. 20. §. 54. p. 317.

** Priscis Germanorum moribus, & quidem Taciti ævo omnia bona ludendo perdere, quidni donare licebat. Postea tamen prohibita omnium bonorum donatio. Land-R. L. 1. art. 34. ibi: Ohn des Richters Urlaub mag ein Mann sein eigen wohl vergeben mit Erbes-Gunst NB. also daß er behalte eine halbe Hufe und eine Hoffstedt, da man einen Wagen wenden möge. Succinit Schwabenspiegel c. 306. Inter Principes hujus rei nullum esse usum, facile liquet.

§. CDLXIX.

Debet autem res donationis titulo transferenda ita esse donatoris propria, ut nec alius quisquam aliquid juris in eadem habeat. Hinc Vasallum feudum sine domini directi consensu donare non posse, supra jam observavimus. Hinc porro filiusfamilias peculium, uxor dotem sine parentis & mariti consensu donare non valent, ob usumfructum scil. quem pater in liberorum peculio, maritus in dote habet. Hinc denique hereditas ex pacto vel lege debita donari nequit, quo pertinent familiæ fideicom-

in quibus tertio nil juris

commissa, portio legitima liberorum ac parentum; Hergewetta ac Gerada: Gerada quidem olim ex hac ratione, ne cognatæ proximæ, tanquam legitimæ ejus heredi præjudicetur, non alienari, nec proinde donari poterat. Hodie autem ea saltem marito donari nequit, quia inter conjuges prohibita donatio. Ubi id notandum, quod nec morte donantis facta marito ab uxore Geradæ donatio validitatem acquirat. Id enim quod morte donatoris conjugum donatio confirmatur, ex jure Romano est ac juri Saxonico incognitum, cui Gerada originem debet, quodque proinde hodienum hoc in passu, ut & in prohibita, ejusdem alienatione mortis causa observatur. Utut hodierni mores in tantum ab eodem recedant, ut in proximæ cognatæ præjudicium Geradæ donationem inter vivos extraneo, (i. e. qui non est maritus) venditionem autem indistincte, sive marito * sive extraneo factam sustineant, utut talis venditio marito facta in effectu cum donatione coincidat, quia maritus est heres uxoris mobiliaris, adeoque & pecuniæ, quam pro Gerada solverat.

* Qui tamen tunc ex nonnullorum opinione justum Geradæ pretium solvere debet, quia residui remissio, tanquam donatio inter conjuges illicita, cum ex adverso emtor extraneus vilissimo etiam pretio Geradam acquirere sinatur. *Carpzov.* tamen in marito quoque Geradæ emtore vilissimum pretium sufficere putat..

§. CDLXX.

an & res, quarum usu donatarius est interdictus

In Imperio Romano-Germanico per Ord. Pol. de 1577. modus certus nobilibus Equitibus imo & Comitibus circa ipsorum vestes & ornamenta est præscriptus. Quodsi igitur Princeps quidam tali Equiti aut Comiti vestes aut ornamenta pretiosiora, quam eidem gestare convenit, dono offerat, quæritur sitne talis donatio valida, aut num [ad minimum donatarius ab usu rerum sibi donatarum abstinere tunc debeat? Et expresse in dicta Ordinatione deciditur, per eandem nec modum Principum donationibus poni, nec donatarios rerum donatarum usu interdici sed ipsis liberum esse debere, in honorem donatoris ornamentis pretiosioribus, quam alias ipsis erant permissa, uti, ita tamen ut fraus omnis exulet. Vid. dict. Ord. tit. 14. §. 2.

TITU-

TITULUS V.

Quomodo quibusque ſolennitatibus Principes donent?

* * *

Palmarium donationis requiſitum eſt libera de conceſſione gratuita voluntatis declaratio. Leges Civiles præterea nonnunquam traditionem, judicialem inſinuationem, acceptilationem &c. requirunt.

§. CDLXXI.

Forma donationis conſiſtit in ſpontanea eaque gratuita conceſſione * Ante omnia igitur in donatione requiritur liberæ voluntatis declaratio. Liberæ inquam, ad excludendum metum, dolum, & errorem. Quod enim a latrone vi extorquetur, non donatione ſed latrocinio eſt quæſitum, quo quicquid eripitur, juſte repetitur. Dolus autem ac error quoties vim conditionis in mente dantis vel promittentis habet, pariter conſenſum, eique innixam donationem vitiat. Unde ſupra notavimus confirmationem donationis Conſtantino affictæ ab Imperatore Henrico Luzelburgico factam nihil prorſus operari, quia erronea nitebatur opinione, qua hanc donationem a Conſtantino fuiſſe factam, falſo erat perſuaſus. Ex eodem fundamento donationem uxori putativæ factam morte donantis non confirmari, plerique aſſerunt. Vid. Tit. 2. §. 445. quia nimirum ex errore, ac ſi uxor putativa vera eſſet, donatio fuerit profecta. Ubi tamen deſidero, quod talis donatio facta videatur intuitu præſtitæ fidelitatis & amicitiæ,

Donatio debet eſſe libera

quæ cum re vera a putativa etiam uxore præstita sit, errore talem donationem niti, dici non poterit.

* Commodior hic terminus videtur illo *collationis* qui traditionem innuit, quæ tamen non præcise requiritur in donatione.

§. CDLXXII.

gratuita

Porro requiritur, ut donatio sit liberalis, seu gratuita, vel ut loquitur L 29. Dig. de donat. ut fiat nullo jure cogente, quod nec in ipsa remuneratoria donatione se aliter habet. Fallunt atque falluntur, qui ad remunerationem cogi quempiam jure posse contendunt, in quorum numero est *Carmon* de Remunerationibus Principum erga ministros c. i. n. 13. in suas partes citans *Gailium*, *Tiraquellum*, *Titium &c.* Obligatio qua ad beneficia accepta remuneranda tenemur imperfecta est, nec ei, qui beneficium præstitit, jus aut actionem tribuit ad exigendam remunerationem, Imo ipsa remunerationis indoles satis superque docet, eandem ad eas res pertinere, quæ tanquam indebitæ honeste accipiuntur, at inhoneste tanquam debitæ petuntur. Est enim remuneratio, quod ipsa vocis etymologia innuit, donum quod intuitu & in compensationem doni prius accepti datur. Si autem, quod negari nequit, donum gratis eaque mente datur, ut reverti idem ad nos nolimus, quo quæso jure ejus remunerationem exigere poterimus.

§. CDLXXIII.

quod in ipsa quoque remuneratione verum

Oritur, ni fallor, erroneum dissentientium dogma ex confusione obligationis perfectæ & imperfectæ, quæ licet ambæ, diverso tamen respectu, in eodem negotio simul concurrere possint, in se tamen spectatæ omnino differunt, diversaque jura pariunt. Sic minister qui pro mercede certa servit Principi, hunc quidem perfecte obligatum habet ad mercedem sibi debitam solvendam, eamque jure suo exigit. Quodsi autem ex superabundanti sua diligentia res Principis meliores reddit, superabundantem hanc diligentiam gratis collocasse, donasse censetur, & licet ad eam remunerandam ex gratitudinis lege Princeps obligetur, hæc tamen obligatio est imperfecta, neque minister actione quadam remunerationem a Principe invito postulare potest. Ubi vero Princeps ministro semel aliquid remuneratio-

rationis loco promiſit, tunc ex ipſa hac promiſſione miniſtro jus erit quæſitum, quod itidem recte poſtea a Principe etiam invito exiget, cum id, quod ab initio voluntatis & liberalitatis fuit, poſtea neceſſitatis & debitum plane factum ſit.. Interim cum in propoſito ſimilibusve caſibus quandoque & merces debita, & remuneratio indebita ſimul eodemque tempore dentur, utraque etiam generali remunerationis nomine comprehenditur, quod tamen ſicut improprie fit, ita cavendum, ne jura, quæ utrinque ſunt diverſiſſima, confundantur, debitumque liberalitatis, liberalitas autem debiti jure cenſeatur. His poſitis atque obſervatis plane non obſtant, aut diſſentientibus patrocinantur Leges, quas pro ſua excitant ſententia 27. & 34. Dig. de donat. Hæ enim id ſaltem volunt, remunerationem promiſſam eſſe præſtandam, non autem cogendum quempiam eſſe ad remunerationem nondum promiſſam, ut proinde prorſus concidat, quam hoc in paſſu inter donationem & remunerationem adverſarii differentiam fingunt.

§. CDLXXIV.

Spuriæ donationum ac remunerationum differentiæ

Monere ſimul hac occaſione liceat, reliquas etiam differentias inter donationem & remunerationem vulgo ſtatutas infirmo valde fundamento niti. Ajunt

1. remunerationem præſumi, non autem donationem. Sed nec remunerationem præſumendam eſſe, patet ex rationibus §. 475. adducendis
2. parentibus & liberis, nec non conjugibus, item tutoribus pupillorum nomine donationes eſſe interdictas non remunerationes. Reſpondeo conjugibus non modo remunerationes, ſed & donationes eſſe permiſſas, ſi neutra pars inde fit locupletior, aut pauperior. Quodſi itaque enormis adſit exceſſus, quo remuneratio ſuperat donationem, nec remuneratio talis conjugibus erit licita. Inter parentes & liberos non remunerationes modo ſed & donationes hodie eſſe licitas, oſtenſum Tit. 1. §. 432. Sin de jure Romano diſſentientibus eſt ſermo, vereor ut probare poſſint, eodem remunerationes inter patres & liberos obtinuiſſe. Fruſtra provocatur ad L. 77. §. 25. Dig. de leg. 2. quia ibi de legatis & fideicom-

 miſſis

missis agitur, quæ liberis conferre licebat, secus ac donationes, Tutoribus denique licere mercedem erogare in pupillorum commodum facile largior, ad remunerationes pupillorum nomine rependere negabo §. 475. Differendæ hæ potius sunt in majorennem pupillorum ætatem L. 12. §. 2. Dig. de admin. & peric. tutor. Strenæ tamen similiaque munera, si ex moribus dantur, vel plane in stipulationem veniunt, mercedis jure censentur recteque a tutore dantur.

3. remunerationes acceptatione & insinuatione non egere, quæ tamen in donationibus requiruntur. Resp. ne in simplici quidem donatione acceptationem requiri vid. §. 480. sqq. Ab insinuatione autem remunerationes, quatenus liberalitatem continent, jure civili esse immunes, ostendi nequit. Quatenus autem mercedem continent, improprie renumerationes vocantur.

4. in remuneratione evictionem esse præstandam, secus in donatione Resp. & remunerationem quatenus solam liberalitatem continet, ab evictione esse immunem. Conf. Tit. 4. §. 464.

5. remuneratorem beneficio competentiæ non gaudere quo tamen donator gaudet. Sed verius est, & remuneratorem eodem frui, si vera fuit remuneratio, nec ad debitum propius accessit. L. 49. Dig. de re judic.

Denique & jactant, quasdam inter donationem & remunerationem differentias, quæ Principes propius tangunt, & magis proinde hujus loci sunt. Sic ex ipsorum sententia

6. quando privati remuneratorie donant, bene merita respondere debent remunerationi, Principum autem remunerationes ad merita adstrictæ haud sunt. Vid. *Tenzel* de donat. filiofam. a Principe facta §. 9. Sed nolle cuperem, qua lege privatorum remunerationes ad bene merita præcise sint adstrictæ. Sin forte eo respiciunt dissentientes, quod privatorum remunerationes, utut 500. solidos

ſolidos excedentes, ab inſinuationis neceſſitate immunes eſſe contendunt, principium eos petere regero.

7. Principum donationes perhibent ſemper præſumi remuneratorias, etſi bene merita expreſſa non ſint, quia Princeps nonniſi de Republica arte & Marte meritis donare cenſetur, at privatorum remunerationes eſſe invalidas, niſi bene merita ſpecialiter ſint expreſſa, generalem eorum mentionem ſaltem ad colorandum negotium additam videri, nec juramento accedente juvari. Sic ex *Mynſingero, Richtero & Stryckio* rationes ſubducit *Carmon* l. c. p. 10. At quantum mihi quidem conſtat, ne quidem in privatorum remunerationibus inſtrumenta deſuper conficienda requiruntur, contrarium potius colligo ex L. 29. 31. C. de donat. nedum ut bene merita ſpecialiter iisdem inſerantur. Nec ſatis cohæret hoc diſſentientium aſſertum cum illo, quo remunerationes præſumi, ſecus ac donationes aſſerunt. Certe ſi præſumuntur, tam anxie & rigoroſe earum probatio non eſt exigenda.

8. Simplices donationes a Principe factas ab eodem pro lubitu revocari poſſe exiſtimat *Zœſius*, remunerationes autem etiamſi ſint enormes, ne quidem ob ingratitudinem, ut putat *Menochius*, aut feloniam, quæ eſt ſententia *Schraderi* de feudis, a Principe revocari poſſe. At enimvero ſicut parum Principum dignitati ac fidei conſulitur, ſi donationes rite celebratas revocandi ſine cauſa licentia ipſis conceditur, ita plane non video, quare remunerationum, quæ ex liberalitate provenere, revocatio ex ingratitudinis aut feloniæ capite Principibus ſit deneganda, cum ex eodem feuda titulo plane oneroſo quæſita liceat adimere.

§. CDLXXV.

Hæc occaſione remunerationis notaſſe non pœnitebit. Redeamus in viam, & poſtea quam vidimus, donandi voluntatem eſſe debere ſpontaneam & gratuitam, porro obſervemus, non ſufficere ad donationem ſolum liberæ voluntatis actum internum, utpote non congruentem naturæ

societatis humanæ, sed opus esse, ut declaratio ejusdem sive per verba, sive per alia signa externa facienda accedat. Quare accurate loquendo nunquam præsumitur donatio, & licet detur donatio tacita per facta nimirum declarata, non tamen datur præsumta, quatenus tacitæ opponitur. A consensu enim præsumto exulare debet omne factum ejus, cujus consensus præsumitur. Quid enim opus præsumere consensum, ubi ille per facta declaratur. Ex facto si elici potest consensus, tacitus erit, non præsumtus. Cum autem citra factum donantis donatio concipi nequeat, sequitur nullam plane donationem præsumtam dari, ne quidem in infantibus & furiosis. Nam ne hi suum jactare præsumuntur, nec proinde quicquam ex ipsorum bonis a curatoribus potest donari, de facto autem donatum superveniente recto rationis usu aut morte revocari poterit. Quod vero nonnullis dicitur, præsumi donationem ex dantis affectione & accipientis indigentia e. c. in iis quæ sponsæ a sponso, liberis a parentibus dantur, illud omne ad tacitam donationem referendum, & in sensu generaliori accipiendum est, quo omissa verborum ἀκρίβεια τὸ præsumtum accipitur pro eo quod fit tacite h. l. per traditionem rei, quæ tacitum consensum tali casu involvit, non præsumtum, quippe a quo, ceu modo diximus, exulare debet omne factum ejus, qui consentire præsumitur.

§. CDLXXVI.

Traditio & judicialis insinuatio in quantum donationibus necessaria.

Sive autem hæc voluntatis declaratio fiat per verba sive per scripta, aut alia signa perinde erit. Naturaliter enim sicut in genere ad dominium transferendum, ita & ad donationem perficiendam solus consensus sufficit. Antiquo Romanorum jure quomodocunque se res habuerit vid. L. 9. §. 3. Dig. de donat. ubi dicitur, donari non posse, nisi quod ejus fit, cui donatur, recentiori certe jure Romano, quo hodienum Principes Imperii utuntur, ad pariendam obligationem efficacem in donatione 500. solidos non excedente * solus donatoris consensus sufficit §. 2. Inst. de donat. L. 35. C. eod. ad ipsum autem rei donatæ dominium acquirendum præterea requiritur traditio ** quoties nimirum Principes sibi invicem vel extraneis non subditis donant (Subditis enim si donant non tanquam privati, sed qua Principes ac lege civili soluti donant, adeoque & sine traditione dominium transferunt) Sin donatio summam quingentorum solidorum

superat

ſuperat, ſola voluntatis declaratio non ſufficit, ſed illa interveniente actorum teſtificatione coram judice quocunque, quem donator voluerit, vid. de Proceſs. T. 5. §. 132. conficienda. Alias enim & omiſſa inſinuatione judiciali donatio quatenus dictam ſummam excedit, eſt irrita L. 27. 30. 36. C. de donat.

* Olim 72. ſolidi unam liberam auri efficiebant L. 5. C. de ſuſceptorib. Hodie 500. ſolidis 1000. Imperiales ſive Joachimici reſpondere putantur. Alii tamen ut *Stryck.* ad Lauterbach p. 859. 500. Ducatos in ſpecie malunt. Ceterum licet hæc ſumma forte tempore Romæ divitis opibusque abundantis fuerit determinata, & hodiernis temporibus, quæ majori rerum inopia premuntur, ad minorem redigenda videri poſſet, merito tamen priſcæ diſpoſitioni inhæretur, donec lege publica alia quantitas præfiniatur.

** Adeo ſi Titius Meviæ fundum donet, poſt aliquod tempus autem ante traditionem eundem pignori obliget, & poſtea demum Meviæ tradat, firmum nihilo ſecius maneat pignus L. 35. §. 1. Dig. de donat. ſalva tamen propter hodiernorum pactorum efficaciam Meviæ actione perſonali contra Titium.

§. CDLXXVII.

Hæc autem inſinuandi neceſſitas, ſicut alias nonnullis in caſibus remittitur e. c. ſi magiſter militum militibus donat, aut donatio facta ad redemtionem captivorum, aut domus incendio vel ruina ſublatæ refectionem L. 36. C. de donat. * addunt DDres donationem juramento firmatam, it. remuneratoriam, de donatione propter nuptias vid. Tit. 6. §. 490. ita in ſpecie inſinuatione non eget donatio a Principe facta, aut in Principem collata, tum propter L. 34. pr. C. de donat. Nov. 52. c. 2. tum etiam & præcipue ex ipſa ſummæ poteſtatis indole, quæ legibus civilibus ſolos ſubditos, non ipſum ſummum imperantem ſubjicit. Quodſi itaque Princeps Imperii cuidam, utut extraneo, non ſubdito aut hic illi ultra 500. ſolidos donat, valida quidem erit donatio propterea quod ipſe Princeps jurisdictione pollet, hæc autem inſinuatio voluntariæ eſt jurisdictionis. *jure Rom.*

Ob

Ob quam rationem etiam admitto id, quod diverso quidem ex principio asserit *Stryck* de jur. allod. Princ. Imp. c. 5. n. 36. p. 79. Status Imperii bona sua allodialia citra insinuationem recte donare. Quod vero innuit *Ludolph* de jur. fœm. illustr. p. 59, not. b. donationem Principis agnato aut non subdito factam insinuatione indigere, tum demum se exerit, si ipse donator jurisdictione destituitur. Sin uxor Principis ** aut Princeps quidam Apanagiatus jurisdictione destitutus, ultra 500. solidos in alium itidem jurisdictione destitutum donatione conferre, vel accipere vult, insinuandi necessitatem subterfugere non poterit.

* Non item ad alias pias causas L. 15. 19. C. de SS. Eccles.

** Imo ipsa Augusta in casu si subdita est. *Mylerus* quidem in Gamolog. c. 7. §. 11. donationem a Principis uxore factam, usque ad aliquot millia aureorum ascendat, insinuatione non egere ex pr. L. 34. C. de donat. colligit, ubi tamen an sub donationibus *Imperialibus* etiam illæ quæ ab Augusta fiunt intelligantur, dubium existit.

§. CDLXXVIII.

Ad evitandam insinuandi necessitatem commendari solet cautela ut magna donatio in plures particulares distribuatur quarum nulla summam quingentorum solidorum attingat. Pertinet huc clausula, quæ occurrit in instrumento super pactis dotalibus Philippi Sabaudi cum Maria Amadei Comitis Genevensis filia de 1346. ibi: Sin autem matrimonium propter culpam evidentem dictæ Mariæ vel dicti domini Comitis vel alterius de parte sua non compleretur, tunc in illo casu prædictus Dominus Comes donat donatione pura mera simplici & irrevocabili inter vivos prædicto Philippo & prædicto domino Principi & mihi memorato Notario recipienti & solenniter stipulanti, vice nomine & ad opus dicti Philippi prædictos septem mille florenos prædicto domino Principi in solutione prima solvendos, faciens de prædictis dicto Philippo & dicto Domino Principi & mihi jam dicto Notario ut supra recipienti, *tot singulares particulares donationes* quod nulla ipsarum insinuatione non indigeat nec summam quingentorum excedat aureorum &c. - - - - promisitque ad Sancta Dei Evangelia corpo-

-raliter tacta & juravit sub obligatione omnium bonorum suorum præ-
-cto Domino Principi in illo casu contra prædictam donationem non fa-
-re vel venire per se vel per alterum publice vel occulte. Et vice versa &c.
-agno labore otiosæ ac supervacaneæ cautiones videntur cumulatæ.

§. CDLXXIX.

Jure Saxonico non tam ad rei donandæ quantitatem, quam qualitatem *Saxonico.*
-spicitur, & differentia statuitur, sitne illa mobilis an immobilis? Im-
-obilis etiamsi infra 500. solidos præter consensum heredum intervenien-
-m, judicis & competentis quidem autoritatem requirit. At mobilis etiam-
-dictam summam excedat citra judicialem autoritatem heredumve consen-
-m a non ægrotante recte donatur Land-R. L. 1. art. 52. ibi: ohne Erben
-ub und ohn echte Ding (termino judiciali) mag niemand sein eigen
-rgeben. Alle fahrende Haabe giebt der Mann ohn Laub der
-rben in allen Stetten, und läst und leyhet Guth, dieweil er sich also
-ermag, daß er sich begurt mit einem Schwert und mit einem Schild
-uf ein Roß kommen mag von einem Stein oder Stock, der einer Ellen
-och sey, ohne Mannes Hülff, also daß man ihm das Roß und den
-Steigreiff halte. Wenn er das nicht thun mag, so mag er weder ver-
-eben noch verlassen noch geleyhen, daß er jemand damit entfremde, der
-s ist warten nach seinem Tod. Add. Schwabenspiegel c. 22. & 379.
-atio itaque, quare ægrotus donare prohibetur, est ne hac ratione fraus
-at legitimo heredi. Hodie autem cum legitimo heredi mobilia necessario
-on amplius relinquenda sint, ipsa etiam ægrotorum donatio in Saxonia
-ustinetur.* Cumque hodie in Saxonia etiam Jus Romanum subsidiarie
-receptum sit, etiam mobilium donatio 500. solidos excedens coram judice,
-utut alias incompetente, insinuari debet. Quare si fœmina Saxonica ultra
-500. solidos donat, licet alias in mobilium alienatione Curatore non indi-
-geat, ideo tamen Curatore opus habebit, quia sine eo in judicio stare
-nequit. Ceterum cum ipsi Saxonici Principes jus Saxonicum in suis cau-
-sis receperint, nec ipsorum donationes bonorum immobilium in Saxonia
-sitorum a necessitate judicialis insinuationis erunt immunes, quæ tamen in-
-sinuatio adesse intelligitur, quoties donatio fit vel a Principe vel ipsi Prin-
-cipi, cujus jurisdictioni res donata immobilis subest.

* Vestigium tamen prisci juris Saxonici hodienum cernitur in Lusatia superiore, ubi vi privilegii Ferdinandei de 1544. Eques prole mascula destitutus, prædium feudale tum demum alienare sinitur, si iis viribus est præditus, ut coram Prætore Marchionatus loricatus equum adscendere possit, Er muß in seinem Küriß von der Erden auf ein hengstmäßiges Pferd aufsitzen. Quod valetudinis experimentum ac exercitium reapse aliquoties peractum anno scil. 1626. a Gersdorfio, 1670. a Warnsdorfio, 1671. a Barone Schellendorfio. Vid. *Wolff. Adolph de Leibniz* diss. de alienatione feudorum Lusatiæ superioris.

§. CDXXC.

Acceptatio donatarii

Vidimus, qualis esse quibusque solennitatibus declarari debeat voluntas ex parte donantis, reliquum est, ut dispiciamus, in quantum donatarii voluntas seu acceptatio ad donationis validitatem requiratur? Equidem ad effectum, ut donatio dici possit pactum aut conventio, quæ plurium (non unius) consensum innuit, donatarii quoque acceptationem esse necessariam dubio vacat, sicut & id, quod donatarius in re donata dominium citra suam declarationem aut acceptationem (imo ex juris civilis placitis citra factam acceptionem seu traditionem) consequi nequeat. Num vero donans ex donatione serio facta, quæque inter destinationis aut deliberationis nudæ terminos haud substitit, obligetur ante factam a donatario acceptationem, an pœnitendi facultate gaudeat, quamdiu acceptata nondum est donatio, hic potissimum in controversiam venit. Communis Doctorum sententia est, ex tali donatione nullam nec naturali nec civili nostro jure oriri obligationem. Contrariam vero post *Anton. Fabrum* Error. pragmat. Decad. 47. Error. 1. p. 1129. amplectitur talemque donationem & naturali & civili jure validam esse, fuse propugnat *Jo. Petr. a Ludewig* in peculiari dissertatione de differentiis juris Romani & Germanici in donationibus & barbari annexus acceptatione Hal. 1721. Nos mediam viam ingressi talem donationem naturali quidem jure firmam validamque, nec revocationi obnoxiam, civili autem jure & posse, & reapse apud nos nullam invalidamque pronuntiari arbitramur, sigillatimque contra dissentientes probabimus.

§. CDXXCI.

§. CDXXCI.

ad obligandum donantem naturaliter non necessaria.

Et primo quidem talem donationem naturali jure validam esse, nec revocari sine causa posse, inde apparet, quoniam supponitur, rem intra meræ destinationis aut deliberationis terminos non substitisse, sed voluntatem se pro futuro tempore determinasse cum signo sufficiente ad indicandam NB. perseverandi necessitatem * ut loquitur *Grotius* L. 2. c. 11. §. 3. qui tamen tale promissum obligationem saltem in promittente parere, donatario autem jus nullum tribuere existimat, ubi quidem qua ratione hæc duo, quæ reciprocam habent naturam, divelli ac separari a se invicem queant, non percipio. Quamvis enim is, cui fit promissio, obligatus non sit, potest tamen alterum habere obligatum, eumque eo ipso, dum serio promisit, reapse obligatum habet. Quam a debito misericordiæ Grotius affert instantiam, plane non quadrare puto, quia in debito misericordiæ egens quidem universum genus humanum, nullum autem subjectum in individuo ad sibi subveniendum habet obligatum, econtra in promisso cum perseverandi animo & necessitate declarato tale individuum (cujus defectus in debito misericordiæ obstabat, quo minus egeno jus perfectum competeret) reapse adest. Posita igitur obligatione in promittente seu donante, poni & concedi necessario quoque debet jus exigendi in donatario ** Dissentientium argumenta id saltem evincunt, citra præviam donatarii acceptationem pactum & conventionem nullam posse concipi, quod ambabus manibus largimur. Hinc autem si porro inferas, ubi pactum deest, deest quoque obligatio, falsum omnino est, nec admitti debet, quod postulas, cum & citra pactum ex sola lege speciatimque h. l. eâ, quæ voluntatem serio & cum proposito perseverandi declaratam mutare vetat, obligatio valida nascatur. Etenim supra jam L. 1. T. 3. §. 78. & 151. observavimus hominem se ipsum citra pactum obligare, quid quod ignoranti acquiri obligationem posse.

* Nova occurrit difficultas in casu, quo donans non coram & oretenus, sed per nuntium aut literas suam donandi voluntatem declarat, & nuntius seu tabellarius in itinere moritur, num tunc pœnitendi facultas integra sit donanti? Ingeniose satis distinguit. *Henr. Bodinus* de Contractib. summar. potestatum p. 25.

nuntii verbis voluisse obligari donantem, adeoque hoc in itinere mortuo salvum esse pœnitendi jus, tabellarium autem saltem esse literarum perlatorem, eoque mortuo nihilo secius obligari promittentem ex literis alias forte perlatis. Add. *Grotius* L. 2. c. 11. §. 17. Sed & nuntio in itinere mortuo putarem esse præclusam pœnitendi facultatem, dummodo per testes aut alias probari queat, ita determinatam fuisse promittentis voluntatem, ut alteri jus quæratur. Confer quæ diximus de Matrimon. §. 118.

** Hoc autem concesso sponte ruunt controversiæ, an donator in dubio se statim tempore declaratæ donationis, an demum factæ acceptationis, an denique perlati de facta acceptatione ad donatorem nuntii se obligatum voluerit, quas circa misere se torquent *Grotius*, *Puffendorfius* aliique.

§. CDXXCII.

quod & a posteriori. Accedit, quod ex dissentientium hypothesi, qua naturale jus præcipere ajunt, ne valida sit donatoris obligatio ante factam a donatario acceptationem, sequeretur, hoc juris naturæ præceptum lege civili mutari non posse. Lex enim civilis circa sola indifferentia quæque jure naturæ nec præcepta nec prohibita sunt, versatur, & requisitis, quæ jus naturæ ad aliquod negotium requirit, nova quidem super addere, non autem detrahere aliquod ex illis potest. Si itaque jus naturæ præcise acceptationem ad promissionis validitatem requirit, permittere lex civilis nequit, ut sine ea valeat. Nihilo minus ipsi dissentientes fatentur, ex legum civilium præscriptis vota Deo, pollicitationes Reipubl. & donationes Ecclesiæ factas statim sine prævia acceptatione ita obligare, ut omnem excludant pœnitentiam L. 15. C. de SS. Eccles. Si itaque recte hoc jure civili statutum, de quo vel dubitare saltem velle, in summos legislatores injurium foret ac impium, tuto colligitur nullum adesse juris naturæ præceptum, quod ad promissionis aut donationis validitatem donatarii acceptationem requirat.

§. CDXXCIII.

ostenditur Prævident hanc difficultatem nonnulli ex iis, qui dissentientium castra sequuntur, eademque moti eo progrediuntur impietatis ac impudentiæ,

ut

ut civiles ejusmodi leges vellicent.* Sic *Titius* ad Puffend. de Off. Obſ. 227. civilia jura, quæ in pollicitationibus & votis ſolo promittentis conſenſu citra acceptationem obligationem validam produci ſtatuunt, *communem rationem* offendere ait. Et *Glaſey* in ſeinem Vernunfft und Völcker-R. p. 430. iniquitatis arguit leges, quæ donationes Eccleſiæ factas ſine acceptatione validas pronuntiant. Horremus horum veſtigia, ac nihil iniqui dictas leges continere ſtatuimus, dum promiſſiones Deo, Reipublicæ, & Eccleſiæ factas, ſolis adhibitis juris naturæ requiſitis, deliberata ſcilicet voluntatis declaratione ſubſiſtere ſinit, ad alias autem præterea donatarii acceptationem requirit, id quod non modo juſte fieri poſſe, ex dictis patet, ſed prudenter quoque fieri arbitramur, ne ſubditi per donationes ex vanitate, oſtentatione, aut voluntate parum conſiderata factas illico bonis ſpolientur.

* Mitius agunt, qui ſemper præſumi interſerunt acceptandi animum in Deo, Eccleſia, & Republica, ſed eodem majorique jure acceptandi animus præſumeretur in privatis, utpote magis ad accipiendum & lucrandum cupidis, quam beneficum & ad dandum quam accipiendum pronius Numen. Alii fundamentum non neceſſariæ acceptationis donationum Eccleſiæ ac Reipublicæ factarum quærunt in eo, quod per legem civilem Eccleſia & Reſpublica in genere declaraverit, ſe acceptaturam, quæcunque ſibi oblata ſint futura. Vid. *Jo. Frid. Wernher* diſſ. de Acceptatione in donationibus neceſſaria Ludewigio oppoſita Viteb. 1724. p. 11. §. 7. quo ipſo tamen Eccleſiæ & Reipubl. præter neceſſitatem indecoræ ac intempeſtivæ rerum alienarum cupiditatis præcipitisque deſiderii nota inuritur. Dantur honeſtiores acquirendi modi. Quid quod ſanctius longe eſſe, inopem Rempubl. obtinere, quam per dedecoris veſtigia ad divitiarum cumulos pervenire jam dum Pertinax edixit apud *Capitolinum* c. 7. Taceo quod ex dicta Wernheri ſententia ſequeretur, repudiare amplius Rempublicam non poſſe pollicitationes propter anticipatam acceptationem, quod tamen nemo facile conceſſerit.

§. CDXXCIV.

At jure civili acceptatio omnino necessaria

Reliquum saltem est, ut ostendamus, apud nos tales leges, quæ donatarii acceptationem ad donationis validitatem præcise requirunt, reapse adesse & vigere. Magno conatu existentiam ejusmodi legis negare allaborat Dn. *Ludewig* cit. diss. Fatetur quidem prisca lege Cincia anno V. C. 549. lata non modo acceptationem sed & mancipationem aut traditionem ad donationis perfectionem fuisse necessariam, Constantinum M. quoque A. C. 316. præterea constituisse, ut donationes nonnisi literis conceptæ, judiciisque insinuatæ valerent. Sed speciose admodum excipit, hæc omnia sublata & ad simplicis fidei integritatem revocata esse a Justiniano anno 530. L. 35. C. de donat. Nov. 162. c. 1. §. 2. Inst. de donat. ubi notanter dicitur, donationes inter vivos si fuerint perfectæ, temere revocari non possunt. Perficiuntur autem cum donator suam voluntatem scriptis aut sine scriptis manifestaverit. Sola ibi donantis voluntas requiritur, altum de donatarii acceptatione silentium. Verum enim vero solam voluntatem ibi saltem mancipationis, traditionis, scripturæ ac insinuationis solennibus opponi, neutiquam vero acceptationi, hancque non excludi, sed supponi ex analogia juris Romani, quæ ne quidem ex pacto nudo validam obligationem admittit, satis superque evincunt tum verba dicti §. 2. proxime sequentia, *ut, etiamsi non tradantur, habeant plenissimum robur* it. quod fieri debeat ad exemplum venditionis solo nimirum utriusque consensu vid. *Cujac.* L. 12. Obs. 28. tum aliæ leges, quæ aliter explicari vix possunt quam si acceptationem ad donationis validitatem jure Justinianeo requiri dicamus e. c. L. 10. Dig. & 26. C. de donat. in qua posteriori servus in locum infantis, cui quis fundum donare cupit, substitui jubetur, quod licet eo interpretetur Dn. a Ludewig, ut servus donum infanti acquirat mediante traditione, ante Justinianum, cum lex illa 26. ferretur, ad donationem necessaria, aliena tamen hæc interpretatio a mente legis videtur, quæ diserte ideo servum substitui vult, quia infans fari & affectum rei habere nondum potest, seu quod idem est, quia consentire, acceptare nequit. Accedit quod communi interpretum sententia, & in ipsa praxi acceptatio ad donationem necessaria reputetur, quod ipse Dn. Ludewigius præjudiciis confirmat p. 30. addens, nec se casibus obvenientibus aliter respondere ausum

hactenus

hactenus fuiſſe, nec in poſterum ſine prævia nova legislatione auſurum, quo ipſo ſi non legem expreſſam, certe conſuetudinem & obſervantiam hoc in paſſu agnoſcit.

§. CDXXCV.

Ceterum acceptatio cum res facti ſit, temere non præſumitur, ſed *nec præ-* probatione eget. Poteſt autem acceptatio fieri vel per verba vel etiam per *ſumitur* ſigna. Sic qui inſtrumentum donationis accipit, eo ipſo donationem acceptat. Unde ſuperflua videtur cautela, qua donationum inſtrumentis clauſula de facta acceptatione anxie & ſollicite ſatis nonnunquam inſeritur. Plane qui ad oblatam ſibi oretenus donationem præſens tacet, nec aliud acceptandi ſignum edit, repudiare illam videtur. Nam licet alias, qui tacet conſentire videatur, in caſu tamen ubi acceptatio declaranda, grataeque mentis teſtificatione donum agnoſcendum, is qui tacet, ſpernendi potius ac repudiandi, quam acceptandi animum prodit.

TITU-

TITULUS VI.

DE

Conditionibus & Revocationibus Donationum.

* * *

Tacite donationibus insunt conditiones, si alter acceptabit, si res donata est donatoris, si causa ob quam donatur, secutura erit, & ex legum civilium placitis illa gratitudinis, ac ni liberi supervenerint. Expresse donationibus valide adjiciuntur conditiones physice & moraliter possibiles. Ob turpem vero additam negotium in pari utriusque turpitudine non quidem ab ipsis paciscentibus, bene tamen a superiore potest rescindi. Inprimis judicatu sunt difficiles conditiones de religione mutanda, mortisve eventu expectando.

§. CDXXCVI.

Tacite donationi Fuse satis in superioribus exposuimus, quomodo donandi voluntas rite declaretur, quibus observatis liberum erit donatori, velitne dona sua in

in donatarium ſtatim & pure, an tempore certo præſtituto, & ſub conditione transferre. Cum enim in liberrimo donatoris arbitrio poſitum ſit, num donare velit nec ne? quidni idem ſub conditionibus certis licebit? Sunt autem conditiones illæ vel tacitæ vel expreſſæ. Tacitæ ex ipſius acti negotii natura colliguntur, ſecus ac expreſſæ quæ in facto conſiſtunt, nec unquam præſumuntur. *ineſt conditio*

§. CDXXCVII.

Omni donationi tacita ineſt conditio: *ſi alter acceptaverit.* Non enim hæc eſt donatoris mens, ut ſimpliciter rem, quam donare vult, in bonis ſuis amplius eſſe nolit, ſed in ſolius donatarii favorem eadem ſe abdicat, qui ſi donum recuſat, neutiquam illud pro derelicto habendum, aut primo occupanti tribuendum. Sed retinet ac recipit tunc illud donator. *Si alter acceptaverit*

§. CDXXCVIII.

Pariter tacitis conditionibus, quæ omnibus ſemper donationibus inſunt, annumero illam, qua donator id, quod donat, donare cenſetur ſub conditione, *ſi meum eſt.* Is enim qui bona fide rem alienam donat, ditiorem ſe credidit, quam re vera erat, ac ſi ſciviſſet, rem, quam donat, ſuam haud eſſe, a donando ſibi forte temperaſſet. Habuit itaque erronea hæc de dominio ſibi competente opinio vim conditionis in mente donantis, qua deficiente omnis deficiet donatio, nec præſtabitur evictio aut æſtimatio rei datæ, præſertim cum donator de damno vitando, donatarius de lucro captando certet. Ceterum tacita hac conditione opus haud erit ad effectum, ut verus rei dominus rem ab alio bona fide donatam vindicet, ſolum quippe ſibi competens dominium vindicationi ſufficit. Neque hac conditione opus ad revocandam donationem in fraudem creditorum ſuſceptam. Jure naturali enim id, quod debeo, meum non eſt, nec proinde illud donare valeo. Civili autem jure licet rei, quam alii debeo, dominium penes me exiſtat, ejus tamen alienatio in fraudem creditorum diſerte eſt interdicta, & creditoribus eandem per Paulianam actionem revocandi licentia indulta §. 6. Inſt. de Action. & tot. tit. Dig. quæ in fraudem creditorum facta ſunt, ut reſtituantur. Patet hinc fundamentum, ex quo irritæ declarari ac revocari poſſunt donationes inofficioſæ, quibus læditur portio legitima heredibus debita. Sic cum jure naturali liberis, ex quo *Si meum eſt, quod dono.*

 ſunt

ſunt nati imo concepti, debeantur alimenta, recte liberi quorum parentes omnia bona donaverant, factam hanc donationem in tantum revocant, ut alimenta a donatario exigant, ſi nimirum donatio facta poſtea quam extiterunt. Antea factam plane impugnare nequeunt, quia ipſis eo tempore tanquam non-entibus nihil a parentibus debebatur. Jure Civili non modo legitima ad certam quantitatem iis etiam, qui ſibi ipſi proſpicere valent, debitam determinatur, & ad eandem conſequendam inter alia remedia indulgetur intra quinquennium querela inofficioſæ donationis. Poſtgeniti Principum Germaniæ liberi cum legitimæ quantitatem jure civili determinatam exigere nequeant, ſed nunc vi pactorum familiæ nunc propter ipſam bonorum paternorum indolem, ſolis alimentis & Apanagiis eſſe debeant contenti, illas demum donationes inofficioſas vocare poterunt, quibus alimenta & Apanagia conſueta diminuuntur, non autem illam, quæ computum juris civilis excedit, ſi bona fideicommiſſi aut primogenituræ juribus obnoxia computare velis, nam quoad reliqua merito ſibi juris civilis favorem applicant.

§. CDXXCIX.

ni ipſe indiguero. Porro donationibus ſemper ineſſe videtur tacita conditio: *ni ipſe indiguero*. Unde donatorem ad incitas redactum alimenta a donatario recte petere, exiſtimo, quo fundamento nititur obligatio, qua Eccleſia ad Patronum pauperem cum ſua familia alendum tenetur, quia nimirum prius ab eo erat dotata. Vid. *Surdus* de Aliment. tit. 4. qu. 18. *Brunneman.* Jur. Eccleſ. L. 2. c. 8. §. 23. ibique *Stryck.*

§. CDXC.

Si cauſa addita fuerit ſecuta. Item donationibus, quæ fiunt ob cauſam futuram tacita ineſt conditio: *ſi cauſa fuerit ſecuta*. Eadem igitur deficiente, id quod donatum aut promiſſum, recte recipit aut retinet donator. e. c. in caſu, quo quis miniſtro Principis aut judici pro officio magis faciendo, aut pro ſuffragio licite donat, qua de re vid. Jus Perſon. illuſtr. L. 3. T. 19. §. 479. Trahi huc etiam poſſent dona a marito uxori, quam gravidam fruſtra putaverat, graviditatis intuitu oblata. Vid. *Zaunſchleiffer* de Jur. Gravid. th. 37. Omnium optime huc referuntur arrhæ & ſponſalitiæ largitates. Hæ enim ſunt donationes, quæ

quæ fiunt intuitu futurarum nuptiarum it. donatio propter nuptias, quam a Romanis accepimus. Nam & hæc tacitam eamque duplicem conditionem alit, tum ut nuptiæ ſequantur, tum etiam ut dos ſolvatur, alterutra deficiente corruit donatio, imo repetitur, quod ex tali donatione jam erat traditum. Imo penitius ſi inſpiciamus indolem donationis propter nuptias, apparet propius eam accedere ad contractus oneroſi, quam donationis naturam, unde & jura donationum eidem haud ſunt applicanda, nec proinde neceſſitas inſinuandi, quæ in aliis donationibus 500. ſolidos excedentibus cernitur, ad eandem extendenda Nov. 119. c. 1. Confer tamen Reale Principum Jus L. 5. T. 10. §. 727.

§. CDXCI.

An & in liberi ſupervenerint

Quod autem donationibus tacite ineſt conditio: *niſi liberi ſupervenerint donatori*, quodque ob liberorum ſupervenientiam revocari poſſit donatio, illud omne lege civili 8. C. de Revoc. Donat. nititur, neutiquam autem naturale eſt, aut ad ſummos imperantes trahendum, quos potius ſicut in reliquis, ex lege civili provenientibus, beneficiis ita & hoc in paſſu deterioris eſſe conditionis, quam ipſos ſubditos exiſtimo. Sibi enim imputent, quod non cogitaverint de caſu ſupervenientium liberorum, quem prævidere facile potuiſſent, ſaltem deſperare non debuiſſent. Imperii tamen noſtri Principibus, quia alias in privatis ſuis negotiis jure civili vivunt, hoc quoque beneficio poſſe ſuccurri, facile largior, ita ut non modo donator vivus, ſed & eo mortuo ipſius heredes talem donationem revocare valeant. Iis tamen non aſſentior, qui hanc revocandi licentiam heredibus tribuunt, etiamſi pater donator expreſſe imo jurato renuntiaverit huic revocationis beneficio. Vid. *Gothofred.* ad cit. L. 8. Qua enim ratione pater dici tunc poterit de liberis ſuperventuris non cogitaſſe. Neque hoc beneficium ad alias renuntiationes trahi velim, prout in familia Ducali Saxonica Princeps quidam poſtgenitus conſenſum ſuum, quem in primogenituræ juris introductionem dederat, inter alia etiam ex hoc capite reſcindere conabatur.

§. CDXCII.

de conditione

Sunt, qui donationibus etiam *gratitudinis* conditionem tacite ineſſe, ac ubi donatarius ingratum ſe præſtiterit, juſtam revocandæ donationis cauſam

 ſub-

gratitudinis. ſubeſſe contendunt, hanc interſerentes rationem, quod omnis donatio amicitiæ conciliandæ cauſa conferatur, quæ cum in caſu ingratitudinis manifeſte ceſſat, ipſam etiam ex donatione ortam obligationem ceſſare. Sed curatius ſi rationes ſubducimus, dicendum potius, donationem ſolius teſtandæ benevolentiæ cauſa ſuſcipi. Nam & hoſti durante belli ſtatu valide donatur. Ut vero donatarius eandem grato animo agnoſcat, ſeque alteri viciſſim amicum præbeat, imperfectæ obligationis eſt, ad quam cogi invitus nequit. At ſi cogi nequit, nec denegari aut eripi poterit id, quod ex donatione jure perfecto ipſi eſt quæſitum. Quodſi autem donatarius ſe donatori non modo non amicum, ſed & hoſtem præbet, tunc non tam ex capite ingratitudinis, quam jure belli donator recte ei debita denegat, & non ſolum donata, ſed & alias quasvis res recte eripit, usque dum de damno dato ſatisfecit, & de non amplius turbando cautionem præſtitit. His poſitis, concludo, id quod dicitur ob ingratitudinem donationem recte revocari, non naturale eſſe, nec inter ſummos imperantes obtinere, ſed ex mero jure civili ortum trahere. Lex Attica ap. *Sam. Petitum* ingrati actionem dabat jura adverſus eos, qui benemeritis gratiam non rependunt. Romana noſtra jura non omnem indiſtincte ingratitudinem pro juſta donationem revocandi cauſa venditant, ſed illam demum, quæ animum hoſtilem ex una, & famæ, vitæ ac bonorum periculum ex altera parte involvit, vid. L. ult. C. de revocand. donationib. * Nam cum in ſtatu civili ſubditis belligerare non ſit integrum, ne hinc donatarii ingratitudinis anſam arripiant, ſeque tutos ſatis exiſtimantes benefactorum benevolentiam deſpiciant, prudenter omnino cautum, ut, ſi animum hoſtilem, quem & alii ingratitudinem atrocem haud incongrue vocant, produnt, donis collatis privari iterum a donatore queant, ab hujus autem heredibus non æque.

* Renuntiari huic lege a donatore poſſe negat *Carpzov.* Deciſ. 123. n. 5. niſi accedat juramentum n. 14. Add. *Brunneman.* ad d. Leg. Sed ne jurato quidem huic legi poſſe renuntiari contendit *Jac. Frid. Ludovici* in diſſ. omne juramentum eſſe ſervandum, quod ſalva ſalute æterna poteſt ſervari §. 16. quia talis renuntiatio dolo futuro renuntiaret, & ad delinquendum invitaret. At cum talis renuntians ingratitudinem non approbet, ſed vindicare

dicare ſaltem eam ſe nolle promittat, quæ ſane res eſt indifferens, ſimplex etiam renunciatio ſufficere videtur.

§. CDXCIII.

Intelligi ex dictis poterit, quam incongrue nonnulli in iisque *Bechmannus* in erudita ceteroquin diſſertatione de donatione Conſtantini M. p. 42. & *Lyncker.* de poteſt. Imp. alienandi bona Imperii c. ult. th. 24. p. 38. donationem, ſi ulla a Conſtantino Pontifici facta fuiſſet, revocari tamen ob Paparum ingratitudinem ab Imperatoribus poſſe contendunt. Sane cum hæc donationem revocandi cauſa ex ſolo jure civili deſcendat, huic autem nec Imperator nec Papa ſubſit, fruſtra ad eam in caſu propoſito provocatur. At pergunt diſſentientes, non ſimplicem Paparum fuiſſe ingratitudinem, ſed cum animo maxime hoſtili conjunctam. Ubi tamen deſidero, quod in probanda hac theſi ad fabulas prolabantur, atque ad Alexandrum III. qui Fridericum I. Imperatorem pedibus calcarit, item ad Henricum VII. qui hoſtia venenata interfectus ſit, provocent. At utrumque falſitatis dudum convictum. Et ſi verum eſſet, unius tamen alteriusve Papæ factum ſucceſſoribus, aut ipſi ſedi Romanæ non protinus officeret, præſertim ſi ſucceſſores ſe talia minime probare profiterentur. Ceterum damus omnino neque negamus, Papas ſæpius Imperatores bello petiiſſe, atque adeo belli jure donationes potuiſſe revocari, ſimul vero monemus, paces iterum fuiſſe inſecutas, iisdemque omnia hoſtilia abolita. Nec denique ſequitur, potuit durante bello revocari donatio. Ergo reapſe revocata eſt. Sed quid quæſo opus eſt, ad enervandam hanc Conſtantini donationem ad rationes tam infirmas prolabi, cum fortiores longe ſuppetant.

Ingratitudinis obtentu Principum donationes haud revocantur.

§. CDXCIV.

Franciſcum Ottonem Ducem Brunſuicenſem immunitates & privilegia Luneburgenſium ab anteceſſoribus conceſſa ſub ingratitudinis obtentu revocare voluiſſe, ſed in ſummo Imperii tribunali Luneburgenſes fuiſſe abſolutos fuſe narrat *Klockius* de Contribut. c. 19. n. 466. ſqq.

Exemplum Brunſuic.

§. CDXCV.

Expressæ donationum conditiones cernuntur in sponsionib.

Expressæ, quæ donationibus accedunt conditiones, sunt vel possibiles vel impossibiles. Possibiles sive casuales sint, quæ a fortuna, sive potestativæ, quæ a voluntate promittentis, sive denique mixtæ, quæ ab utraque pendent, valide donationibus adjiciuntur, adeo ut earum obligationem, utut præsentem & perfectam, quoad exigendi facultatem in certum eventum suspendant. Atque huc spectant sponsiones die Wettenschafften, quæ sunt conventiones, ubi de veritate vel eventu alicujus rei contendentes aliquid, quod victori cedat, promittunt.

§. CDXCVI.

earum indoles

Sponsiones igitur ex ipsa sua natura ac indole conditionem quandam semper supponunt, quæ quidem in rem præteritam pariter ac futuram potest esse concepta, dummodo uterque de ejus veritate sit incertus, quoniam alias dolo negotium non vacaret. Econtra si quis se certum jam esse non dissimulat, & alter nihilo secius sponsionem inire velit, dolus omnis exulat, ac valida est sponsio. Talis erat illa Antonii cum Cleopatra, num possibile sit unico epulo summam 50000. fl. consumere. Nam victuram se sciebat Cleopatra, unionem hujus pretii aceto solutum absorbendo. Vid. *Plin.* Hist. Nat. L. 9, c. 35.

§. CDXCVII.

an licitæ de Principis morte.

De morte hominis, multoque magis de Principis morte illicitam esse sponsionem existimat *Petrus Santerna* de Assecur. & Sponsion. excipit tamen sponsionem de morte inimici fidei e. c. Turcæ notatus propterea *Jac. Frid. Ludovico* de natura & interpretatione sponsion. p. 17. Scilicet tali casu tenor sponsionis probe inspiciendus. Si enim illa ad delinquendum invitat, turpis omnino ac irrita est e. c. ni intra triduum Principem occidis, promittis decem? Sin in merum eventum fortuitum concepta est sponsio e. c. de ægrotante triduum non supervicturo, vitio caret, sive de Principis, sive de infidelis vita agatur. Per solam enim sponsionem vita nec procrastinatur, nec mors acceleratur. In quantum autem valeat sponsio facta, si infidelem seu Turcam occideris, ex quæstione præjudiciali pendet, an infidelis

fidelis licite occidatur, de qua aliunde constat, infidelem non qua talem, sed quatenus est hostis, & tunc demum, si hostilia parat, juste occidi.

§. CDXCIIX.

Initæ super ænigmatum solutionibus sponsiones pariter ex generali sponsionum natura decisionem sortiuntur. Quare & tunc a captiosis vocu-lis ac inusitato eorum sensu abstinendum. Specimen ænigmatis omnibus suis requisitis instructi, & sponsionis desuper initæ, sacræ literæ præbent Judic. XIV. 10. sqq. *Super ænigmatum solutionibus.*

§. CDXCIX.

A Principibus integræ nonnunquam urbes & ditiones in sponsionem deducuntur. Philippus II. Augustus Galliæ Rex Ottoni Brunsuicensi, Imperatori hujus nominis quarto, ex sponsione quadam debebat aut Parisiensem aut Aurelianensem urbem cedere, quod cum recusaret, ea inde orta est simultas, quæ Ottoni impedimento fuit, quo minus dignitati Imperiali tuendæ par existeret. Vid. *Arnold. Lubec.* L. 7. c. 17. *Quid in sponsionem deduci possit?*

§. D.

Quoad quantitatem pecuniæ in sponsionem deducendæ *Ludovici* l. c. p. 19. huc applicari vult, quod in donationibus de non donandis sine judiciali insinuatione ultra quingentos solidis est constitutum, & præterea requirit, ne ii, quibus debetur legitima, per sponsiones in eadem lædantur, quod posterius sicut dubio caret, ita priori quidem asserto illud obstare videtur, quod in donatione ob causam facta, ad quam certe proxime accedit sponsio, utpote mutua promissione constans, cesset insinuationis necessitas. Certe quod Principi vel a Principe donatur, insinuatione non eget, multoque igitur minus sponsio cum Principe inita. Id de cetero sponte patet, non opus esse, ut ab utroque spondentium æqualis quantitas promittatur, ac læsio ultra dimidium ne quidem inter subditos hic urgeri poterit. Hujus enim querela exulat, quoties spes vel alea est emta, vel in genere læsio ex incerto eventu dependet, quem partes ab initio præviderunt, vel saltem prævidere potuissent. Conf. L. 8. §. 1. Dig. de Contr. emt. Ceterum in *& quantum?*

omni

omni alea ſponſionem ineſſe, & alearum jura ex donationum jure eſſe metienda facile intelligitur.

§. D. b.

Conditiones impoſſibiles

Pergimus ad conditiones impoſſibiles donationibus adjectas, tum phyſice, tum moraliter tales. Conditio phyſice impoſſibilis affirmative concepta ſeriam voluntatem excludit, & jocum potius innuit. Quare in donatione, cui talis adjicitur conditio, nihil actum cenſetur. Quod autem conditiones deriſoriæ, in quarum numero impoſſibiles ſunt, donationibus mortis cauſa aliisque ultimis voluntatibus additæ, pro non ſcriptis habeantur, & nihiloſecius talis donatio aut ultima voluntas ſuſtineatur, ex ſola civili lege deſcendit. Vid. L. 14. Dig. de condit. Inſtit. Quæ negative eſt concepta conditio phyſice impoſſibilis e. c. ſi cœlum digito non tetigeris, neceſſaria exiſtit, vixque conditionis nomen meretur, certe negotium non vitiat, ſed purum reddit §. 11. Inſt. de inutil. ſtipul.

§. DI.

turpes

Circa conditiones moraliter impoſſibiles ſeu turpes mirifice inter ſe diſſentiunt Doctores. *Grotius* L. 2. c. 11. §. 9. diſtinguit ſitne malum facinus, ob quod quid eſt promiſſum, præſtitum nec ne? Antequam eſt præſtitum promiſſionem, ceu mali ilicem, eſſe vitioſam, crimine autem perpetrato, ceſſare promiſſionis vitioſitatem, ejusque obligationis vim ſe exerere. *Puffendorfius* econtra de J. N. & G. L. 3. c. 7. §. 9. & de Off. Hom. & Civ. L. 1. c. 9. §. 18. diſtinguere ſatagit, ſitne id, quod ob turpe facinus erat promiſſum, ſolutum nec ne? & poſſidentis conditionem ſtatuit meliorem, ita ut qui promiſit, ſaltem ad præſtandum non obligetur, nec is qui accepit ad reddendum. *Titius* denique ad dictum Puffendorfii locum indiſtincte promiſſionem aut donationem ob turpem cauſam non tenere docet, adeo ut juxta merum jus naturale etiam id, quod ob turpem cauſam actu jam perceptum eſt, reſtitui debeat.

§. DII.

an donationem vitiant?

Nos nulli horum aſſentimur. Ut diſtinctius mentem noſtram explicemus, ante omnia removemus caſus duos: unum, ubi ſolius dantis turpitu-

pitudo ſubeſt e. c. ſi alteri quid do vel promitto, ne delictum meum prodat, tunc enim id, quod turpiter dedi, ab altero recte retineri, nec a me repeti poſſe, dubio caret: alterum, ubi ſolius accipientis turpitudo ſubeſt e. c. ſi judex qui Lege Julia Repetundarum tenetur pro officio magis faciendo quid accipit, tunc enim nec promiſſum exigi poſſe, ſed & acceptum reſtitui debere, itidem & naturali & civili jure expeditum ſatis eſt. Vid. Tit. Dig. & Cod. de Condict. ob turp. cauſ. Quare hic ſolus proponitur caſus, ubi utriusque & dantis & accipientis & donatoris & donatarii turpitudo ſubeſt. Circa quem dijudicandum iterum de juſtitia interna & foro conſcientiæ nunc non ſumus ſolliciti, hocque intuitu largimur delinquentem id, quod ob delictum ipſi erat promiſſum, ab invito exigere non poſſe, imo id, quod accepit, repetenti reddere debere. Novit enim vitioſum eſſe omne hoc negotium. Sed de ſola juſtitia externa hic eſt quæſtio, & juxta hanc cenſemus id, quod ob turpem cauſam donatum eſt, naturaliter repeti non poſſe, imo id, quod ſaltem promiſſum, præſtari debere, valideque exigi, ſalvo tamen magiſtratus jure utrumque ob delictum admiſſum puniendi, quæ pœna utique etiam in ablatione lucri ex illicita tali donatione percepti conſiſtere poterit. Rationem hujus aſſerti hanc reddo, quod licet donatio ob turpem cauſam in ſe ſit injuſta, atque delictum involvat, & propterea etiam a ſuperiori, ſi quis adeſt, puniri poſſit, hæc tamen injuſtitia contra correum ſeu ſocium criminis allegari nequeat, imo ab eodem forte non agnoſcatur, & ſi agnoſcitur, tamen utrinque compenſetur. Ex quo fundamento ſupra donationem Principis Concubinæ factam validam pronuntiavi, id quod *Grotius* l. c. haud male illuſtrat exemplo Judæ Jacobi filii, qui Thamari, quam meretricem putabat, promiſſam mercedem tanquam debitam perſolvit.

§. DIII.

Grotio Variorum ſententiæ examinantur

Ad diſſentientium argumenta quod attinet, primo quidem in *Grotio* non tam ipſam ejus theſin, qua crimine perpetrato promiſſionis obligationem ſe exerere docet, improbo, quam rationem hanc in rem allatam, quod ſcilicet promiſſio ab initio vitioſa per crimen perpetratum ſanetur, quod qua ratione fieri queat, non ſatis capio. Quanquam enim talis donatio criminis commiſſi ilex amplius dici nequit, erit tamen ilex aliorum & ſimilium criminum in poſterum metuendorum. *Puffendorfii* aſſertum

itidem ſolido deſtituitur fundamento. Quod enim in pari turpitudine melior ſit conditio poſſidentis, non eſt naturale. Poſſeſſio enim vitioſa negotium illicitum licitum reddere nequit. Quare id omne ex mere civili lege eſt arcendum L. 3. 4. Dig. de condict. ob turp. cauſ. quam ſalubrem agnoſcere, tum propterea quod litium multitudo per eandem minuatur, tum ob debitam legislatoribus reverentiam ſatius ducimus, quam ut cum *Titio* Obſ. ad Lauterb. 354. abſurdam eandem dicamus. Sed ex Titiana hypotheſi vix aliter colligi poteſt. Si enim naturæ jure ſimpliciter eſt prohibitum, præſtare id quod criminis intuitu eſt promiſſum, nec civili lege permitti poterit, ita acceptum retinere. At id, quod Titius putat, revocari ob turpem cauſam datum indiſtincte poſſe, in ſtatu ſaltem naturali admitti nequit, tum quia ille judicii eſt expers, tum etiam & præcipue, quia ſocius criminis alteri idem valide haud objicit, ſed parem turpitudinem cum eodem compenſat. Imo nec expediret, Titianam doctrinam hoc in paſſu lege civili recipi. Licet enim ex principio civilibus noſtris legibus recepto, quod in pari turpitudine beati ſint poſſidentes, aliquando ex delicto lucrum percipiatur, id tamen ex accidenti contingit, & aliis inſignibus ſatis commodis abunde compenſatur. Fateor interim, omnem hanc controverſiam difficilem magis, quam utilem eſſe. Rara enim eſt ſpontanea proprii criminis confeſſio.

§. DIV.

de donatione ob religionem mutandam.

Hactenus deducta ubi ad Principum donationes iisque adjectas conditiones applicamus, feliciter de iisdem ferre licebit judicium, quam difficiles prima fronte appareant caſus oblati. Contingit nonnunquam, ut illuſtres perſonæ dona offerant & promittant ſub conditione mutandæ religionis. Sic caſum, quo Princeps Germaniæ Pontificius uxori ſuæ Lutheranæ ſub lege aſſumendæ ſuæ religionis inſigne donum obtulit, meminit *Klein.* de Jure Margarit. c. 2. §. 26. p. 73. Inſpiciendum hic ante omnia erit, ſitne hæc conditio poſſibilis, & licita an moraliter impoſſibilis, ſeu turpis ac illicita, & ſi forte turpis eſt, num turpitudo ſaltem ab alterutrius, an ab utriusque parte ſtet? Nam licita ſi eſt talis conditio, valida per ſuperius deducta eſt donatio, ſin illicita & turpis ex parte donatarii, non ſubſiſtit, adeo ut id, quod doni nomine jam traditum eſt, repeti poſſit. Si denique turpitudo utrinque ſubeſt, naturali quidem jure ſubſiſtit donatio, at civili noſtro

noſtro melior eſt conditio poſſidentis. Quid igitur in tanta rerum varietate dicendum? Turpe omnino videtur lucri cauſa religionem mutare, quo poſito uterque & is, qui crimen committit, & alter qui munere ad idem invitat, in turpitudine verſari videntur. Nihiloſecius cum in caſu propoſito donator religionem, ad quam donatarium munere invitat, veram optimamque reputet, veram autem religionem præmiis quoque promovere nulla ratione turpe dici poſſit, turpitudo potius a ſola parte accipientis ſeu donatarii ſtat, ac ipſa proinde donatio irrita eſt reputanda, & revocationi obnoxia.

§. DV.

Per ſe autem intelligitur, talem donationem fieri debere ob mutandam, & quidem lucri cauſa mutandam religionem. Hinc licet mutandæ religionis ſuaſor ei, cui hanc mutationem ſuadet, donet, citra tamen expreſſam mutationis conditionem, pure ac ſolius amoris conciliandi cauſa donaſſe cenſetur, nec donata ſub prætextu non ſecutæ mutationis repetere poteſt. Porro etiamſi quis donat ſub expreſſa religionis mutandæ conditione, ad donatarium autem ex hac mutatione, ac percepta ejus intuitu donatione lucrum nullum redundat, tunc omnis ceſſat turpitudo, ac valida proinde erit donatio. Caſus hic eſſe poſſet. Meditatur quidam Epiſcopus religionis mutationem, ſed metuens ne vi Reſervati Eccleſiaſtici Epiſcopatum amittat, nec habeat, unde honeſte ſe ſuſtentet, retinetur a propoſito. Hujus impedimenti tollendi cauſa donat quis Epiſcopo bona, unde Epiſcopatu amiſſo ſe ſuſtentet. Dona ejusmodi plerumque ſunt minora, quam fuere priſtini Epiſcopatus reditus, quo ipſo omne exulat lucrum. At ſi forte dona priſtinos reditus ſuperent, charitatis tamen lex neminem ſinit, temere præſumi improbum, aut modici talis lucri cauſa religionem mutaſſe. Quare cum lucrum ceſſet, vel ſaltem cauſa mutationis dici nequeat, ipſa autem religionis mutatio in ſe ſpectata turpis non ſit, nihil amplius vitii addita de religione mutanda conditio alit, ſed recte donationi accedit, adeo ut revocari hæc ob deficientem conditionem poſſit, ſi mutatio vel plane non ſecuta, vel ſecuta quidem poſtea verò repetita priſtina religio. Qui autem a mutandæ religionis ſuaſore citra additam mutandi conditionem dona accipit, pure accipit, nec ea reddere tenetur, etiamſi non mutet, ſi vero mutat, lucri cauſa mutaſſe dici nequit, multoque minus ad reddendum eſt adigendus, ſi poſt *Caſus varii*

factam mutationem ad pristinam religionem redit. Si vero post factam mutationem mutans aliquid accipit, nulla utrinque subest turpitudo, ac ubi postea ad aliam iterum religionem transit, repeti donum aliter nequit, quam si præcise in præmium factæ mutationis datum, quoniam alias purum potius præsumitur.

§. DVI.

Mors donantis potest esse pro conditione.

An donatio in mortis eventum suspendi, adeoque mors donatoris pro conditione esse possit, dubitari posset, propterea quod donatio dominium supponit, hoc autem penes mortuum existere, multo minus ab eo transferri nequit. Verum tamen cum ipsa donatio hoc casu a vivo fiat, & saltem dominii translatio in mortis eventum differatur, de cetero autem exitum capere debeat morientis circa res suas voluntas, de validitate talis donationis ambigendum non erit. Probe autem distinguenda est talis donatio in mortis eventum suspensa a donatione mortis causa, utut a JCtis quibusdam, ipsoque *Wernhero* Compend. Jur. L. 2. Tit. 8. §. 2. confundatur, dum mortis causa donationem definiunt per eam, quæ in eventum futuræ mortis suspenditur. Altera per alteram definiri nequit, quia inter se differunt. Differunt autem ita, ut in donatione suspensa in mortis eventum statim perfecte in diem ita obligetur donator, ut donationem revocare pro lubitu nequeat, cum exadverso donationi mortis causa semper insint tacitæ hæ conditiones, *primo* si donator prius moriatur quam donatarius, *secundo* si donatorem non pœnituerit. Forma itaque donationis mortis causa in eo consistit, ut revocari pro lubitu a donatore possit. *

* Quæ cum ita sint, non video quo jure ad mortis causa donationem in L. 13. in fin. Dig. de mort. caus. donat. & Nov. 87. referatur ita donatum, ut nullo casu sit ejus repetitio. Habet certe talis donatio omnia donationis inter vivos factæ requisita. Quomodo igitur hæc lex cohæreat cum L. 42. §. 1. fin. eod. & §. 1. pr. Inst. de donat. plane non capio, utut in eo adhuc cernatur indoles donationis mortis causa, cui donator pœnitentiæ renuntiationem adjecit, quod mortuo donatario ante donatorem talis donatio extinguatur. Mihi hic subesse videtur fallacia æquivocationis, dum in L. 13. mortis causa donatio sumitur pro concessione irrevocabili, cui saltem mortis cogitatio dedit occasionem

nem, in L. 42. autem pro revocabili ultima voluntate. Ceterum in dubio donatio potius inter vivos, quam mortis caufa præfumitur facta, cum pure potius quam fub conditione, & fi fub conditione, fub una potius, quam pluribus negotium geftum cenfeatur.

§. DVII.

Donatio mortis caufa ultimarum voluntatum jure cenfetur

Dixeris; abhorrere hoc a donationis indole, quæ non patitur; adjici eidem conditionem, quæ in arbitrium promittentis confertur, quia fic perpetuo eludi poteft. Conf. L. 46. & 108. in fin. Dig. de Verb. Oblig. adeoque omne hoc negotium non donationis, fed ultimæ voluntatis nomine effe infigniendum. Refpondeo omnino rem juxta ἀκρίβειαν fpectatam ita fe habere, unde & donationes mortis caufa jure ultimarum voluntatum cenfentur §. 1. Inft. de donat. iisdem folennitatibus quibus teftamenta perficiuntur. Hinc & Falcidia in iis jure civili obtinet, nec infinuatio neceffaria, etiamfi 500. folidos fuperent, & jure Saxonico Gerada inter vivos, non autem mortis caufa donatur &c. Interim nihil repugnat, quo minus & ultimas voluntates in fenfu laxiore fub donationibus quandoque comprehendamus, cum per eas pariter res gratis in alium conferatur. Nec obftat, quod dicitur, donationis indolem non pati, ut conditio eidem addita conferatur in promittentis arbitrium. Definit enim hoc ejus arbitrium in morte ipfius, quare & tunc conditio purificatur, quo facto negotium, quod ultimam voluntatem vocabas, donationis indolem per omnia referre, negare vix poteris.

§. DVIII.

utut traditio vivo donatore facta

Nec quicquam intererit, five is, qui mortis caufa donat, rem donatario demum poft mortem tradi velit, five eandem vivus adhuc ipfi actu corporali tradat. Utroque enim cafu donationem pro lubitu revocare poterit donator, quippe quæ eo ipfo, dum mortis caufa fit, tacitam pro arbitrio revocandi licentiam alit. Illuftre hujus rei exemplum noftra memoria contigit in Ducilla Hannoverana, Sophia ex gente Palatina oriunda. Hæc in horto Herrnhufiano obambulans, mortemque fibi inftare præfentiens, jocalia fua fibi afferri julferat, eademque inter adftantes diftribuerat. Erat hæc donatio mortis caufa facta, nec dubium eft, fi convaluiffet ite-

rum donatrix, eam quæ ſingulis diſtribuerat, jure ſuo fuiſſe repetituram, quo ipſo omne hoc donationis negotium tanquam revocatum prorſus evanuiſſet, adeo ut etiamſi poſtea ex intervallo deceſſerit, tamen donatarii res donatas repetere haud potuerint. Simile exemplum de Maria Stuarta, Scotiæ Regina, cum capitis ſubiret ſupplicium, quibusdam pecuniam ſuam manu viritim diſtribuente vide in Annalibus *Camdeni* ad an. 1587. p. 524.

§. DIX.

Principum donationes non ſunt pro lubitu revocabiles

Conſtabit, ni fallor, ex iis, quæ hactenus circa revocationem donationum diſſeruimus, a Principibus factarum juſtum ſit. Quare vix eſt, ut eidem ulterius inhæreamus. Id ſaltem addimus, eorum doctrinam, qui Principum donationes ad inſtar ultimarum voluntatum ad ſingula momenta revocabiles eſſe contendunt, & injuſtam eſſe, & Principum dignitati parum convenientem. Imo & Principum ſucceſſores, cum anteceſſorum legitime facta præſtare teneantur, neque donata rite ab iis revocare valent. Unde legimus in cap. 3. de ſentent. & re judic. in 6. donationem, quæ facta erat nomine Regni a Rege Arragoniæ revocari ab ejus ſucceſſoribus aut alii concedi non potuiſſe.

§. DX.

an invaſoris, tyranni

Sed in tantum ſaltem anteceſſorum donationes revocari poſſunt a ſucceſſoribus, in quantum illæ vitio laborant. Sic ab invaſore regni & tyranno, utut modice ex regni vel ſubſtantia, vel fructibus donatum indiſtincte repetitur. Quid circa donationes ab anteceſſore prodigo collatas juſtum ſit, expoſui Tit. 1. §. 478. Sub & obreptitie emendicata dona non modo a ſucceſſore, ſed ipſo etiam donatore, recte imo citra levitatis & inconſtantiæ labem revocantur. Quæ vero & certa ſcientia immodice cum ſubditorum onere ſunt data, juſte magis quam honeſte ab ipſo donatore, ſed & honeſte ab ejus ſucceſſore repetuntur. Non enim aulicorum aut aſſentatorum præmia in civium tormenta degenerare debent, cumque, quod graviter monet *Seneca* de Benef. L. 4. c. 37. homo juſtus unus non ſufficiat tot armatis cupiditatibus, recte omnino ſucceſſoris cura medebitur iis, quibus medendis impar fuit anteceſſoris imbecillitas. Ex Tiberii inſtituto, ſcribit *Sveton.* in Tito c. 8. omnes dehinc Cæſares beneficia a ſuperioribus con-

concessa Principibus aliter rata non habuere, quam si eadem iisdem & ipsi dedissent. Cum Nero Imperator bis & vicies mille Sestertium donationibus effudisset, Galba successor appellavit singulos, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta apud *Tacit* Hist. L. 1. p. 314. Simili fere ratione Basilius Imperator eos, qui a Michaele antecessore nulla probabili de causa pecuniam acceperant, illam aut saltem ejus semissem restituere jussit. Cum igitur ex decreto semissis exigeretur, non minus 300. centenariis in fiscum est relatum, teste *Zonara* Annal. Tom. 3. p. 111. Conf. Tit. 1. §. 418.

§. DXI.

Privilegia in quantum revocabilia.

De privilegiis a Principibus concessis quæri solet, an & quatenus revocari possint. Sunt, qui eadem meras a lege exemtiones esse interserunt, & proinde precarii instar ad singula momenta vi potestatis legislatoriæ revocabilia. Alii contra eadem donationum naturam imitari, ex iisque jus perfectum & irrevocabile acquiri, contendunt. Nobis media placet sententia. Plerumque equidem privilegia exemtiones sunt a lege, & tunc pro lubitu revocabilia, nonnunquam vero quoque donationem continent e. c. privilegium seu jus venandi, ligna cædendi in sylva Regia, & eatenus donationis jura privilegiis sunt applicanda, adeo ut talia privilegia non nisi in casu publicæ necessitatis juste revocentur. Conf. L. 1. Tit. 9. §. 326.

TITU-

TITULUS VII.

DE

Mutuo.

* *
*

Facultas mutuum contrahendi tum pactis, & testamentis, tum legibus impeditur, ut in filiisfamilias per Senatus consultum Macedonianum, quod sibi applicare, si vellent, nostri possent Principes. Conditio de non reddendo accedere mutuo nequit. In eodem autem reddendo quoad pecuniæ valorem tempus initi contractus respicitur.

§. DXII.

Mutui definitio & indoles. Mutuum sive dicatur ab eo, quod de meo tuum fit. Vid. L. 2. §. 2. Dig. de reb. Cred. & pr. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. sive quod mavult *Cujac.* Lib. XI. Obs. 37. a mutatione, quod mutetur res credita cum alia ejusdem generis, est contractus, quo quantitas seu res fungibilis, numero, pondere, & mensura constans, gratis datur, ea conditione, ut reddatur in genere sive in eadem quantitate & qualitate. Requirit igitur mutuum rem fungibilem i. e. talem, cujus vice quælibet ejusdem generis alia potest fungi. Unde differt a commodato, quippe quo res *non fungibilis* ea conditione datur ut in specie restituatur. Porro requirit mutuum ut res credita reddatur, unde differt ab annuis reditibus,

in quibus ſortem repetere creditor nequit. Sufficit autem, reddi rem in genere, non in ſpecie quæ itidem eſt mutui a commodato differentia. Denique in mutuo requiritur, ut fiat gratis, quo ipſo differt a contractu fœnoratitio. Sollicite veteres hoc diſcrimen obſervarunt, quo ſpectat verſus in *Plauti* Aſinaria:

Nam ſi mutuo non potero, certum eſt, ſumam fœnori.

Add. *Gothofred.* ad L. 71. §. 21. Dig. de fidejuſſoribus & *Cujac.* l. c. Dudum tamen invaluit, ut mutuum pro omni credito, Germ. Anlehn, Darlehn accipiatur, ſive gratis ſive ſub fœnore & uſuris fiat, ceu patet ex SCto Macedon. pr. Dig. de SCto Maced. ubi filiofam. *mutua* pecunia dari prohibetur ad compeſcendos eos, qui peſſimo exemplo fœnorarent. Cumque pecunia plerumque ſub uſurarum promiſſione credi ſoleat, plane *Puffendorfius* de Off. Hom. & Civ. L. 1. c. 15. & *Placcius* in Acceſſionib. Juris Nat. 134. contractibus oneroſis mutuum annumerant. In quo tamen merito ab iis diſcedimus, tum quoniam locutio accurata minus accuratæ præferenda, tum etiam quoniam mutui natura hodienum eatenus eſt gratuita, ut, ſi ad certum tempus pecunia ſimpliciter ſine uſurarum mentione credatur, illæ peti pro illo tempore nequeant, bene tamen ſi poſt præſtitutum tempus elapſum mora a debitore ſit admiſſa.

§. DXIII.

Exempla mutui illuſtris

Principes etiam ſummosque imperantes mutuum contrahere, omnis ævi experientia docet. Rariora quidem ſunt exempla Principum, qui aliis mutuam dederint pecuniam (quippe qua indigere magis, quam abundare ſolent) neque tamen nulla. Tiberius populo ære alieno ſuppreſſo opem tulit per certum tempus absque uſuris mutuando. *Tacit.* Annal. L. 6. c. 17. Exempla Ducis Florentini, Sabaudi, Venetorum, Genuenſium aliorumque ex fœnore locupletiſſimorum ſpectant ad contractum fœnoratitium, & videri poſſunt in *Chriſtoph Pelleri* Politico ſcelerato impugnato cap. 35. p. 391. Frequentius mutuas pecunias accipere Principes videmus. Romanos bello Punico ſecundo mutuam a civibus pecuniam ſumere, quam tributum extorquere maluiſſe, diſcimus ex *Livio* L. 26. Anno 1594. in expeditione contra Turcam nec non in obſidione Magdeburgica 1550. ſubditos pecunias ſuas in militum ſtipendia absque uſuris mutuo dediſſe, obſervat *Kœppen* Deciſ. 59. n. 23. Imo ſuadet *Bodinus* de Republ. L. 6. c. 2. p. 1022. (conf. tamen p. 1041. de fœnora-

noratitia vide infr. Tit. 15. §. 4.) mutuam potius a ſubditis pecuniam accipere, quam tributis eos onerare, quoniam ſic evitantur difficultates, quæ in cogendis tributis eſſe ſolent. Ac licet regulariter juxta prudentiæ regulas potentiori mutuo dandum non ſit Eccleſiaſtic. VIII. 15. expedit tamen nonnunquam, potentiſſimos quoque ſua ſibi pecunia devincire, magisque e ſubditorum re eſt, credere pecuniam cum gratia aliquando recipiendam quam tributum pendere, quod non tantum non recipitur ſed & iterari ac continuari ſolet. Eſt enim illud inter arcana tyrannorum nimis contritum, belli occaſiones conquirere, ut tributis ſubditos, etiam bello confecto, ſemper urgeant. Num vero mutuum a Principe contractum in dubio publicis an privatis ipſius debitis annumerandum ſit, dixi L. 1. T. 2. §. 41. & Heredit. T. 41. §. 851.

§. DXIV.

Proſtant quoque exempla mutui ab exteris tranſeuntibus tempore publicæ neceſſitatis vi exacti. Eliſabetha Angliæ Regina 1568. vi dominii eminentis magnam pecuniæ vim a Genuenſibus aliisque mercatoribus Italis in portum Anglicanum, perſequentibus Gallis, delatis mutuo ſibi dandam exegit, cauſam addens, quod ſubditi jam ſint temporarii, qui æque ac veri neceſſitatibus Reipublicæ ſuccurrere teneantur. Vid. *Camden.* Annal. d. a. qui & meminit penſitationis Oreſundiæ Laſt-Geld, qua triceſima pars mercium mutui nomine, ardente inter Svecum & Danum bello exacta fuit, cum promiſſo, ut bello finito redderetur.

§. DXV.

Officiales an illud contrahant?

Civitates in quantum ex mutuo ab adminiſtratoribus contracto obligentur vid. L. 1. T. 3. §. 153. Add. L. 27. Dig. de Reb. Credit. ex qua patet, in dubio adminiſtratoribus non competere facultatem mutuum nomine civitatis contrahendi. Præſides provinciarum apud Romanos mutuam pecuniam fœnebrem ſumere non autem dare poterant ad præcavendas nimirum concuſſiones L. 34. & 4. Dig. de Reb. Cred. tot. tit. C. de his qui ex publicis rationib. mutuam pecun. acceperunt. Quæ concuſſiones cum frequentius cernerentur in officialibus temporariis, his ſaltem fœnus exercere erat interdictum, perpetuis non item L. 34. eod. Noſtris moribus ſummos

mos quoque Officiales, etiamſi forte temporarii ſint, valide pecuniam fœnori exponere conſtat. Vid. L. 1. T. 3. §. 125. & Jus Perſ. illuſtr. L. 3. T. 19. §. 478. tum quia facilior hodie ad ſuperiorem datur recurſus, ſicubi Officiales ſua poteſtate abutuntur, tum etiam quia certus uſurarum modus publica lege eſt poſitus, qui concuſſioni hoc in negotio locum haud relinquit. Quo ipſo inutilis evadit controverſia, num in dicta L. 35. Officialibus ſaltem fœnus interdicatur, quæ *Connani & Stryckii* eſt ſententia, an quoque mutuum gratuitum, quod volunt *Alciatus*, *Eckoltus*, *Brunnemann.* Hi verbis legis nimium inhærent, illi mentem ejus rectius aſſequuntur. Ceſſat enim in mutuo gratuito concuſſionis metus, in quo prohibitionis ratio eſt ſita. Nonnunquam Officiales domino mutuum cautionis loco, nunc gratuitum, nunc ſub fœnoris lege dare debent, qua de re vid. *Jo. Frid. Schmid.* diſſertatio de Mutuo Officialium cautionis loco ab initio officii prænumerando.

§. DXVI.

Iis, qui in poteſtate parentis ſunt, mutuas pecunias dare prohibet SCtum Macedonianum, eique, qui credidit, denegat actionem tam adverſus ipſum filium filiamve, nepotem neptemve, ſive adhuc in poteſtate ſint, ſive morte parentis vel emancipatione ſuæ poteſtatis eſſe cœperint, quam adverſus patrem aut avum tot. tit. Dig. & Cod. de SCto Maced. §. 7. Inſt. quod cum eo qui in alien. poteſt. Vocatur hoc SCtum Macedonianum a Macedone quodam, qui ei cauſam dedit, ſive is adoleſcens perditus fuerit, ut *Theophilus* putat, ſive fœnerator, quod plerique malunt, & latum videtur vel ſub Claudio Imp. de quo *Tacit.* Annal. L. XI. c. 13. lege lata, ſcribit, ſævitiam creditorum coërcuit, ne in mortem parentum pecunias filiisfam. fœnori darent, vel ſub Veſpaſiano de quo *Sveton.* c. XI. auctor ſenatui fuit decernendi, ne filiorumfam. fœneratoribus exigendi crediti jus unquam eſſet, ne poſt patrum quidem mortem. *an filiifam.*

§. DXVII.

Certe origo hujus SCti mere eſt civilis, cum naturali jure nil plane obſtet, quo minus filiumfam. perfecto rationis uſu pollentem ex mutuo etiam invito parente contracto obligatum dicamus, utut pater ex eodem *SCtum Macedon.*

 haud

haud teneatur. Quare, ſi quæritur, num Principum liberi hujus SCti beneficio ſe tueri poſſint? ad duo momenta res redire videtur, primo an Principum liberi ſint ſubditi, deinde an SCtum Maced. ſit receptum, ſubditisque legis inſtar præſcriptum. In dubio nec Principum liberi pro ſubditis ſunt habendi, vid. de patr. pot. §. 227. nec præſumenda SCti Maced. receptio. Sed proponamus nobis exemplum ſpeciale de liberis Principum Germaniæ. Diverſimode de iis ſentiunt Doctores. *Gribnerus* de præjudicio Principum Imp. ex abuſu Juris Juſtinianei c. 2. §. 6. lit. c. exiſtimat, filio Principis patriam poteſtatem non obſtare, quo minus mutuum accipiat. At *Henricus Bodinus* de Contractibus Summar. poteſtat. c. 3. §. 5. in ipſis Principum filiis beneficium SCti Maced. admittit, cum Principes licet legibus ſuperiores, tamen privilegiis ſubditis conceſſis privandi non ſint, Principumque filii actu ſummam poteſtatem non habentes pro ſubditis reputentur, & ſic pro re nata jura ſubditorum ipſis competant, quo jure legitime ita quæſito etiam poſt acceptum Principatum recte eos uti poſſe cenſet.

§. DXVIII.

in ipſis Germ. Principibus admittendum.

Placet nobis ſententia Bodini, ſed diſplicent rationes quibus eandem probare conatur. Falſum enim eſt, quod privilegia ſubditis conceſſa Principi ſint applicanda. In privilegiis enim ſubditis gratiam facere Princeps intendit, quam ſibi ipſi certe facere nequit. Falſum quoque eſt, quod liberi Principum Imperii parentum ſuorum ſint ſubditi. Nihilo ſecius ſuccurrere ipſis beneficium SCti Macedon. exiſtimo. Quamvis enim non ſint parentum ſuorum, ſunt tamen Imperii ſubditi, eorumque cauſæ in ſummis Imperii judiciis ſecundum jus commune deciduntur, cum quo ipſum SCtum Maced. receptum. Conſentit *Stryck.* ad Lauterb. p. 425. Interim cum Principum dignitati parum conveniat, juſtas etiam a debitis ſe liberandi conquirere excuſationes, rariſſima, ſi ſaltem ulla, deprehenduntur exempla exceptionis SCti Macedoniani a Principe creditoribus oppoſitæ, utut ſalva conſcientia eam opponi poſſe facile largiar. Renuntiari ne quidem juramento interpoſito SCto Macedoniano valide poſſe oſtendi L. I. T. 8. §. 305.

§. DXIX.

§. DXIX.

Sicut lege, ita & pacto, aut testamento facultas mutuum contrahendi vel auferri vel restringi potest. Illustre exemplum occurrit in testamento Joannis Georgii Ducis Jsenacensis apud *Ludolf.* de jur. primog. p. 235. ibi: Zu solchem Ende soll er (der ältere Sohn) sich aller Geld Aufnahm aufs äusserste entbrechen und ohne Vorwissen unsers jüngern Sohns, und dessen männl. Nachkommen keines weges erlaubet seyn über 12000. thlr. aufzunehmen. Jedoch soll im Fall die Nachgebohrnen sich dabey allzuhart erweisen würden, denen in unsern Fürstl. Gesamt-Hause verordneten Austrägen der Ausschlag jedesmahl anheim gestellet werden. In Ducatu Megapolitano vi pacti de 1621. d. 3. Mart. inter Adolphum Fridericum & Joannem Albertum initi, æs alienum ultra ter centum millia thalerorum a feudi successore solvi non debere, ni ipse consenserit, docet *Matthias Stein* diss. de alienatione immediati feudi Imperii Rostoch. 1709. c. 4. §. 4. Facile autem apparet differentia, quæ intercedit inter mutui prohibitionem a lege factam, & illam quæ pacto vel testamento fit. Pacto & testamento prohiberi saltem potest ne res aliqua per mutuum oneretur, aut per illud tertius obligetur, ipsa autem contrahentis obligatio valida permanet, si forte contra pactum vel testamentum mutuum celebretur, quod secus se habet, ubi lege certis personis mutuo dari prohibetur, quia lex tunc impedimento est, quo minus obligatio ex mutuo accepto oriatur.

Pacto & testamento mutuum contrahendi facultas restringitur.

§. DXX.

Orta ex mutuo obligatio sicut reliquorum contractuum beneficorum est unilateralis, nimirum ad reddendum mutuum in eodem genere. Ad accipiendum mutuum nondum traditum mutuans nunquam obligatur, etiamsi promiserit. Alterius enim non interest, ut mutuans accipiat. Quo ipso nova se prodit differentia inter mutuum & contractum fœnoratitium. Mutuum enim cum sit gratuitum & in solius mutuantis gratiam tendat, invito non obtruditur, at in contractu fœnoratitio pecuniam fœnori exponendam qui sumere promisit, accipere tenetur, nec sola pœnitentia libe-

Obligatio ex mutuo

liberatur, quia negotium eſt bilaterale, ac alterius intereſt, fœnus promiſſum conſequi.

§. DXXI.

De exceptione non numeratæ pecuniæ.

Ad reddendam pecuniam ex mutuo debitam debitorem tum demum obligari, ſi reapſe eandem acceperit, res ipſa loquitur. Alias exceptione non numeratæ pecuniæ liberabitur * quam circa obſervant *Berger* de except. non numerat. pec. adv. camb. §. 1. & *Gribner* Princip. J. N. L. 4. c. 8. th. 8. præter æquitatem jure civili conſtitutum, quod intra biennium probatio ſolutionis ei, qui chirographum accepit, injungatur, & quod poſt biennium non audiatur debitor, qui ſe non accepiſſe pecuniam probare velit. Chirographum enim ſolutionis facere præſumtionem, quæ tamen poſt biennium contraria probatione elidi poſſe videtur. Sed contrarium litium reſcindendarum ac minuendarum cauſa conſtitutum L. 14. C. de non num. pec. & tot. tit. Inſt. de literar. Obligationib. ** In quantum adverſus Cambia & inſtrumenta guarentigiata exceptio pecuniæ non numeratæ locum habeat, dicetur L. 2. T. 14. §. 26. Exceptio dotis non numeratæ plane ceſſat, ſi matrimonium decennium duravit. Sin matrimonium intra biennium ſolutum, dicta exceptio intra annum a tempore prætenſæ ſolutionis competit L. 3. C. de dote cauta. Matrimonio autem poſt biennium ante decennium ſoluto tribus ſaltem menſibus querela permittitur Nov. 100. c. 2.

* Quam nec juramentum obligationi additum excludit. Deficit enim judicium & rei veritas, quia ſub ſpe futuræ numerationis juratum. Conf. *Ludovici* ad Brocard. Omne juram. eſſe ſervandum, quod ſalva ſalute æterna ſervari poteſt. §. 39.

** Fruſtra ſunt, qui emolliendæ huic juris Romani doctrinæ præſidium in diſtinctione exceptionis non numeratæ pecuniæ in privilegiatam & minus privilegiatam quærunt. Vide poſt alios multos *Zollium* diſcurſ. de except. non num. pec. Illam enim fictitiam & a mente juris Romani alienam eſſe, dudum ab aliis oſtenſum. Vid. *Berger* ad Lauterbach tit. de reb. Cred. & diſſ. de Except.

Except. non num. pec. adv. Camb. Add. dicenda L. 2. T. 23. §. 816.

§. DXXII.

Ubi autem ex vero & mediante facta traditione perfecto mutuo adest obligatio, illa tendit ad rem restituendam in eodem genere. Dico ad rem restituendam. Nam contra naturam & essentiam mutui esse videtur pactio, ne creditum reddatur, quæ licet vitii nil alat, ad mutuum tamen non est referenda, sed quodvis potius aliud negotium, donationem, emtionem annuorum redituum aliusve juris, prout Dionysius numos Calendis Græcis restituendos mutuo sumsisse, & Galli quondam neminem in civitatem suam admisisse perhibentur, nisi qui pecuniam dedisset mutuo, quæ apud inferos redderetur ceu ex *Aristot.* Oecon. & *Valer. Maxim.* docet. *Klock.* de Contrib. c. 7. n. 58. Simile fere exemplum affert *Grammond.* Hist. Gall. Lib. 14. de mutuo a Genuensibus Regi Hispaniæ dato, cujus, manente sorte, quæ ipsi cautio est fidei Genuensis, usuræ quotannis præstari debeant. Referri huc quoque possunt pecuniæ ab Officialibus recens constitutis cautionis loco numerandæ, nunc cum, nunc sine usuræ promissione der Vorschuß derer Beamten, quæ in casu male administrati officii haud redduntur. Porro huc spectant die eiserne Capitalien, quæ prout diximus, propius ad annuorum redituum, quam mutui naturam accedunt.

Contra naturam mutui est, ne creditum reddatur.

§. DXXIII.

In mutuo enim facienda est rei creditæ restitutio, & quidem in eodem genere, seu in eadem quantitate & qualitate, in quantum fieri potest. Unde pecunia mutuo data in eodem iterum monetæ genere reddenda, in eben solchen Speciebus, oder Müntz-Sorten, quod si haberi amplius nequeat, respiciendum in solutione est non ad tempus solutionis, sed initi contractus ob ratione L. 1. T. 10. §. 2. adductas, & hodierna pecunia ad valorem antiquum reducenda. Sic Camera Imperialis in causa Dominorum in Creutznach contra Com. de Falckenstein cum reluitio quorundam pagorum deberetur in Florentinis aureis, nec hi amplius reperirentur, pro quolibet Florentino aureo 25. Batzios numeravit, respectu

Moneta mutata restitutio ad tempus contractus exigenda.

scil.

ſcil. habito ad valorem aureorum tempore initi contractus extantium. Vid. *Mynſinger* Cent. IV. Obſ. 1. n. 6. quod etiam procedit, licet in dies certos ſolutio ſtatim ab initio ſit diſtributa, e. c. annuatim facienda, ita ut ſinguli anni propriam ſolutionem habere videantur. Nam præſumuntur contrahentes reſpexiſſe valorem monetæ talem, qualis erat tempore contractus, niſi expreſſe paciſcantur, ut in moneta currente fiat ſolutio.

§. DXXIV.

De uſuris ex mutuo

De periculo rei mutuo datæ nulla poteſt eſſe quæſtio, cum dominium rei mutuo datæ tranſeat in accipientem, atque adeo ipſius cedat periculo, nec res in ſpecie ſed in ſuo ſaltem genere reſtituenda veniat. Uſuræ ex mutuo regulariter non debentur, eſt enim contractus beneficus, & ſi expreſſe promittantur, tunc ipſa hæc promiſſio, ſi intra modum legitimarum uſurarum ſtet, non quidem eſt illicita, tranſit tamen tunc negotium in aliud genus, contractum puta fœnoratitium ita ut ex negotio benefico fiat oneroſum. De ipſo uſurarum jure vid. Tit. 15. & L. 1. Tit. 12.

TITU-

TITULUS IIX.

DE

Commodato & Precario.

*
* *

Commodato res datur, ut finito uſu reſtituatur precarium quandocunque revocare placuerit. Leges civiles in commodato leviſſimam, in precario latam ſaltem culpam præſtare præcipiunt.

§. DXXV.

Commodatum ſive dicatur, quaſi quod cum commodo, ſive quod cum modo datum, eſt contractus, quo res alicui ad certum uſum gratis ita conceditur, ut finito uſu in ſpecie reſtituatur. Debet concedi ad certum uſum, unde differt a precario, quod pro lubitu, quandocunque placuerit, revocari poteſt. Debet concedi gratis. Merces enim ſi intervenit, negotium tranſit in locationem vel contractum innominatum. Honorarium autem ex poſt facto accedens tanquam merum accidens negotii indolem non mutat. Denique reſtitui res commodata debet in ſpecie, unde differt a mutuo, quod in genere reſtituitur. *Commodatum quid?*

§. DXXVI.

Inter perſonas illuſtres rarius commodati contractus celebratur, quoniam illæ, utpote opibus abundantes, plerumque illis rebus, quibus indigent, ipſæ ſunt inſtructæ, nec proinde eas ab aliis commodato accipere opus *inter illuſtres rarius occurrit*

opus habent. Solent tamen aliquando inprimis sponsæ etiam illustres jocalia aliaque ornamenta, ut tanto ornatiores in solennitatibus celebrandis incedant, commodanda sibi expetere. Succurrit quod de filia Regis Israelitarum tradit Gemara Babyl. Tanith fol. 31. a. eam mutuo expetere vestem albam a filia summi sacerdotis, hanc a filia Saganis seu Vicinarii seu sacerdotis, hanc a filia sacerdotis ad bellum uncti seu militaris, hanc a filia sacerdotis vulgaris, omnes vero Israelitas mutuo sumere vestes albas (cum ad saltandum in vineas procedunt, & juvenibus quasi nupturientes se sistunt) unam ab alia, & hoc ideo ne pudefaciant eam, cui nulla est. Conf. *Francisc. Wockenius* de Albis Judæorum p. 13. not. p. p.

§. DXXVII.

ejus objectum Proprie solæ res mobiles commodantur, sed & res soli seu immobiles, item servitutes commodari dicuntur L. 1. Dig. Commodati vel contra.

§. DXXVIII.

jura Transfertur in commodatarium solus usus, & necessaria ad eundem detentio, possessione & proprietate penes commodantem remanente L. 8. Dig. Commodati. Unde & commodatarius, quamdiu commodati titulo se detinere fatetur, nunquam in usucapiendi conditione constituitur. Cumque commodatum in solius commodatarii gratiam fiat, nec quicquam utilitatis commodans ex eodem percipiat, sequitur levissimam culpam a commodatario esse præstandam Vid. L. 1. T. 10. §. 344. qui tamen quoad meliorationes & expensas necessarias a commodante præstari debet indemnis, Quando vero sponsus vel maritus ornamenta sponsæ aut uxori commodat, ut ipsa cultior incedat, uxor latam saltem culpam præstat, quia sua duntaxat gratia commodans commodasse censetur L. 5. §. 10. Dig. Commodati.

§. DXXIX.

de periculo rei commodatæ De periculo rei commodatæ anceps in jure naturæ est quæstio. Pro commodante facit, quod probabiliter si rem commodatam penes se retinuisset, illa non fuisset peritura aut evasura deterior, cum autem ex commodato utilitatem nullam percipiat, iniquum esse, ut ex officio alteri exhibito

hibito damnum ſentiat. Vid. *Grotius* L. 2. c. 12. §. 13. quem refellit *Gribner.* Princ. Jur. Nat. L. 4. c. 3. th. 4. & in diſſert. de æquitate Legum Romanarum circa periculum rei commodatæ Lipſ. 1702. At commodatarium juvat, quod caſus fortuitus imputari nemini poſſit, resque adeo ſuo domino pereat, quæ eadem ratione, qua apud commodatarium, ubique & apud ipſum dominum perire potuiſſet. Placuit in hac perplexitate Carolo M. in legibus antiquis dividere damnum in commodato inter commodantem & commodatarium. Legibus Romanis, quas hodienum hoc in paſſu ſequimur, res ſuo domino perit, nec citra præviam conventionem commodatarius caſum præſtare aliter tenetur, quam ſi ipſius culpa aut mora præceſſerit §. 2. Inſt. quib. mod. re contrah. oblig.

§. DXXX.

Precarium Precarium eſt gratuita uſus conceſſio ad beneplacitum revocabilis. Cujus negotii cum tam laxa & exigua ſit obligatio, jus Romanum illud contractibus haud annumerat. L. 14. Dig. de precar. Dicitur illud *precarium*, quia plerumque ad preces petentis conceditur, ut preces de eſſentia precarii haud ſint, nec illud tale eſſe deſinat, etiamſi proprio motu concedatur, quo caſu gratiæ acceptatio precum vices ſubit, cum exadverſo preces quibusvis aliis contractibus etiam oneroſis accedere queant.

§. DXXXI.

debet eſſe gratuitum Dixi precarium eſſe conceſſionem *gratuitam.* Nam ſi merces aut penſio ſtatis temporibus ſolvenda acceſſerit, negotium tranſit in locationem revocabilem. Si vero non merces ſed ſolummodo honorarium quoddam eine jährliche Reconnoiſſance accedit, illud precarii naturam non mutat, ac utile eſſe poteſt, ne id quod precarii jure uſurpatur, temporis tractu jure proprio prætendatur. Medium quaſi genus inter precarium & locationem conſtituit, quando e. c. Princeps miniſtro venationem precariam in partem ſalarii als eine Beynutzung concedit.

§. DXXXII.

revocabile Denique ad precarium requiritur ut ſit ad beneplacitum *revocabile.* Hinc differt a commodato, quod ad certum uſum conceditur, nec prius,

 quam

quam illo finito revocari poteſt, cum exadverſo precarium ſingulis momentis ſit revocabile, ac deſuper literæ reverſales dari ſoleant, quibus is, cui precarium conceditur, profitetur, ſe conceſſionem ex mera gratia accepiſſe, ſimulque promittit, quod nullo unquam tempore ſub alio titulo eam ſibi arrogare vel aliter, quam ſibi nominatim conceſſa eſt, exercere velit, ac liberrimam domini pro arbitrio eam revocandi facultatem agnoſcit.

§. DXXXIII.

niſi aliud Ex quibus apparet, temporis adjectionem aut pactum de non pœnitendo omnino cum natura precarii pugnare, adeo ut tunc negotium abeat in commodatum. Jure Romano quidem ſi tempus erat adjectum precario, nulla vis erat hujus conventionis L. 12. Dig. de precar. quia nimirum precarium jure contractus non gaudebat, & ex pacto nudo nulla erat obligatio. At noſtris moribus, ubi valida eſt pactorum obligatio, pactum de uſu rei ad tempus certum gratis concedendo omnino ſubſiſtit, utut precarii nomine inſigniri nequeat, ſed tranſeat in illud commodati.

§. DXXXIV.

actum Exemplum validi ejusmodi pacti exhibet *Harprecht* de venationibus precariis p. 16. Wir N. bekennen und urkunden hiermit: Demnach N. uns zu erkennen gegeben, wie das bey Lebzeiten des Weyl. Hochgebohrnen ꝛc. er unterthänig geſucht und gebethen, daß ihm die hohe Jagden auf N. Gemeinde an jagen, ſchieſſen und Saltzſchlagen auf Hirſch, Schwein, Auer und Birckhüner, wie ſolche bis anhero hieſiges Orts daſelbſt exerciret worden, auf eine gewiſſe Zeit concediret und nachgelaſſen werden möchten. Weilen aber Hoch Fürſtl. Sr. Lbd. inzwiſchen Todes verblichen, und uns demnach ferner angelanget, daß wir ihm an bemelten Ort ſich der Jagd-Gerechtigkeit auf etliche wenige Jahre zu gebrauchen vergönnen möchten. Wenn wir denn ſeine Bitte angeſehen: Als haben wir ihm berührte Jagden von dato an auf 10. Jahr lang dergeſtalt concediret und eingethan, daß er auf beſagter Gemein, ſo weit dieſelbe ſich erſtrecket, die hohe Jagden, wie ſolche oben benennet, ſeinen beſten nach nutzen und gebrau-

gebrauchen möge: Ausgangs solcher 10. Jahre aber davon wieder abzutretten schuldig seyn solle.

§. DXXXV.

Inde quod ad tempus certum concedi precarium nequit, apparet quoque ejus differentia a *precaria* juris Canonici, de qua tot. tit. X. de precariis. Est illa jus utendi fruendi prædio ad vitam accipientis gratis concessum ea lege, ut de quinquennio in quinquennium renovetur cap. 1. & 3. in fin. X. de precar. ibi: Precariæ quæ quandoque de ecclesiarum possessionibus fieri solent, non sunt pro voluntate concedentium revocandæ. *differt a precaria.*

§. DXXXVI.

Usus precarii se exerit quibuscunque in rebus quæ usu non consumuntur, corporalibus & incorporalibus e. c. in jure pascendi, quod vicini sibi quandoque gratis & ad beneplacitum revocabile indulgent: item quando Principes habitatoribus ædium hortis a viridariis suis contiguarum permittunt fores aperire, per quas in dictis hortis ac viridariis exspatiari vel transire queant. Omnium autem frequentissime precarium cernitur in venationibus precariis in denen Revers oder Gnaden-Jagden quas nunc plenius nunc restrictius indulgeri cernimus. *variæ precarii species*

§. DXXXVII.

Ubi conceditur alles Weid-Werck, wie es Nahmen haben mag, omnis venatio, superior & inferior, aucupium & piscatio concessa intelligitur. Venatio simpliciter concessa juxta rectæ interpretationis regulas non quidem piscatio, (quæ Germanis sub voce der Jagd haud venit) superior tamen ac inferior comprehenditur, utut venatores strictam interpretationem, ac solam inferiorem indigitari malint. Sola venatione superiori concessa, inferiorem non comprehendi certum. *Venatio precaria*

§. DXXXVIII.

Aliquando tempus venandi determinatur, speciatim excipitur tempus fœturæ, imprægnationis & partus ferarum, die Setz-Zeit, zur hohen *restricta*

Jagd von Johannis bis Weinachten zum niedern Weidwerck von Bartholomai bis Fastnachten. Reservari passim solet concedenti die Vor-Jagd, ita ut venatio precaria demum incipiat, Wenn die Herrschafft ihre Recreation in der Hirschbrunfft oder Schweinhatz in dem Bezirck vollbracht: vel ut tabulæ nonnullæ ferunt: so wir oder unsre Nachkommen nicht gegenwärtig sind, an unsrer statt das Wild zu jagen und niessen.

§. DXXXIX.

in modo

Sed & modus diversimode determinatur. Nunc saltem indulgetur facultas lepores canibus in agris insectandi vom Strick auszujagen oder zu hetzen: nunc duntaxat das abschröcken, tempore nocturno leporibus aliisque feris retia & tendicula ponendo, wenn dem Hasen vor Tags, da er gen Holtz fahren will, fürgerichtet wird: nunc excipitur & prohibetur das anstellen und schiessen aus den Höltzern: nunc indulgetur das pürschen und schiessen: quandoque ad personam supplicantis restringitur, daß er selbst und allein, wenn er auf dem Guthe seyn werde, in dem angewiesenen Bezirck, solche Gnaden-Jagd exerciren solle: vel daß er allein seine vertraute und verpflichtete Diener dabey gebrauchen solle: vel saltem ad suam recreationem aut necessitatem & indigentiam, zu seiner Ergötzung oder zur Nothdurfft, was er in sein Haußhalten verbraucht: vel denique ad numerum certum, vier Stück roth, und so viel Stück schwartz Wildpret: aut ut captas feras insigniores ac rarioris qualitatis, visu dignas ad aulam concedentis transmittat.

§. DXL.

cumulative.

Quocunque vero modo venatio precaria fuerit concessa, in dubio tamen eam non privative sed cumulative concessam, ipsa negotii dictitat indoles, ac gratitudinis efflagitat lex, ne beneficium ex mera gratia collatum ipsi concedenti præter suam intentionem existat damnosum. Qua in re omnino se prodit differentia inter concessam venationem & jurisdictionem. Hanc enim in dubio dependenter quidem, non autem cumulative sed privative concessum censeri, alibi monuimus.

§. DXLI.

§. DXLI.

Effectus precarii consistit in facultate utendi. Usus cum sine possessione esse nequeat, sequitur, eum, qui precario rem obtinet, re vera possidere. Dum habet animum sibi habendi usum, possidet non modo naturaliter, sed certo modo etiam civiliter, adeo ut remedia possessoria contra tertium ipsi competant, imo interdictum recuperandæ possessionis contra concedentem ipsum, si vi dejecit §. 6. Inst. de Interdictis. At citra vim adhibitam precario tenens contra concedentem possessionem urgere nequit, cum concedens possessionem non amittat, sed is, qui precario tenet, nomine concedentis possideat, ac proinde petentis & concedentis una eademque sit possessio. *Pomponius* in L. 10. §. 1. Dig. de acquir. & amitt. possess. subtiliter distinguit inter possidere, & esse in possessione. Sic & L. 4. §. 1. Dig. de precario, dicit eum, qui precario habet, possidere. At L. 6. §. 2. eod. eum, qui rogavit, ut in fundo moretur, non possidere, scilicet intuitu concedentis, at possidet intuitu tertii.

an tribuit possessionem

§. DXLII.

Cernitur quoad possessionem differentia aliqualis inter commodatum & precarium. In precario possessio quodammodo transfertur, in commodato sola detentio L. 8. Dig. commodati L. 4. §. 1. de precario. Utrobique tamen dominii jus & possessio conservatur per precistam æque ac commodatarium. Qui precario nomine tenet, utitur contra tertium remediis possessoriis, quæ commodatario non indulgentur. Quod dominus per precarium possessionem non amittat patet tum ex L. 6. §. 2. L. 15. §. 4. de precario, tum ex eo quod supra diximus venationem precariam non privative, sed cumulative concessam intelligi.

§. DXLIII.

Circa culpæ & periculi præstationem naturali jure nulla apparet differentia inter precarium ac commodatum. Utrobique sola commodatarii & precistæ utilitas vertitur, quare hi quoque culpam levissimam præstare tenentur. Leges civiles vero ob usum singulis momentis revocabilem in

culpæ in precario præstatio

in precario ſolum dolum & culpam latam, levem non item præſtari præcipiunt L. 8. §. 3. Dig. de precario.

§. DXLIV.

finitur

Ad modos finiendi precarium quod attinet, tranſit illud quidem ad heredem ejus qui conceſſit, non autem ad heredem ejus qui precario rogavit L. 12. §. 1. Dig. de precario. Nam roganti duntaxat non etiam heredi conceſſa poſſeſſio, niſi precarium diſerte pro ſe & heredibus conceſſum, quod tamen extraordinarium, & ſtricte pro ſolis primis heredibus capiendum. Quia vero poſſeſſio rem ipſam afficit, apparet ratio, cur morte concedentis non expiret precarium, ſed opus ſit, ut heres concedentis illud prius revocet. Sicut & in caſu, quo prædium cum venatione, quæ tertio precario erat conceſſa, venditur, precarium etiam poſt venditionem perdurat, donec emtor illud revocet. L. 8. §. 2. Dig. de precario.

§. DXLV.

revocatione.

Ubi is, qui precarium conceſſit, illud revocat, alter autem negat ſe precario poſſidere, & proprio potius jure rem tenere aſſerit, tanta eſt poſſeſſionis vis, ut domino probatio contra poſſidentem incumbat. Exadverſo quamdiu poſſeſſor precarii qualitatem fatetur, nunquam in facultate præſcribendi conſtituitur, quia dum concedentis nomine poſſidet, deſtituitur titulo ad dominium transferendum habili.

TITU-

TITULUS IX.

DE

Mandato.

*
* *

Mandatum illuſtre, utut judiciale, fœminis nonnunquam commiſſum. Quorundam negotiorum ea eſt indoles, ut nonniſi nobilibus mandari queant. Orta ex mandato obligatio quoad præterita heredes etiam ſtringit, quoad futura autem mandatum pro lubitu tum a mandante, tum ejus herede revocatur.

§. DXLVI.

Mandatum, quod a manu danda compoſitum volunt, eſt contractus, quo aliquid gratis gerendum committitur & ſuſcipitur. Committi debet res gerenda, nec ſufficit eam ſuſcipi, quo ipſo a negotiorum geſtione differt. Gratis geri debet, alias enim in locationem aut contractum do ut facias tranſiret. Porro mandatum differt a conſilio, eo quod hoc obligationem nullam inducit, a ratihabitione autem eo, quod hæc actum ſubſequitur, mandatum autem præcedit. Is cui negotium gerendum mandatur, vocatur mandatarius it. procurator, cujus ſpecies eſt procurator feudi, a quo iterum differt Provaſallus. * *Mandatum quid?*

* Utpote qui plus eſt, quam nudus procurator, ipſeque feudi procuratorem conſtituere poteſt. Et procurator admittitur, ubi pro-

provasallum rejicere potest dominus e. c. si Vasallus absens. E-contra ubi provasallus constituitur, procurator sufficere nequit. In dubio Pro-Vasallus esse præsumitur qui ab inhabili, procurator autem, qui a Vasallo ad comparendum habili est constitutus. Conf. de tutela T. 13. §. 584.

§. DXLVII.

Mandatarius quandoque nonnisi nobilis admittitur.

Mandare mandatumque suscipere regulariter potest quilibet, qui pacisci. Ad feuda tamen recipienda ut nonnisi nobiles vom Herrn- oder Ritter-Stande mittantur, Imperii Statibus Decreto Consilii Imp. Aulici anno 1688. 28. Aug. injunctum. Sicut ad juramentum purgatorium præstandum Germaniæ Principes nonnisi *nobilem* procuratorem mittere sinuntur. Vid. Pac. publ. Wormat. 1521. tit. 7. §. penult. & Ord. Cam. part. 2. tit. 10. Similiter Provasallum Vasallus quidem eligere potest, sed NB. talem, qui sibi in generatione sit æqualis, der ihm ebenbörtig und zum Heerschilde gebohren ist. Vid. Jus feud. Sax. c. 8. & Alem. c. 60. §. 2.

§. DXLIIX.

potest esse fœmina.

Fœminas etiam illustres dari posse procuratrices, memorabili discimus exemplo cap. 4. X. de confirmatione utili & inutili, ubi Innocentius III. Papa Curiæ Romanæ procuratricem constituit Abbatissam Gardenovensem seu Gandersheimensem adversus Ecclesiam Hildesiensem, ut procuret, quæ coram Decano Paderbornensi in judicio fuerint procuranda. Ex quo textu male infert *Rittershusius* 5. Differ. 12. Jure Canonico mulierem procuratricem in judicio esse posse. Quod enim summus Princeps in Republica & Papa in Ecclesia ex plenitudine potestatis permittit, aliis non protinus est integrum, quodque fœminis illustribus officii & dignitatis, quam gerunt, intuitu licet, reliquis inepte applicatur.

§. DXLIX.

Mandati divisio in

Mandari nonnisi negotia licita & honesta posse, illicitorum autem nullam esse obligationem, res ipsa loquitur. Negotia licita mandari solita

sunt

ſunt vel judicialia, vel extrajudicialia, unde diſtinctio inter mandatum judiciale & extrajudiciale. * *judiciale & extrajudiciale*

* Quorſum & ſpectat Tutela pactitia.

§. DL.

Ratione modi mandandi aliud mandatum eſt expreſſum, aliud tacitum, (de præſumto vid. Tit. 25. §. 834.) Sic Duci bellico, cui belli gerendi poteſtas committitur, eo ipſo ſimul data cenſetur poteſtas capitulationem obſeſſis indulgendi, quæ proinde a Principe æque ſervanda, ac ſi ipſe eam idulſiſſet, aut ſpeciale deſuper mandatum Duci conceſſiſſet. *tacitum & expreſſum*

§. DLI.

Alia adhuc mandati diviſio eſt in generale & ſpeciale. Generale eſt, quod in genere ad negotium gerendum omnesque ejus actus datur, ſpeciale quod ad certum actum in ſpecie expediendum datur. Cumque mandans in ſuam ſaltem utilitatem mandaſſe præſumatur, ſequitur mandatarium vi mandati generalis ea ſaltem poſſe peragere, quæ in mandantis utilitatem tendunt. Quoties autem de ipſius præjudicio agitur, ſpeciali mandato opus eſſe, quod ne quidem per additam clauſulam cum libera (ſcil. agendi poteſtate) inducitur. Hæc enim ex ipſa mandati indole cuivis, & ipſi etiam generali mandato ineſt. Equidem cap. 4. de procuratorib. in 6. diſponitur, ſi aliquis vel aliqui de articulis, ſpeciale mandatum exigentibus, ſpecificati fuiſſent, adjecta clauſula *generali*, tunc ad non expreſſos procuratorem etiam admittendum. Unde vulgo colligunt in mandatis judicialibus clauſulam cum libera hunc effectum habere, ut procurator in cujus mandato actus quidam magni præjudicii ſunt expreſſi, ſubjecta hac clauſula etiam alios actus ſpeciale mandatum exigentes expedire queat. Sed bene obſervat *Jo. Balthaſ. Wernherus* in diſſ. de clauſula cum libera in mandatis extrajudicialibus omni jure ſuperflua §. 26. clauſulam generalem, cujus meminit jus Canonicum, non æquipollere illi cum libera, ſed talem innuere, quæ in *reliquis etiam omnibus actibus, qui ſpeciale mandatum requirunt*, agendi poteſtatem committit, & §. 28. 29. oſtendit, in ipſa praxi nullam clauſulæ cum libera rationem haberi. *generale & ſpeciale*

§. DLII.

illimitatum.

Specialia mandatorum requisita ex ipsis legibus specialibus sunt haurienda. Sic ex formula mandati, quod Electores nuntiis suis ad electionem faciendam dare jubentur, apparet, illud esse debere illimitatum, nec ad certam personam restrictum. Unde cum legatus Saxonicus in electione Ferdinandi II. mandatum ad certam personam restrictum produxisset, actus electionis fuit dilatus usque dum mandatum generale accepisset. Et si forte in instructione secreta certam personam eligere legatus fuerit jussus, ac ille nihilo secius aliam elegerit, valida erit electio, tum quoniam lege limitatum ejusmodi mandatum est prohibitum, tum quoniam reliqui Electores respexerunt fidem mandati generalis sibi exhibiti. Ante Auream Bullam licuisse Electoribus dare legatis suis, ad electionem Cæsaream missis, mandata ad certam personam restricta, videri posset ex eo, quod vulgo narratur de Nicolao Bockio, Waldemari Electoris Brandeburgici ad electionem Cæsaream legato, erasisse eum ex mandati tabulis nomen Friderici Austriaci, pro eoque substituisse illud Ludovici Bavari, propterea que a Waldemaro in carcere fame fuisse necatum. Primus, quod sciam, hanc historiam refert *Gerardus a Roo* Annal. Austriac. L. 2. p. 70. quem sequuntur *Cuspinianus* & *Albertus Krantzius* in Saxon. L. 9. c. 8. At fabulosa esse omnia, apparet ex ipso electionis Diplomate, quod Waldemarum in persona adfuisse testatur. Produxit illud *Christoph. Gewoldus* de Septemviratu §. 37.

§. DLIII.

Obligatio mandatarii

Orta ex mandato obligatio alia est in mandante, alia in mandatario. Mandatarius ex interposito consensu tenetur ad negotium, quod promisit, gerendum nec pœnitere susceptoque mandato renuntiare potest aliter, quam si probare valeat, mandantis nihil interesse, ac adesse alium, cui æque commode committi negotium possit. In ipsa autem negotii administratione tenetur mandatarius ad dolum & culpam præstandam jure Romano levissimam indistincte, naturali latam saltem, nisi fuerit artis peritus, tunc enim ad levissimam tenetur, vid. Lib. 1. Tit. 10. §. 344.

§. DLIV.

§. DLIV.

Mandantis alia cernitur obligatio erga mandatarium, alia erga tertium. Mandatario tenetur ad ſolam indemnitatem, & pœnitere ac revocare poteſt mandatum, quandocunque libuerit. Tendit enim mandatum in ſolius mandantis utilitatem, nec intereſt mandatarii illud continuari, quod eousque extenditur, ut etiamſi revocationi jurato renuntiatum ſit, tamen valeat revocatio, licet revocans hoc caſu perjurium committat. Vid. *Coccej.* de jure pœnitendi in Contractib. p. 28. *mandantis*

§. DLV.

Tertio ſive extraneo tenetur mandans ex mandato & facto mandatarii, etiamſi mandans revocaverit mandatum, priusquam promiſerit mandatarius, revocationem ignorans *, modo mandatarius limites mandati haud exceſſerit **, quos juxta ſtrictæ interpretationis regulas ſervare omnino debet. Hinc ob manifeſte abſurda aut doloſe a miniſtro geſta Princeps non tenetur, licet generale mandatum dederit. E. c. ſi legatus chartæ blancæ inſcriberet facultatem regnum cedendi, aliasve duras conditiones ineundi, quarum nulla probabiliter eſt neceſſitas. Tunc ob ejusmodi dolum aut culpam admiſſam non modo Princeps ſupplicium a legato ſumere poteſt, ſed nec ex his ipſius geſtis ulli obligatur. *** Econtra ſi legatus præter mandatum ſuum generale & publicum, ex imprudentia ſecretam etiam ſuam inſtructionem **** oſtendit Principi, ad quem eſt miſſus, domino ſuo imprudentiæ pœnas dabit, hic tamen nihilo ſecius ex legati geſtis obligabitur, quoniam illa generali publicoque mandato, cujus fidem alter erat ſecutus, conveniunt. Ex eodem Principio, quod ſcil. limites mandati ſtricte ſint obſervandi, mandans agnoſcere non tenetur alienationem factam a procuratore ad adminiſtrandum dato. Adminiſtratio enim alienationem non involvit, ſed potius excludit. *erga extraneum.*

* Errorem advocati intra triduum principalis indicare jubetur L. 3. C. de error. advocator.

 ** Un-

** Unde intelligitur, clausulam rati & grati tacite omnibus mandatis ex ipsa eorum indole inesse.

*** Pacem in causa Mantuana in Comitiis Ratisbonensibus 1630. sancitam Rex Galliæ revocavit sub prætextu quod Brulartius legatus modum mandati excessisset. Vid. *Amelot de la Houssaie* Obs. super fœderib. Princip. p. 40. Simili prætextu Henricus II. Rex Galliæ cœptum a patre cum Eduardo VI. Angliæ Rege fœdus deseruit. Conf. *Larrey* Hist. Angliæ T. I. p. 569. Idemque nostra memoria Dominis ab Imhoff & Pfingsten Ministris Saxonicis in pace Alt-Ranstadiense culpæ datum fuisse, constat.

**** Datur tamen nonnunquam mandatario quasi secreta instructio, præter veram intentionem dicis causa concepta, ut ei cum quo negotium geritur, quemque sic decipere intendunt, quasi in bona confidentia in geheimen Vertrauen clam ostendatur, utut vera secreta instructio omnia alia ferat.

§. DLVI.

Mandatarius an alium substituere potest.

Porro is, cui negotium commissum, alium substituere, eique vices suas delegare nequit. Personæ enim industria electa censetur, quod tamen fallit, in casu ubi Principi negotium commissum, utpote cujus non tam persona, quam regimen respicitur. Unde non præcise opus, ut ipse Princeps negotium sibi commissum peragat, sed sufficit, uni vel pluribus ex suis ministris illud committi. Extraneus tamen vix admittendus. Conf. *Jo. Balthas. Wernher* de Commissariorum a Principe datorum potestate subdelegandi, & a nobis dicta de Ministris tit. 17. §. 423.

§. DLVII.

Heredes mandantis in quantum

Neque solus mandans pro sua persona, sed & ipsius heredes ex mandato tum mandatario, tum tertio cuivis quoad gesta & facta præterita obligantur, quia nimirum facta antecessoris, ni hereditate carere malint, præstare tenentur. Quare clausula heredum derer Erben und Erbnehmen,

etiamsi

etiamſi in mandato expreſſa haud fuerit, tacite tamen eidem ex ipſa negotii indole ineſſe cenſetur. Sicut autem quoad futurum ipſe mandans, ita multo magis eo mortuo ipſius heredes mandatum pro lubitu revocare valent. Imo pertinet ad mandatarii officium, ut, principali mortuo, ab ejus herede confirmationem impetret, quoniam in futurum negotia non amplius ex defuncti, ſed ſucceſſoris voluntate ſunt gerenda. Certe in Principatu libero non tenebitur ſucceſſor ex iis, quæ mandatarius poſt defuncti mortem ante impetratam confirmationem geſſit, utut forte heres teneatur ex geſtis mandatarii, a defuncto pro ſe & heredibus conſtituti, eousque donec expreſſe revocaverit mandatum. Quo ipſo ſimul intelligitur, quid operetur clauſula heredum derer Erben und Erbnehmen in mandato ad litem peragendam dato. Scilicet quoad ea, quæ vivo mandante ſunt acta, clauſula illa ipſo jure tacite mandato ineſt, quoad futura autem clauſula illa expreſſa id operatur, ut litis reaſſumtione opus non ſit, ſed procurator ſine novo mandato eam tam diu, donec a principalis herede revocetur, continuare valeat.

obligantur.

TITU-

TITULUS X.

DE

Deposito.

* * *

Ex deposito a Principe recepto contra ipsum ejusque heredes, non autem contra successorem vel Rempublicam agitur. Rei litigiosæ depositum vocatur sequestrum, nec infrequens ejus inter Principes cernitur usus.

§. DLIIX.

Deposito definitio Species mandati est depositum, quod & alias commendatum audit L. 186. de Verb. Signif. & describitur, quod sit contractus, quo res gratis custodienda * traditur, & recipitur ad deponentis beneplacitum restituenda. Differt a mutuo. Hujus enim dominium per traditionem transfertur, in deposito autem & dominium & possessio remanet penes deponentem, sola detentione depositario commissa. Differt a commodato, quippe quod in accipientis utilitatem tendit, cum depositum fiat in gratiam dantis seu deponentis. *Res* deponi dicitur, & quidem proprie mobilis tantum. Immobilium enim custodiam propius ad mandatum accedere volunt. Sed ne errabis, si depositum in genere ad mandatum retuleris. Naturali jure nulla utriusque cernitur differentia. Utrobique enim saltem lata culpa præstatur. Jure autem civili hoc interest, quod in deposito lata saltem vide tamen L. 1. T. 10. §. 344. in mandato levissima culpa præstatur. *Gratis* fieri debet depositum, quoniam alias negotium in locationem vel contractum fœneratitium transiret. Honorarium tamen accedens naturam nego-

tii

tii non mutat. Non ſufficit inferri rem depoſitam, ſed & *recipi* ab altero debet, quia per receptionem demum conſenſus inducitur, qui animam contractus conſtituit. Exceptio eſt in depoſito miſerabili, quod & apud invitum poteſt deponi, quia in neceſſitatis caſu dominus ab uſu ædificii vel territorii ſui alios arcere nequit. Denique *reſtituendum* eſt depoſitum *ad* deponentis *beneplacitum.* Depoſitarii enim non intereſt continuari depoſitum, ſed liberari potius ab eodem, nec pactum contrarium revocationi obſtare, evincere vulgo cupiunt ex L. 1. §. 45. 46. Dig. depoſiti.

* Unde præter nomen parum vel nihil cum depoſito commune habet depoſitum judiciale, quando debitor rem debitam, quam creditor accipere renuit, ad effectum liberationis judici tradit.

§. DLIX.

Dividitur depoſitum in depoſitum in ſpecie, quod fit in re non litigio- *diviſio.*
ſa, & ſequeſtrum quod fit in re litigioſa. Utrumque eſt vel judiciale, quod fit judicis auctoritate, vel voluntarium, quod fit utriusque partis conſenſu. Depoſitum voluntarium vel ex libera voluntate proficiſcitur, & voluntarium in ſpecie dici poteſt, vel ex voluntate ex parte coacta, & neceſſarium ſeu miſerabile audit, quale eſt quod fit tempore incendii, tumultus, aliusve periculi ſubito imminentis. Addi ſolet & alia diviſio depoſiti voluntarii in regulare, quando res depoſita *in ſpecie* reſtituenda, & irregulare, quando depoſitarius re depoſita uti ſinitur, eamque ſaltem in genere reſtituere jubetur L. 24. 25. Dig. depoſiti idque vel expreſſe vel tacite e. c. deponendo pecuniam numeratam non obſignatam, ſed facile patet, depoſitum irregulare propius ad mutuum accedere.

§. DLX.

Poſſe a Principe Rempublicam citra Ordinum conſenſum ex depoſito *Reſpubli-*
obligari vix crediderim. Nam citra probabilem cauſam obligari Respu- *ca per*
blica nequit. Ex depoſito autem nulla ſperari poteſt utilitas. Quare ex *Princi-*
depoſito contra ſolum Principem ejusque heredes, non autem contra ſolum *pem ex*
in officio ſucceſſorem, ipſamve Rempubl. agi poteſt. Sicut & eccleſia non *depoſito*
tenetur ex depoſito Clerico facto, ceu Alexander III. Papa Londinenſi Epi- *non obli-*

 gatur.

scopo rescripsit cap. 1. X. de deposito. Si tamen res deposita penes Rempubl. aut Ecclesiam existit, vindicari quidem poterit, non autem actio depositi institui, quippe quæ, tanquam ex contractu oriunda, mere est personalis, nec datur contra eum, qui a depositario rem accepit.

§. DLXI.

Clinodia Imperii apud Noribergenses deposita.

Applicari e. c. depositi actio potest ad Civitatem Norimbergensem, cui Clinodia Imperii custodire contigit. Vid. *Schilter* Inst. Jur. publ. L. 3. T. 4. §. 3. Imo Dominus *Holtzschuer* in dissertatione, quam sub præsidio *Jo. Christoph. Donaueri* de Conventionibus publicis Altorfii habuit, putat, Civitatem Noribergensem majorem, quam regulariter in deposito fieri solet, diligentiam præstare debere, quia in prædictæ civitatis favorem hic contractus celebratus. Coronam Hungaricam apud Fridericum III. Imperatorem depositam memoravimus de tutela §. 388.

§. DLXII.

Exemplum sequestri illustris.

Sequestrum inter ipsos etiam summos Principes passim cernitur. Illustre ejus exemplum nostra memoria extitit in Pomerania Suecica. Cum enim Dani & Russi urbem Sedinensem obsidione cingerent, ejusque expugnatio immineret, malebat Comes de Welling, vi plenipotentiæ, quam a Suecorum Rege acceperat, libere agendi ea omnia, quæ ipsi ex re viderentur, malebat, inquam, totam Pomeraniam Suecicam Borussorum Regi dare in sequestrum, donec pace secuta controversia omnis sopiretur. Danus cum sociis in idem consentiebat sub conditione solvendarum sibi a Borussorum Rege, tanquam sequestro, nomine lytri ac expensarum quatuor tonnarum auri, quam pecuniam Borussorum Rex solvebat, ipsumque sequestrum accipiebat. Suecus quidem instinctu Comitis a Meyerfeld revocabat postmodum Wellingii acta, sed, præsupposita libera ipsius plenipotentia, ipsum sequestrum validum fuisse videtur. Alia exempla vid. ap. *Schilter* Inst. Jur. publ. L. 3. T. 4. §. 3. Ita Comitatus Mansfeldiæ ab Electore Saxonico jure sequestri possidetur. Item Comitatus Gleichensis Comitum Hatzfeldiæ, cujus territorii inter Electorem Moguntinum & Duces Saxoniæ sit controversum.

§. DLXIII.

§. DLXIII.

Etiam personæ dantur in sequestrum, ubi super iis litigatur. Cum coram judicio Imperii Aulico lis verteretur super tutela Gustavi Adolphi Mecklenburgico-Gustroviensis inter matrem Eleonoram Mariam Anhaltinam & proximum agnatum Adolphum Fridericum Suerinensem, qui matri pupillum abduxerat: decrevit Imperator d. 19. Oct. 1637. mandatum de tradendo interim pupillum in manus Ducis Brunsuicensis. Vid. *Meyer.* Londorp. continuat. P. 4. p. 569. Cur tamen hoc mandatum executioni haud fuerit datum, dixi de Tutel. Tit. 4. §. 407. *personæ*

§. DLXIV.

Puellam, de cujus matrimonio quæstio ventilatur, & cui metuendæ sunt insidiæ, donec causa terminetur, in domo tuta honeste teneri jubet cap. 14. X. de sponsal. *Ludolphus Adolphus Zech* de sequestro publico §. 36. huc etiam refert casum, quo Alchymistæ a Principibus sequestrantur, ne ars vilescat, aut mala inde in publicum enascantur. Sed cum hic litigiosi nil subsit, totum negotium potius pertinet ad delicta & pœnas, si nimirum Alchymista, ut plerumque accidit, est deceptor fraudulentus: alias autem simpliciter ad rationem status. Sic & sequestratio usus sacrorum, qua Imperatores, Reges aliique sacris fuerunt interdicti, quamque pariter huc trahit Zechius ad disciplinam ecclesiasticam pertinet. *sequestrantur.*

§. DLXV.

Constituitur sequestrum vel ab ipsis partibus litigantibus, super sequestro inter se consentientibus, vel a judice partibus quoque invitis. Priori casu variæ oriri possunt controversiæ e. c. An status Imperii super re litigiosa invito Imperatore sequestrem mutuo declarato consensu assumere valeant? Res a facultate alienandi & disponendi pendere videtur e. c. si lis est de re mobili, quadam pecuniæ summa, dubitandum non est litigantes, si desuper consentiant, eam durante lite, penes quemcunque placuerit, imo etiam extraneum, posse deponere. Sin de territorio utut allodiali est quæstio, extraneus quidem videtur arcendus, ne per eum turbis implicetur Imperium. Ubi de feudo est quæstio, domino invito sequester eligi vix poterit. *Quis sequestret?*

terit. Si bona domanialia veniunt in disceptationem, Ordinum consensus non videtur negligendus.

§. DLXVI.

an Austregæ?

A judice si constituitur sequestrum, id sponte intelligitur, eum esse debere competentem, e. c. si causa in appellationis instantia pendet, superiorem. Inter immediatos Imperii Status tum Cameram Imperialem tum judicium Aulicum sequestrationes decernere, experientia docet. At Austregis idem competere, nullo idoneo exemplo poterit ostendi. Est omnino sequestratio quædam executionis species, qua Austregas omnino destitui constat.

§. DLXVII.

si possessio litigiosa.

Sed dum sequestrum est species executionis, a qua processus regulariter non est inchoandus, cumque nemo sua possessione citra causam privari debeat: inprimis dispiciendum, quænam sint illæ causæ, ob quas sequestrum decerni potest. Potissimum huc spectat casus possessionis litigiosæ, quando utraque pars se possidere asserit. Qua de re conferatur Ord. Cam. part. 2. tit. 21. §. ult. ibi: Ob auch in obberührten Fall zwischen den Partheyen, die ohne Mittel dem Reich unterworffen, die Gewehr, Possession oder quasi aus redlichen Anzeigungen zweiffelich und sorgliche Empörung, Weiterung oder Aufruhr daraus zu besorgen: sollen Cammer-Richter und Beysitzer Gewalt und Macht haben, auf Anruffen der Partheyen oder für sich selbst ex officio die Possession zu sequestriren, oder aber der quasi Possession halber an statt der Sequestration beyden Theilen zu gebiethen, sich derselben zu enthalten, und alsbald darauf summarie ohne einigen gerichtlichen Process oder ander weitläufftige Ausführung der Sachen zu erkennen, welchem Theil die Possession oder quasi einzugeben, oder zu inhibiren sey, sich derselben bis zu endlichen Austrag Rechtens in possessorio oder petitorio zu enthalten. Und so das beschehen, soll alsdenn solches keinem Theil an seinem Innhaben und Besitz im Recht nachtheilig seyn. Add. R. J. 1532. §. Item als sich offt zwischen hohen und andern rc.

§. DLXIIX.

§. DLXIIX.

Porro a judice ſequeſtrum recte decernitur, etiamſi poſſeſſio certa ſatis, nec litigioſa exiſtat, ſed ſaltem ſubſit metus armorum, ubi tamen vis præterita non reſpicitur, ſed ſaltem futura atque adhuc metuenda. Simile eſto judicium in caſu metuendæ deteriorationis, diſſipationis, malæque administrationis. Sic ſi dos dilapidari, dotalitium deteriorari animadvertitur, aut ſi uxor in præjudicium creditorum ſub dotis prætextu omnia bona ad ſe rapit, recte ſequeſtratio decernitur. Item ſi contra miniſtrum inquiſitio inſtituitur, bona ipſius ſequeſtrantur, donec appareat, domino ratione damni reſarciendi ſufficientem eſſe ſecuritatem. *Ob metum armorum, dissipationis.*

§. DLXIX.

Rite ut conſtituatur ſequeſtrum, ipſius ſequeſtris conſenſus explorandus, imo cum circuli directoribus executio officii ratione incumbat: iis etiam invitis a ſummis tribunalibus ſequeſtrum poſſe mandari videtur, quo tamen caſu ſequeſtrum non erit contractus ſed juſſus ſuperioris. At quamdiu non de plena executione, ſed ſola cuſtodia & adminiſtratione agitur, præteriri circuli directores poterunt, & quivis videbuntur idonei ſequeſtres a ſummis tribunalibus eligi. Plane in ſequeſtratione ob prodigalitatem vel malam adminiſtrationem decernenda potior habenda eſt ratio proximi agnati, cui tali caſu cura legitima & adminiſtratio committenda. *Cui ſequeſtrum committitur?*

§. DLXX.

Præcedere quoque debet cauſæ cognitio ac citari & audiri deſuper is, in cujus præjudicium ſequeſtratio eſt decernenda. Quoniam alias judici injuſte & tumultuarie procedenti juſte, etiam vi armata reſiſtitur, & ſi ſuperiorem agnoſcit, decreta ab eo ſequeſtratio caſſari recte petitur. *quomodo?*

§. DLXXI.

Cum cauſæ ſequeſtrum conſtituendi ſint diverſæ, diverſa quoque erunt ſequeſtris jura. Nunc ſola ipſi conceditur cuſtodia, plerumque ipſa poſſeſ- *effectus.*

ſio & adminiſtratio, præſtatur ipſi homagium, habet jus regendi, ærarium diſponendi, & tenetur nonnunquam ipſius litis ſumtus inde ſuppeditare. Recte ait *Julianus* in L. 39. Dig. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. intereſſe puto, qua mente apud ſequeſtrem deponitur res. Si ipſa poſſeſſio inter partes eſt dubia & litigioſa, poſſeſſio in ſequeſtrem videtur translata, ut poſſideat non quidem ſuo, ſed victoris nomine: ſi vero ſaltem ob metum armorum vel dilapidationis ſequeſter conſtitutus, cuſtodia ſaltem & adminiſtratio ipſi eſt concredita, ſalva ceteroquin domino ſua poſſeſſione. Conf. L. 17. §. 1. Dig. depoſiti.

§. DLXXII.

Operatur poſſeſſionem

Hinc dirimi poteſt controverſia, num & in quantum ſequeſtris poſſeſſio proſit victori ad uſucapiendum. Prodeſt omnino victori contra tertium, non autem litigantibus contra ſe invicem, qui litem gerendo, eo ipſo interrumpunt cœptam forte præſcriptionem. Et finis ſequeſtri in poſſeſſione litigioſa conſtituti hic eſt, ne poſſeſſio hinc inde partibus proſit aut noceat. Plane ſi ſaltem cuſtodiæ cauſa ſequeſter conſtitutus, poſſeſſio penes dominum remanſit, adeoque omnino ad præſcribendum prodeſt. Conf. cit. L. 39. Dig. de acqu. vel amitt. poſſeſſ.

§. DLXXIII.

interdicta

Porro ex dictis pateſcit, in quantum interdicta poſſeſſoria ſequeſtri applicari queant? Interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis ad eum non pertinere, certum. Retinendæ poſſeſſionis interdicta ſequeſtri, qui ſolius cuſtodiæ & adminiſtrationis cauſa conſtitutus, non competunt, quia tunc poſſeſſio manet penes dominum, quare & eidem hæc interdicta applicanda. Ubi vero poſſeſſio in ſequeſtrem translata, quod in litigioſa poſſeſſione accidit, hic recte utitur interdictis retinendæ, ſive ab ipſis litigantibus ſive a tertio turbetur. Unde hoc caſu eum quoque ex Conſtitutione pignorationis valide agere exiſtimo. Sic & remedium Canonis Redintegrandæ cauſ. 3. qu. 1. actio ad recuperandam poſſeſſionem, actio in factum, & utiles prætoriæ actiones ſequeſtri non denegandæ.

§. DLXXIV.

In casu, quo ob metum deteriorationis vel dilapidationis sequestrum constituendum, evitari illud poterit præstita satisdatione idonea, quæ tamen inter Principes difficilis valde existit. Sub & obreptitie impetratum cassatur deducta nullitate. Expirat sequestrum morte sequestris. Ralaxatur cessante causa, ob quam constitutum e. c. finita lite, aut cautione idonea interposita. *Contraria.*

§. DLXXV.

Obligatio ex deposito vel sequestro orta tendit ad rem depositam restituendam, quod adeo verum, ut latroni quoque res deposita sit restituenda, si dominus non appareat L. 31. §. 1. Dig. depositi, nec compensatio possit opponi, bene tamen retentio expensarum intuitu exerceri. Sed neque sufficit, restitui rem depositam, restitui etiam debet in eo statu, quo erat deposita. Unde naturaliter rem accessoriam cum principali depositam jure depositi habendam censerem, & miror *Ulpianum* L. 1. §. 5. Dig. depositi statuere: quæ depositis rebus accedunt, non sunt deposita, utputa si homo vestitus deponatur, vestis non est deposita, nec si equus cum capistro, nam solus equus depositus est. Vice versa cista deposita, depositæ quoque censentur res in eadem contentæ, quamvis signata cista sit deposita, & ignoraverit depositarius, quid eadem contineretur L. 1. §. 41. Dig. depositi, utut juxta praxin modernam depositarium ad res contentas aliter non obligari vulgo perhibeant, quam si præmonstratæ fuerint, aut cista, quæ signata erat deposita, reserata reddatur, ceu ex *Mevio*, *Carpzovio*, *Schœpfero* docet *Klein* de Jur. Margar. p. 98. *Obligatio depositarii.*

§. DLXXVI.

Ex eodem principio, quod nempe res deposita restitui debeat in eo statu, quo fuit deposita, fluit, quod depositarius eadem sine domini permissione uti nequeat, id quod leges civiles eo extendunt, ut furti præcipiant teneri depositarium re utentem L. 29. Dig. depositi, quod vero ex deposita pecunia a depositario comparatum, non fit deponentis. *Gothofredus* ad L. 4. C. depositi lit. V. Poterit etiam deponens a depositario ob deposi- *Re deposita uti non licet.*

tum

tum in suos usus conversum usuras petere. * Sicut & si moram in reddendo deposito commiserit depositarius, aut conventione usuræ promissæ fuerint, quo ultimo casu depositum in aliud negotium, locationem puta, aut contractum fœneratitium convertitur. Extra hos casus si deponens ex deposito usuras petit, nihil quidem in judicio lucrabitur, nec tamen propterea excidit privilegio, quo depositum in Creditorum concursu est munitum L. 24. §. 2. in fin. Dig. de reb. autor. judic. possid.

* Quæ tamen in eadem actione eodemque libello cum ipso sorte sunt petendæ L. 1. §. 40. Dig. depositi L. 4. C. eod. Nam usurarum ex mora vel alia culpa debitarum unica obligatio, pacto autem promissarum duæ sunt obligationes, adeoque & actiones.

TITU-

TITULUS XI.

DE

Permutationibus, ſeu Contractibus qui innominati vulgo audiunt, nec non de Contractu Cenſitico.

* * *

Territoria integra permutari videmus. Res vero ſpirituales & decimas cum temporalibus permutare Pontificum jura vetant. Quando prædium pro annuo cenſu alicui datur, negotium contractus cenſitici nomine venit. Ad contractum permutatorium facio ut facias referri poteſt ſalvus conductus.

§. DLXXVII.

A contractibus gratuitis ſeu beneficis progredimur ad oneroſos ſeu permutatorios. Eſt autem permutatio in genere conſiderata contractus, quo quid pro alio datur vel præſtatur, ubi ſub præſtando ſeu faciendo etiam τὸ non facere comprehenditur. Quare quam latiſſime permutationes patent. Revocari tamen omnes commode poſſunt ad quatuor claſſes, ſcil. do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Plures ſi effingere velis, vel mix- *Permutatio quid & quotuplex?*

turam ex his conficies e. c. do ut des & facias &c. vel obligationem non faciendi ab illa faciendi præter necessitatem separabis e. c. do ne facias &c. Contractus do ut des in genere consideratus iterum omnia negotia, ubi res pro re datur, tanquam species sub se comprehendit, ac proinde etiam contractus, qui pecunia interveniente celebrantur, qui tamen, cum ob frequentem suum usum in peculiare nomen emtionis, locationis &c. transierint, contractui do ut des contradistingui solent, eamque ob causam infra seorsim a nobis exponentur. Hoc loco igitur contractus do ut des in strictiori sensu accipitur, quando res quædam NB. *præter pecuniam* datur pro re alia *, quæ definitio etiam in permutationem strictius acceptam ita quadrat, ut synonima esse videantur. Differentiam tamen ** quærit *Lauterbach* Compend. Jur. p. 397. & 399. propterea notatus *Stryckio* ad h. l. & *Titio* Obs. 640. 647.

* Eadem res ubi restituenda præcise venit, non permutatio, sed commodatum, aut depositum erit.

** Differre videtur articulus do ut des a permutatione ita, ut articulus do ut des latius pateat permutatione. In permutatione enim necessario semper res alia datur. At in articulo do ut des in debitoris quandoque arbitrio existit, num eandem rem reddere velit, si nimirum res non ut species, sed ut quantitas data e. c. do 100. modios tritici Lipsiæ, ut tandundem reddas Hamburgi, ubi nihil interest, num idem an aliud triticum reddatur. Dici tamen poterit, tunc adesse mutuum vel saltem obligationem alternativam ex permutatione & mutuo mixtam.

§. DLXXIIX.

Exempla ditionum permutatarum.

Permutationis contractus sicut inde ab antiquissimis temporibus, etiam ante adinventa rerum pretia, sine dubio fuit usitatus, ita mediante eodem integra territoria, ditiones, urbes ac jura eximia Principibus passim acquisita deprehendimus. Josephus Patriarcha frumenti permutatione Regnum Ægyptiacum Pharaoni patrimoniale reddidit Genes. XLVII. 20. Ex profana historia succurrit, quod de Carolo V. Francorum Rege scribit *Bodinus* de Republ. L. 1. cap. 10. p. 234. eum urbem & agrum Monspeliensem

cum

cum Rege Navarro commutasse, ut Manta ac Melauno frueretur, ita tamen, ut Majestatis jura a solo Francorum Rege in solidum possideantur. Fridericus II. Imp. monasterium Imperiale Ober- und Nieder-Münster in urbe Ratisbona permutationis contractu una cum advocatia in civitatem Nordlingam, oppidum Oeringam, ejusque advocatiam in Conradum Episcopum Ratisbonensem transtulit, ceu ex Additionatore *Hundii* in Metrop. Salisburg. Tom. 3. Rubr. Ober-Münster zu Regenspurg observat *Strauch* de Oppignorationib. Imp. quam tamen permutationem delatis desuper a Juta Abbatissa querelis ad Comitia Herbipolensia ex Principum sententia ipse Imperator Fridericus II. revocavit. Conf. de Procesś. §. 54. Conradus Misniæ Marchio pro Skeidizio Lipsiam a Merseburgensi Episcopo commutationis lege accepit. Vid. *Giovanni* Germ. Princ. L. 5. c. 1. In Tractatibus partitionis Hispanicæ (Spanische partage Tractat) a Gallo cum Anglis & Belgis 1700. initis de commutando Ducatu Lotharingiæ cum Mediolanensi erat conventum. Eventum tamen tractatibus haud respondisse, constat. Sic & nostra memoria Regnum Siciliæ, quod pace Ultrajectina 1713. Sabaudiæ Duci obvenerat, postea cum illa Sardiniæ fuit permutatum. De permutatione Geldrico-Arausionensi dixi de Hereditat. §. 526.

§. DLXXIX.

Spirituale cum temporali permutare improbatur cap. 9. X. de rer. permut. quod licet de rebus sacris, quæ in commercio non sunt, in genere admitti queat, Pontifex tamen ibidem etiam decimas ejusmodi rebus accenset, cumque Abbas & conventus S. Martini de Pannonia prætenderent a Præposito Albanensi decimationes quasdam, & utrinque in arbitros compromitteretur, hique arbitrarentur, quodsi Præpositus obtineret, decem millia solidorum Regalium a Rege Hungariæ monasterio concedi, hoc ab earundem decimationum petitione cessaret, Pontifex nihilosecius hoc arbitrium irritum pronuntiat, cum permutatio de spiritualibus ad temporalia sit illicita. Addantur textus citati L. 1. T. 4. §. 169. Unde hodienum, quoties decimæ Ecclesiasticæ in Laicum permutationis, imo & alio quovis titulo sunt transferendæ, aut iisdem renuntiandum, Pontificis vel summi Imperantis, qui jura Papalia exercet, consensus necessarius videtur. *Decimarum*

§. DXXC.

Traditio an ad permutationem necessaria.

Oritur ex permutationis contractu statim post consensum utrinque interpositum valida obligatio, quæ sola unius pœnitentia non tollitur ceu dixi, L. 1. T. 9. §. 320. ac insecuta rei traditio saltem ad negotii adimpletionem & consummationem spectat. Neque opus est, ut statim ac uno eodemque tempore præstationes utrinque penitus solvantur, sed ex partium conventione alterutrius in unum vel plures terminos possunt differri.

§. DXXCI.

Permutationis species est contractus censiticus.

Quare nullus dubito, ad articulum do ut des seu permutationis species referre contractum censiticum, quo prædium in aliquem transfertur ea lege, ut ex eodem vicissim annuus census præstetur. De origine hujus contractus vix est, ut certi quicquam definiatur. Romanis vox census incognita non fuit, sed denotat ipsis vel descriptionem & æstimationem personarum & bonorum Romano Imperio subjectorum, qui census a Servio Tullio Rege introductus, vel tributum peracto censu in publicum ærarium conferendum tot. tit. Cod. de Censib. vel librum, in quem æstimatio referebatur, nunquam vero annuum reditum, qualis ex contractu censitico debetur. Jure Canonico census dicitur pensio annua, quæ vel ab Ecclesiis pro testificanda subjectione superioribus persolvitur, vel a singulis in Ecclesiarum commoda præstatur, qui significatus iterum a contractu censitico alienus, cujus proinde origo sine dubio ad Germanos referenda, qui in genere quidem sub voce Zinß quosvis annuos reditus, e. c. usuras, mercedem locationis &c. intelligunt, in specie autem tales reditus, qui ex contractu censitico debentur.

§. DXXCII.

ejus origo

Quo autem tempore ille Germanis primum innotuerit, inter Doctores non convenit. *Caspar Ziegler* in dissertatione de prædiis censiticis ruralibus, quæ inter selectas ejus disceptationes num. X. p. 391. habetur, colonorum & census originem ab Henrici V. temporibus repetit autoritate *Lehmanni* Chron. Spir. L. 4. c. 4. At *Jo. Frider. Weidler.* in dissertatio-

tatione de Origine & natura bonorum Censiticorum jam Sec. XI. adfuisse homines censuales ingenuos, probat testimonio *Hugonis Flaviniacensis*, qui in Chron. Virdunensi ad an. 1098. narrat: agricolas quosdam terram censiticam pro mercato eorum tenuisse, & congregatos fuisse homines ad tuendum usum censualitatis suæ. Unde laudatus Weidlerus originem bonorum Censiticorum ad illa refert tempora, ubi per factam hominum propriorum manumissionem servitus fuit sublata, cui rei Christianismum introductum occasionem, superioritatem vero territorialem incrementa dedisse putat, suæ siquidem utilitati & potentiæ consultius duxisse dominos territoriales, tolli servitutem, quo facto prædia colenda priscis servis sub census onere fuisse data.

§. DXXCIII.

Conjecturis si aliquid foret dandum, insecuta servorum manumissione frequentiorem quidem extitisse contractum censiticum putarem, nec tamen antea penitus ignoratum. Cum enim ex possessione dominium metirentur Germani, ac proinde locationem prædiorum ignorarent, nihilosecius vel propter domini absentiam, vel prædiorum acquisitorum multitudinem contingere posset, ut ipsorum curæ & culturæ dominus haud sufficeret, non potuit non fieri, quin aliis concederentur certa prædia sub lege annuorum redituum, qui si in frumento pecoribus similibusve proventibus præstabantur, negotium sine dubio pertinet ad articulum do ut des, sin in servitiis ad illum do ut facias, si denique in pecuniaria pensione annua, quod hodie passim fieri cernimus, tunc negotium transire videtur in emtionem prædii pro annua pensione. In effectu nihil discriminis subest.

§. DXXCIV.

Differt contractus censiticus ab emphyteusi imprimis eo, quod in illo plenum dominium, in emphyteusi utile saltem transfertur, unde & census de re propria, canon de aliena solvi dicitur. Putat quidem *Weidlerus* l. c. §. 31. non esse de essentia prædii censitici, ut plenum in eo competat dominium, sed retineri ibi quoque posse dominium directum insigni cum effectu, ne domino invito novus censuarius obtrudatur, aut eo *differentia ab emphyteusi.*

invito hypotheca constituatur, in partes etiam vocat textum Land=R. L. 1. art. 54. Non quidem negamus, posse solum utile dominium transferri sub lege annui census præstandi, sed tunc non contractum censiticum, sed emphyteuticum celebrari asserimus cum *Carpzovio* Constit. 39. part. 2. def. 1. & 6. Poterit etiam contractui censitico accedere clausula de non alienando prædio sine censitoris consensu, desuperque hypotheca constitui, quæ tamen omnia non impediunt, quo minus plenum dominium in censuarium transeat. Citatus denique art. 54. prohibet saltem, foveas excidere & ligna cædere, verbis: kein Zinßmann mag Stein = Gruben oder Leim = Gruben graben ohn seines Herrn Urlaub, des Zinßmann er ist, noch Holtz hauen, noch raden auf seinem Zinßguth, es sey denn Erb= Zinß = Guth, cujus rei ratio non hæc est, quasi solum dominium utile in censuarium a consitore sit translatum, sed quod dominium in eum translatum est plenum quidem, sed NB. revocabile & cum vita expiraturum. Potest enim dominium esse plenum h. e. continere directum pariter ac utile, & nihilosecius esse revocabile, ac ad certum saltem tempus competere. Et cum olim locatio Germanis ignoraretur, frequentissimus, & æque frequens ac apud nos hodie locatio, fuisse videtur contractus censiticus ad tempus certum initus. Census simplex vocabatur Laß = Zinß * & quotannis poterat auferri, census hereditarius autem Erb = Zinß ad heredes transibat.

* Voce dicta a *Lassis*, seu hominibus ex servitute dimissis, quibus prædia colenda sub census onere concedebantur. Qui vero Saxonibus & Rheno vicinis Lassi vocabantur, Hassis & Solmensibus audiebant Landsiedler voce diminutiva derer Landsassen. Equidem *Jo. Otto Tabor* de Contractu & jure Colonario provinciali Landsiedel = Recht & *Jo. Petr. Ludewig* de jure Landsideliæ omne hoc negotium definire satagunt per *Conductionem* dominicam, quæ præter mercedem (seu censum) ad clientelam quoque obligat conductorem, & intuitu locatoris fere est precaria, omne in prædio dominium Landsidelio negantes. At juris Germanici analogiæ, quod dominium ex possessione metitur, & locationem ignorat, magis convenire videtur, Landsidelio dominium tribuere, præsertim cum ipsi dissentientes fatean-

teantur, competere domino jus protimiseos, quod dominium in venditore Landsidelio involvit, ni meliorationem saltem vendi dicere velis, quorsum inclinat legislator Solmensis im Solmischen Land-R. part. 2. tit. 7. §. 43. nimio forte juris Romani amore ductus. Diversa a Landsideliis est Villicorum conditio, derer Meyer, qui regulariter solo ministeriali nexu domino tenebantur. Erant enim praefecti seu majores villarum, ut vocantur in Capitular. Caroli M. L. 5. c. 28. atque pro opera, quam praestabant, salarium accipiebant den Meierlohn. Hodienum in Bavaria haec Meierorum est conditio Bayerisch Land-R. tit. 21. art. 2. sqq. Temporum autem tractu diversis in locis vox derer Meiergüther translata est ad praedia concessa colonis sub lege nunc *feudi* unde Meierlehn, nunc *emphiteuseos*, qualis est die Meierding in tractu Hildesiensi & Alsatia, (Sic & *Anton. Kappelius Hahnium* de jure colonario continuaturus de jure emphyteutico scripsit sub nomine des Erb-Meier-Rechts, distinguens inter Meiergüther, quae ad simplicem locationem, & Erb-Meier-Recht quod ad emphyteusin refert) nunc *societatis*, unde & Meier vocantur, quos alias Halbbauer, in Belgio Halfteeldere vocant, imo & *locationis perpetuae*, ut in Ducatu Brunsuicensi, ubi Meieriae sunt perpetuae praediorum locationes, singulis novenniis renovandae. Meierus nullum praedii habet dominum, sed aedificiorum saltem, & instrumentorum rusticorum, des Inventarii. Alienare oppignorare nequit, sed sublocare. Expelli nequit ne quidem a successore singulari, nec locationis pretium ibi potest augeri. Olim forte illa praedia propius ad naturam bonorum censiticorum accessere, & demum a legum recentiorum auctoribus, juri Romano nimium intentis, ad locationis negotium translata, cujus rei vel sola novennalis renovatio indicium praebet. Conf. Tit. 13. §. 657.

§. DXXCVI.

Quae vero ulterius perhibetur differentia inter contractum censiticum & emphyteusin, quod emphyteuta cessans per triennium canonem solvere *In dubio praedium*

censiticum potius censetur. solvere, emphyteusi cadat L. 2. C. de jur. emphyteut. censuarius autem prædium non amittat, etiamsi per mille annos pensionem non solvat, sed saltem ad interesse * teneatur, hæc inquam ad naturalia saltem hujus contractus pertinent, quæ quidem regulariter eidem insunt, contraria tamen conventione possunt mutari. Unde contractui censitico valide accedit clausula, ut si census stato die non solvatur, censuarius jure suo cadat, ceu duobus Diplomatibus Seculi XIII. confirmat *Augustin. Leyser.* Meditat. ad Pand. Specim. 102. Vol. 2. p. 832. In dubio prædium censiticum potius quam emphyteuticum præsumitur, tum quod quilibet rem suam plene habere creditur, tum quod censiticus contractus juris patrii & Germanici, emphyteusis autem Romana & extranea est.

* Olim obtinebant census duplicati die Rutscher Zinsen Land-R. L. 1. art. 54. ibi: Wer seinen Zinß zu rechter Zeit nicht giebt, zweyfalt soll er ihn geben des andern Tags und also alle Tage zweyfach, quod tamen desuetudine obliteratum. Vid. *Beyer* Jur. Germ. L. 1. c. 6. pos. 9. sqq.

§. DXXCVI.

Differentia contractus censitici a datione ad firmam. Porro differt contractus censiticus a datione ad firmam, de qua c. 8. & 24. X. de decimis c. 7. X. de jure patronat. c. 2. X. de locato, quæ plerumque est locatio, quandoque & emphyteusis, sicut & Gallicum *ferme*, & Anglicum *farme* nunc locationi, nunc emphyteusi applicari solet. In emphyteusi utile saltem, in censitico contractu plenum dominium, in locatione dominium plane non transfertur. Unde interpres Juris Provincialis Saxonici non satis bene vocem Zinßmann per conductorem effert, rectius vocatur censuarius vel censitus. Denique manifesta est differentia inter contractum censiticum & emtionem annuorum redituum. Qui enim annuos reditus vendit, manet dominus rerum, in quibus assignantur instar ususfructus, at in contractu censitico ipsum dominium transfertur.

§. DXXCVII.

Jura contra- Prædium censiticum concedere potest quilibet, qui alienare. Ergo non Vasallus, aut alius qui alienandi facultate destituitur, nec olim quisquam

quam ſine heredum conſenſu, quorſum ſpectat Land-R. L. 3. art. 77. a quo rigore recentiora tempora receſſerunt, adeo ut heredes facta & pacta prædeceſſorum præſtare & ſervare teneantur. Cenſuarius ſeu is, cui illud conceditur plenum in eo acquirit dominium adeoque valide ſine cenſitoris conſenſu regulariter illud alienat. Sicut & vice verſa cenſitor jus cenſum percipiendi ſine cenſuarii conſenſu pro lubitu in alium transfert. Unde nunc domino jurisdictionis, nunc Vaſallo, nunc extraneo cenſum deberi paſſim animadvertimus. *ctus cenſitici.*

§. DXXCVIII.

Sufficiant hæc de prima permutationis ſpecie do ut des. Altera eſt do ut facias, quorſum e. c. ſpectat contractus feudalis, quo utile rei dominium ſub lege fidelitatis & ſervitiorum datur. De ejus origine & jure compendia & ſyſtemata feudalia uberrime agunt, quorſum proinde lectorem remittere licebit. Porro ad articulum do ut facias pertinet contractus dotis, quippe quæ ad ferenda matrimonii onera datur, de qua tamen pariter ac de dotalitio alibi ex inſtituto egimus, it. contractus ſuffragii, quando aliquid datur pro negotio apud Principem commendando. L. un. C. de Suffrag. & *Tabor* Tr. de ſuffrag. *Do ut facias.*

§. DXXCIX.

Tertia ſpecies eſt Facio ut des, quo pertinet contractus proxeneticus, cujus jura tum ex generalibus principiis, tum ipſo pactorum tenore facile intelliguntur. *Facio ut des*

§. DXC.

Quarta ſpecies eſt facio ut facias, quæ ſicut reliquæ etiam τὸ non facere ſub ſe comprehendit. Unde ad articulum non facio ut facias commode refertur Salvus conductus, qui vel militibus captivis conceditur, & eſt pactum, quo ipſos non lædere promittimus, ut tuto & ſecure diſcedant, vel delinquentibus fugitivis, & eſt pactum quo abſtinere a delinquentis captura nos velle, plenamque ipſi ſecuritatem ac libertatem promittimus, ut ſuam innocentiam deducat, in qua probanda ſi deficit, ſobald etwas peinliches erkant, ipſa etiam conditio, ſub qua ſalvus conductus erat conceſ- *Facio ut facias*

sus, deficit, ac ipse proinde salvus conductus expirat. Sicut & servari non debet salvus conductus ei, qui eidem prius non fidit, sed e. c. per scriptam narrationem, quam ipse ad articulos inquisitionales respondere mavult. Qua enim ratione salvi conductus beneficio gaudebit, qui ipse eum repudiat? In Camera Imperiali salvus conductus conceditur vel in forma communi, vel in optima. Illa est sine pœnæ adjectione, hæc habet pœnam adjectam, non banni, sed pecuniariam.

§. DXCI.

Salvus conductus. Differt salvus conductus a securitate universali, quam salvam Guardiam nuncupant. Ille conceditur a judice, cujus est jurisdictio, ad actus judiciales secure peragendos. Hæc a summo imperante, quia pertinet ad Regalia. Ergo salvum conductum decernere potest Camera Imperialis in causis ad supremum judicium delatis vi jurisdictionis, non potest salvam Guardiam, quæ est actus gratiæ Imperialis. Vid. *Ludolf.* Jus Cameral. p. 165. Belli etiam tempore Salva Guardia vocari consuevit, quando quibusdam ex hostibus peculiaris tutela & securitas promittitur, huncque in finem signum securitatis, vel plane miles præsidiarius ipsis datur.

TITU-

TITULUS. XII.

DE

Contractibus, qui rerum pretia ſeu numos præſupponunt, ſpeciatimque de Emtione.

* *
*

Virtuale rerum pretium earum utilitas, formale raritas, commune opinio plerorumque, affectionis illa ſingulorum, conventionale denique contrahentium conventio determinat. Pro pretio ſi res datur, negotium emtionis nomine venit, quam Reges etiam qua tales celebrant, imo territoria integra, jura, privilegia, jurisdictionem &c. emunt vendunt. Poſſunt & ſubditos ad res certas emendas vendendasve cogere. Spes quoque, alea, & ſecuritas emitur. Dominium utile ſi pro annuo canone ſub lege meliorationis & laude-

mii emitur, negotium speciali emphyteuseos nomine insignitur, a qua differt Superficies & contractus libellarius. Ad emphyteusin autem referri etiam potest contractus metallicus.

§. DXCII.

Pretium commercia facilitat.

Contractuum permutatoriorum, quos hactenus consideravimus, usum difficilem & rariorem id inprimis reddit, quod plerumque is, qui acquirere quicquam ab alio cupit, destituitur alia re, quæ & alteri vicissim placeat, & illam rem, quam acquirere cupit, valore præcise exæquet. Quare invenienda erat universalis rerum mensura, quæ pretii, in sensu eminentiori * accepti, seu pecuniæ nomine venit, quæque vices aliarum rerum ita sustinet, ut, si qua re indigemus, quam alienandam alter habet, non opus sit exquirere, an vicissim habeamus, quam ille desideret, cum in promtu sit res, qua quicquid desiderat, comparare semper possit. Atque eadem non tantum præsenti indigentiæ subvenit, sed in futurum quoque quasi pro sponsore est, quo veluti nobis cavetur de re qualibet quandocunque acquirenda, prout post *Aristotel.* Moral. Nicomach. L. 5. c. 5. præclare disserit *Coccejus* de vero rerum pretio §. 28.

* In genere pretium est valor rei, & dividitur in *vulgare*, quod est valor rei ratione utilitatis & delectationis spectatus, qualis etiam in permutationibus occurrit e. c. quando 3. anseres ovem valere dico, & *eminens*, quod uno verbo est numus, seu pecunia, quæ dicitur a pecude, cujus figura primum æs fuit signatum.

§. DXCIII.

ejus requisita

Idem modo laudatus *Coccejus* §. sequenti 29. enumerat requisita, quæ ad universalem talem rerum mensuram requiruntur. *Primo* ut sit materia comparatu difficilis, nam si passim esset obvia, res pretiosæ eadem æstimari, & acquiri non possent, quo ipso simul apparet, per Alchymiam

chimiam rerum pretia non adjutum, ſed deſtructum iri. *Secundo* ut ſit diviſibilis in partes ſibi homogeneas, ut leves & minutæ res æque ac magnæ & pretioſæ eadem commutari poſſint, unde gemmæ rerum menſura eſſe nequeunt, cum integræ immenſi ſint pretii, fractæ prope nullius. Quæ reliqua Coccejus in univerſali rerum menſura deſiderat requiſita vix eſſentialia eſſe videntur, ſcil. ut *tertio* alium uſum non habeat. Talem enim in toto orbe non repertum iri, tuto aſſererem. Aurum & argentum utut commodam ſatis rerum menſuram hactenus conſtituerint, multis tamen aliis uſibus, tum ornatus, tum commoditatis cauſa adhibentur. *Quarto* ut quantitas æſtimationis publica autoritate ſit impoſita. Atque hinc *quinto* talis formæ ſuſcipiendæ idonea ſit materia. Atenimvero forma monetæ publice * impreſſa facilitat quidem commercia, dum ſublevat nos onere inquirendi in materiæ e. c. auri argenti ſinceritatem, abſolute tamen neceſſaria non videtur, præſertim cum extranei publicum tale de monetæ probitate teſtimonium ſequi nec teneantur, nec tuto ſemper poſſint. Conf. Lib. 1. Tit. 10. §. 337.

* Unde & numus dicitur a Græco νόμος, quia publica lege ejus valor determinatur.

§. DXCIV.

Quadrant hæc requiſita, ſi in ullam aliam materiam, certe in aurum & argentum. Nam & rariora ſunt, & diviſibilia in plurimas minutas particulas, ſignaturas & formas facile recipiunt, & tamen ſubſtantiæ ſunt valde compactæ, quæ uſu non facile deteritur, nec minus cuſtodiæ facilique transportationi ſunt habilia. Quare a plerisque gentibus præ reliquis materiis omnibus ad conſtituendam univerſalem quandam omnium rerum, quæ humani ſunt commercii, menſuram ſunt electa. Linquamus Lycurgo Spartanorum Legislatori ſuam ſapientiam, qua emi ſingula non pecunia, ſed compenſatione mercium juſſit, auri vero argentique uſum velut omnium ſcelerum materiam ſuſtulit apud *Juſtin.* L. 3. c. 2. in fin. Rectius ſcelera hominum potius quam numorum malitiæ tribuuntur. Præſenti certe rerum ſtatu numorum uſum eſſe ſaluberrimum, nemo facile dubitabit.

in aurum & argentum quadrant.

§. DXCV.

Fundamentum pretii

Num vero & quanta pretii quantitas ſingulis rebus ſit tribuenda, ex cujusque rei raritate & indigentia metiendum. *Puffendorfius* quidem de Off. Hom. & Civ. L. 1. c. 14. §. 3. pretii fundamentum ponit in utilitate & aptitudine rei, qua aliquid ad vitæ humanæ neceſſitatem aut commoditatem confert. *Grotius* L. 2. c. 12. §. 14. & *Titius* ad Puffend. Obſ. 331. in utilitate & raritate ſimul, nos vero in ſola raritate illud quærimus * & per accedentem utilitatem pretium ne quidem ſemper intendi aſſerimus. Palmarium pretii requiſitum in acquirendi difficultate & raritate conſiſtit. Quo rarior res eſt, eo magis in eandem quadrat pretium, ſi autem nulla rei eſt raritas, nullum quoque ejus erit pretium.

* Idem ſenſiſſe videtur *Ariſtoteles* Moral. Nicomach. L. 5. c. 5. dum ſcribit, oportet ut uno quodam cuncta menſurentur, at id eſt re vera quidem *indigentia*, quæ omnia continet. Nam per indigentiam ſeu χρείαν bonis autoribus non intelligi ſolam neceſſitatem, ſed in genere *carentiam* ejus, quod cupimus, ſive utile nobis ſit, ac neceſſarium, ſive minus jam dum contra *Grotium* & *Puffendorfium* fruſtra Ariſtotelem carpentes obſervat *Coccejus* de vero rer. pretio §. 18.

§. DXCVI.

eſt raritas.

Diſcimus hoc aquæ exemplo, quæ licet ſit utiliſſima, ita ut carere eadem prorſus nequeamus, ob abundantiam tamen, & quia nulla ejus eſt raritas, nullius quoque eam pretii eſſe animadvertimus. Sic & ſapientiſſima Dei providentia earum rerum, quæ ad vitam humanam imprimis ſunt neceſſariæ e. c. frumenti, obſoniorum tam uberes largitur proventus, ut viliſſimo pretio conſtent. Econtra dantur aliæ res, quæ nullius plane ſunt utilitatis, ob ſolam tamen raritatem ingenti pretio æſtimantur. Fidem faciunt Muſea & Cimeliarchia, die Raritäten Cabinette, in quibus ejusmodi res ſollicite ſatis aſſervantur. Simile exemplum inter flores præbent die Aloe, it. die braune Tulipanen, qui licet utilitate ac pulchritudine reliquis cedant, ob ſolam tamen raritatem pretio ſuperant plerosque.

§. DXCVII.

§. DXCVII.

Quod igitur *Puffendorfius* ex ſola utilitate pretium metitur, de ſolo pretio *naturali*, prout illud vocat *Coccejus*, vel virtuali, ut *Titius* idem vocat * admittendum, non autem de pretio, quod ad rerum commercia facilitanda ab hominibus eſt inventum, & *formale* vocatur, iterumque dividitur in commune & ſingulare. *Commune* eſt, quo res plerumque venire ſolet, *ſingulare*, quanti quisque rem ſuam æſtimat, quod ubi conventione determinatur, *conventionale*, ſin ſola unius determinatione conſtat, *affectionis* pretium audit. His in ſtatu civili accedit pretium legale, quod lege definitur. *Retii divisiones.*

* Naturale ſeu virtuale hoc pretium ſi reſpicias, exiguum auri erit pretium. Riſerunt ideo Indi Hiſpanorum rixas ſuper auri diviſione, utpote quod nec eſui nec potui eſſet. Sola raritas auro argentoque pretium imponit. Deme ei raritatem, demtum ſimul ipſi pretium videbis. Salomonis tempore nullum argenti fuiſſe pretium legitur 1. Reg. X, 21. quia nulla tunc ejus erat raritas. In Arabia felici cum penuria ſit æris & ferri, auri autem copia, æquali ea pondere permutantur. Sic & gemmarum pretium virtuale ſeu naturale valde eſt exiguum, majus longe ex hominum opinione ac impoſitione ob raritatem. Margaritis pretium luxuria fecit vere ſcribit *Plinius* Hiſt. Natur. L. 9. c. 35. & *Curtius* L. 8. c. 9. æſtimantur purgamenta æſtuantis freti pretio, quod libido conſtituit. Sed deme raritatem, iterum dempſeris pretium. Smaragdi maximo olim pretio conſtabant. Hodie poſteaquam nimia eorum copia ex Indis aſportatur, ne decima quidem priſtini pretii parte.

§. DXCIIX.

Commune pretium ex communi, quæ plerosque tangit, indigentia æſtimatur, ita ut ſi pecunia & emtores abundant, rara autem exiſtit merx, pretium intendi, econtra ſi rara pecunia, pauci emtores, & multa adeſt merx, minui illud ſoleat, quod inprimis tempore imminentis belli periculoſi cernitur, rara tunc pecunia, ac plures malunt ſarcinas & prædia hoſtium occu- *Commune.*

occupationi expoſita vendere, quam coemere, quare exiguum tunc eſſe ac vile earum rerum pretium deprehenditur. Econtra ubi parum ab hoſte metuitur, parum vel nihil rerum pretio decedit. Cum Romam obſideret Hannibal, adeo imperterritus Romanorum animus apparuit, ut ager quem Hannibal inſiderat eodem die Romæ in foro nihil ob id diminuto pretio venderetur. Quo audito Hannibal, ſpem urbis potiundæ abjiciens, obſidionem ſolvit. Sic & ubi moneta eſt ſincera, & metallo nobiliore conſtat, rarior quoque erit, eoque ipſo rerum pretia erunt exigua. Ubi vero metallo ignobiliore moneta adulteratur, remittit raritas, protinusque rerum pretia intenduntur & augentur. Quo poſito, ſequitur Principem qui monetam quarta ſui parte a bonitate intrinſeca deficientem introducit, duas quartas ſive dimidiam ſortis ſuæ amittere, unam quartam in reditibus & vectigalibus, cenſibus & collectis, alteram in erogationibus, cum rerum pretia quarta parte, ſint aucta. Vid. *Coccej.* l. c. §. 44.

§. DXCIX.

Singulare.

Singulare pretium non a communi plerorumque, ſed ſingulari cujusque indigentia pendet. Cum enim quilibet rerum ſuarum ſit moderator & arbiter, liberum ipſi eſt, num rem ſuam alienare velit, multoque magis quibus conditionibus, quoque pretio. Satisfacit igitur alienans officio ſuo, ſi latentia rei alienandæ vitia indicat, de cetero autem non peccat, etiamſi pro ea exigat pretium, quod commune longe excedit. Sufficit enim, conveniſſe de eodem inter contrahentes. Quapropter non habet, qui grande tale pretium promittit, de quo queratur. Si enim ſcivit, quale commune ejus rei fuerit pretium, ſibi imputet, quod majus nihilo ſecius promiſerit, ſin ignoravit pretium commune, certe talis ignorantia erit vincibilis, nec proinde vitiabit negotium. Facile ſiquidem pretium commune ab aliis reſciſcere potuiſſet, nec alter ad idem indicandum præciſe tenetur. Hoc illud eſt, quod ſibi volunt *Pomponius* ac *Ulpianus* in L. 16. §. 4. Dig. de Minorib. & *Paulus* L. 22. §. 3. Dig. locati in pretio emtionis & locationis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire. Utut in interno conſcientiæ foro peccet, & furti quoddam genus committat, tum qui ab indigente minoris emit, tum qui majoris vendit, quam reapſe ſua intereſt, rem non alienaſſe.

§. DC.

§. DC.

Imo ne in externo etiam foro hæc in pretio circumveniendi facultas nimium extendatur, passim rebus pretium legale imponi cernimus, & cum ne hoc quidem singulis rebus imponere expediat, varia constituta sunt remedia, quibus succurritur læsis. Conf. L. 1. T. 2. §. 69. Inprimis iis, qui ultra dimidium pretii communis sunt læsi, negotii rescissione succurritur L. 2. C. de Rescind. Vendit. quæ licet de sola emtione loquatur, ad alia tamen negotia onerosa, ob parem, quæ utrinque subest, rationem, merito extenditur, np. ad locationem, permutationem, transactionem, si nimirum læsus tempore factæ permutationis vel transactionis * verum rei pretium ignoravit, quod tamen Doctores plerumque ad transactionem extrajudicialem restringunt, utut in emtione judiciali, imo sub hasta facta, hanc enormis læsionis querelam admittant ob L. 16. C. de rescind. vend. Certe in emtione spei, aut ubi aleæ quicquam subest, hanc querelam cessare manifestum. Unde nec ei locum esse existimo in Geradæ emtione, cujus usumfructum venditrix ad vitæ dies sibi reservat. Si beneficio Legis 2. de rescind. Vend. jurato renuntiatum, itidem enormis læsionis querelam cessare, Doctores passim docent. In hereditatis divisione non modo enormem, sed & modicam læsionem erronee factam esse resarciendam, nonnulli censent ob L. 3. C. Commun. utr. jud. utut alii ibi quoque læsionem ultra dimidium requirant.

Restringitur per L. 2. C. de rescind. vendit.

* Supponitur in transactione, ut res transactione cessa indubitato antea ad cedentem spectarit, & pro re alia fuerit cessa. Nam super re dubia aut litigiosa si transigitur, hæc querela procul omni dubio cessat. Nemo enim ibi læsus dici potest, cum ad quem res antea spectarit, ignoretur, quorsum & refero L. 78. §. fin. Dig. ad SCt. Trebell. L. 19. C. de Transact.

§. DCI.

Sed cum omnis hæc legis 2. C. de Rescind. Vend. dispositio mere civilis sit, facile patet solis subditis eâdem succurri, summis Principibus autem perperam eam applicari, inepteque ab iis huic beneficio renunciari, ceu diximus L. 1. T. 14. §. 401. Germaniæ tamen Principes, cum summa Imperii tribunalia ac civiles leges, in iisdem receptas, agnoscant, ex iisque judi-

quæ Germ. Principibus applicatur.

judicentur, recte quoque dictæ Legis secundæ beneficio fruuntur. Unde & Facultas Juridica Vitebergensis Principi cuidam Saxonico, qui in pacto cum fratre initio Apanagium acceptaverat, quo enormissime longeque ultra dimidium se postea læsum deprehendebat, respondit, rescindi negotium posse beneficio Legis 2. C. de rescind. Vend. in quo tamen casu peculiares concurrebant circumstantiæ, de quibus nostram sententiam diximus de Heredit. §. 186. Ipsum JCtorum Vitebergensium Responsum exhibet *Ludolf.* de jur. primog. in Append. p. 199. sqq.

§. DCII.

Inter contractus pretium supponentes.

His in genere de rerum pretio præmissis, jam ipsos contractus, qui illud supponunt aggredimur. Dubitandum non est, quin illi inter summos etiam Principes usum obtineant. Quamvis enim jus monetæ ad Regalia pertineat, & valor numis per legem imponatur, ac proinde videri posset, inter eos, qui alterius leges haud agnoscunt, numos non ut tales, sed ut simplex metallum considerari, adeoque ipsos contractus, qui pretium supponunt, ignorari vel saltem tanquam meras permutationes considerandas esse, notandum tamen, quod non per legem solam, sed & per pacta tum expressa tum tacita valor numis imponi, impositusve agnosci possit. Sic quando duo Principes extranei paciscuntur de re pro mille Ludovicis aureis vendenda, tunc manifeste idem Ludovicorum pretium agnoscunt, quod a Galliarum Rege huic monetæ subditorum intuitu est impositum, perinde ut in sermone, eo ipso tum vocibus hactenus usitatis utimur, eundem significatum, qui ipsis ab aliis impositus erat, agnoscimus. Quo posito etiam inter extraneos numi non tanquam merum metallum, sed quatenus pretium quoddam eminens continent, considerantur, atque contractus iisdem mediantibus initi a permutationibus eatenus differunt, quatenus ob suam frequentiam in peculiare nomen transierunt.

§. DCIII.

eminet emtio venditio.

Eminet procul dubio inter illos emtio venditio. In sensu laxiori venditio omnem alienationem denotat, e. c. in loco *Homeri* quem repetit L. 1. Dig. de Contrah. emt. & in Legibus XII. Tabularum dicitur parentibus liberos

beros ter vendendi (i. e. alienandi) jus atque poteſtas eſto. In ſtrictiori autem magisque proprio ſenſu emtio venditio eſt contractus de re pro pretio danda, & ſic differt ab alienatione, utpote quæ latius patere, & ſine pretio eam fieri poſſe intelligitur, * a permutatione eo, quod in permutatione res pro re, in venditione autem res pro pretio detur. Alias differentias quærit *Coccejus* de vero rerum pretio §. 23. ſqq. putans, etiam antequam adinventi eſſent numi, diſtinctas fuiſſe emtiones a permutationibus, atque ab animo contrahentium diſcrimen fuiſſe ſumtum, ita ut ſi una tantum pars re indigeret, eamque ab alio peteret, emtio, ſi uterque invicem indigerent, permutatio fuerit, & in conſectariis ſubjectis n. 18. emtiones tunc conſenſu, permutationes re conſtitiſſe exiſtimat, neutra harum differentiarum valde probabilis videtur. Poſterior enim a naturali contractuum ſimplicitate nimium recedit, prior autem nimium eſt incerta, cum raro conſtet, num uterque permutantium rebus propoſitis indigeant. Magis ſpecioſa eſt Cocceji conjectura, quam de numi a merce ante inventum numorum uſum diſtinctione §. 24. affert, ſcil. pro mercibus habitas fuiſſe res utiles, & ad uſum vitæ neceſſarias, pro pretio autem res ſupervacuas aurum, argentum &c. quæ appenſa in emtionibus leguntur Geneſ. XXIII. 15. XLII, XLIII. 21. Graviter tamen obſtat, quod etiam res utiles pretii vicem ſubiiſſe leguntur e. c. Eſavus primogenituræ jus pro rubro edulio *vendidiſſe* dicitur Geneſ. XXV. Quare in eam adducor opinionem, emtionis venditionis vocem tunc in ſenſu laxiori, quem diximus, pro quavis alienatione acceptam, venditiones autem in ſenſu proprio tunc incognitas fuiſſe. Certe quoad effectum ſive negotia tunc celebrata emtionem, ſive permutationem dixeris, nihil tum temporis intererat.

* Jure Civili & hæc utrinque notatur differentia, quod alienatum proprie non dicatur, quod adhuc in dominio venditoris remanet, venditum tamen recte dicatur L. 67. de Verb. Signif.

§. DCIV.

Reges ac Principes etiam qua tales emtionem venditionem celebrare, quam & contra Grotium jam dum L. 1. T. 2. §. 39. obſervavimus e. c. quando publicæ utilitatis cauſa emunt arma, tormenta, Pferde, Fourage, Munition, Pulver

Reges qua tales celebrant.

Pulver &c. De eo autem hic inprimis dispiciendum, num Princeps subditos suos cogere possit ad emendum vel vendendum. Competit regulariter Principi in subditos eorumque bona solum imperium, non autem dominium, ex quo alienandi facultas pendet. Quare talis coactio non aliter locum habebit, quam si publica utilitas vel necessitas, quippe ex qua imperium fluit, eam efflagitat. Sic pro circumstantiarum varietate videmus, Principes jubere, mox ut vendant subditi suas merces certo pretio, si nimirum Respublica earum indigentia jam premitur, mox vero & ubi indigentia demum metuitur, ne vendant, vel saltem ne extraneis, aut alii quam Principi vendant, prout inprimis aurum argentumque, & belli tempore pulverem pyrium, nitrum &c. sibi solis vendi debere, principes passim edicunt. Sic & dominus territorialis vi imperii subditos cogere potest, ut sibi vendant fructus, & edulia ad aulæ sustentationem necessaria, cum ex adverso dominus feudi & jurisdictionis hoc cogendi jure destituatur, ceu præjudicio Lipsiensi de 1631. confirmat *Haugwitz* de Aulæ & Regni Mareschallis p. 422. Add. *Kœppen.* decis. 59. & Commentatores ad L. XI. C. de Contr. emt. Imo si publica utilitas ita suadet e. c. tempore belli aut pestis, jubere etiam potest Princeps, ut emant subditi tempestive provisionem rerum necessariarum, daß sie sich auf gewisse Zeit verproviantiren sollen. Ad abusus hujus juris merito referimus modum acquirendi, quo Princeps quidam utitur, dum boves, porcos &c. mactari, carnesque subditis invitis ita vendi jubet, ut habita ad mensis spatium de pretio fide, illud postea armata manu per viam executionis conquiratur.

§. DCV.

Exempla territoriorum venditorum antiqua.

Cui & quid a Principe vendi possit, speciatimque num Majestas ejusque jura? ex generali pactorum theoria repeti velim. Hic saltem nonnulla integrorum Regnorum & territoriorum per venditionem translatorum exempla attulisse juvabit. Galliæ Reges quoad Regnum Burgundiæ novum seu Arelatense venditione Imperatoris anno 1330. Philippo Valesio facta niti, scribit *Helenus Politianus* in Microscopio Statistico p. 31. Joanna Siciliæ Regina 1358. civitatem & tractum Avenionensem Clementi VI. Pontifici Romano vendidit. Humbertus VIII. Dynasta in Thoire & Villars 1401. Comitatum Genevensem pro 45000. fl. Amadeo VIII. Sabaudiæ Comiti vendidit apud *Thuan*. L. 125. Carolus Audax Burgundus 1472. emit ab Arnoldo

o Duce Geldriæ jus Ducatus Geldriæ & Comitatus Zutphaniæ 92000. orum Rhenensium, & certis annuis reditibus decem annorum teste *ero* Annal. Flandr. L. 17. p. 407. ubi eundem Carolum jus in Geldriam Zutphaniam Gerardi Ducis Juliacensis 80000. numum emisse scribit. Germania nota est venditio a Friderico VI. Burggravio Norico 1427. icis facta, qua Norici ipsum Burggraviatum, Brandeburgici autem so- Burgum cum sylva venditum ajunt. Helmstadium anno 1490. Abbas rdensis Brunsuicensi Duci vendidit. Torgaviam Comitibus de Torgau tam Adolfus Imperator vendidit Anhaltinis, a quibus ad Thuringiæ dgravios pervenit. Vid. *Albin.* Meißnische Chronick. Teste *Hœnnio* ron. Coburg. P. II. p. 97. an. 1340. præfectura Hildburghusana cum te- 10 & 10. libris hallerorum annuis pro 450. libris hallerorum vendita. 1371. dimidia pars Comitatus Hennebergici pretio 85000. librarum erorum comparata ibid. p. 88. Anno 1400. civitas & castrum cum fectura Kœnigsberg pretio 9600. fl. in perpetuum veniit ibid. p. 94. binga arx cum tota præfectura pro 20000. hallerorum ad Comites Wur- bergiæ pervenit teste *Cruf.* Annal. Suev. p. 93. Strasberga arx, civitas ren & integer terræ tractus 1359. pretio ducentarum marcarum argen- Episcopum Basileensem & Comitem Phirretanum transiit *Herrgott.* Ge- l. Habsburg. Tom. 2. Part. 2. p. 613. Castrum Rappersweil Ducibus striæ ab Habsburgio 1358. cum præfectura insigni venditum pro 1100. rcis argenti puri ibid. p. 697. Dimidia pars Comitatus Kleggov. 1365. lle florenis veniit, cujus reditus hodie 8000. fl. quotannis æquant. Conf. *ickenberg* de reluitione oppignorati territorii p. 31.

§. DCVI.

Recentiora feudorum ac territoriorum illustrium, emtione compara- rum, exempla desideranti in mentem revocamus Ducatum Mirandulanum, iem per feloniam a Francisco Maria Pico amissum Mutinensis Dux pro 700000. Pistolettes seu 5. Million Thlr. emit desuperque Viennæ 1711. 12. Mart. investitus est. Elector Hannoveranus Ducatum Bremensem eco a Danis 1712. ereptum emtionis titulo sibi 1715. comparavit. Si- it autem feuda eorumque utile dominium emtione acquiritur, sic pariter rectum quoque feudorum dominium quandoque per emtionem utili jun- *& recentiora.*

ctum obſervamus. Comites in Manderſcheid Blanckenheyn & Manderſcheid-Gerolſtein aliosque ſtatus aus der Eyfel directum dominium ope pecuniæ a Philippo Wilhelmo Duce Neoburgico, qui illud tanquam Dux Bergenſis tenebat, eo tempore, quo ad coronam Polonicam adſpirabat, redemiſſe memorat *Stryck.* de Jur. Allod. Princ. Imp. c. 4. n. 31. p. 62.

§. DCVII.

Privilegia & jurisdictio vendita

Jura & privilegia eximia per emtionem paſſim comparantur. Roſtochienſes titulo emtionis cum Duce Megapolitano 1358. initæ acquiſiverunt jus appellandi vel ad civitatem Lubecenſem, vel Cameram Imperialem, ita ut ne quidem appellationes ad Ducem admitterentur. Vid. *Matth. Stephani* de Jurisdict. L. 2. p. 1. c. 7. n. 359. quod tamen pacto de 1584. ita temperatum, ut libera ſit facultas aut ad Curiam Ducalem aut Lubecenſem appellandi. Vid. *Engelbrecht.* de Servitut. Jur. publ. p. 153. Lipſienſes 1435. a Friderico Electore Saxone jurisdictionem cum imperio intra & extra mœnia pro 3000. fl. addito retrovendendi pacto emerunt. Vid. *David Pfeiffer* Rer. Lipſ. L. 2. §. 7. At Georgius Dux Saxoniæ anno 1508. ſolutis de novo 3000. fl. redimendi jus ceſſit. *Zachar. Schneider.* Chron. Lipſ. L. 5. p. 228. De Jure Patronatus notabile eſt, quod per ſe ſolum & ſine fundo, cui cohæret, vendi nequeat cap. 16. X. de jur. patr. junct. c. 7. eod. Summos tamen Principes hoc non ſtringere putarem. Conf. Tit. 13. §. 636.

§. DCIIX.

emtio annuorum redituum

Annuorum redituum emtio (quæ quomodo a contractu cenſitico * differat dixi Tit. XI. §. 586.) probata & ab uſuraria pravitate liberata legitur in Extravag. Comm. 1. & 2. de emt. vend. Imperii tamen Germanici legibus ad modum legitimarum, ſeu quincuncium uſurarum reducta Ord. Pol. Auguſtan. Caroli V. de 1548. tit. von wucherl. Contracten & Ord. Pol. Francof. de 1577. §. 17. Ad vitæ dies ſi annui reditus reſtringuntur, vitalitium vocari conſuevit, quod ſicut & reliqui annui reditus non modo emtione, ſed & aliis modis acquiri poteſt.

* A mutuo uſurario annui reditus differunt potiſſimum eo, quod in illo utraque pars creditor æque ac debitor habet facultatem ſolvendi

di vel exigendi debitum: in annuis autem reditibus venditor quidem regulariter habet facultatem redimendi, emtor autem non poteſt exigere reſtitutionem pretii.

§. DCIX.

Nomina liteſque alienas minoris emere vetat Lex Anaſtaſiana 22. ſq. Cod. Mandati, ita ut emtor ex tali nomine ampliorem ſummam, quam erogavit, cum uſuris capere non ſinatur. Quæ tamen diſpoſitio cum civilis ſit, ſummos Principes non tangit. Imo inter ipſos ſubditos privatosque rarior ejus cernitur uſus, cum facillimo negotio eidem fraus fiat, donando ſcil. partem nominis, pro reliqua pretium juſtum ſolvendo, quod dicta lex omnino permittit, niſi circumveniendi animo fiat, qui quam ſit probatu difficilis, facile animadvertitur. *nominum ac litium*

§. DCX.

Rem incertam ſolamque ſpem poſſe emi, Lotariarum exemplo cernimus, item in emtione aleæ, jactus piſcium, aliorumque incertorum redituum, quibus caſibus ſi per venditoris factum res emta, utut in ſe incerta, magnum patitur decrementum, ad æquitatem merito revocatur negotium. Unde cum gabellam quis emiſſet eo tempore, quo Papa reſidebat Piſtorii, poſtea autem, reſidentia a Pontifice mutata, gabella maxima ex parte recideret, decidit *Petrus de Anchoran.* aliquid ementi eſſe remittendum, vid. *Kœppen.* Deciſ. 59. n. 29. Ad emtionem ſpei quoque ſpectat emtio fructuum ſperatorum vel pendentium, cui in Ord. Pol. de 1577. tit. 19. modus certus eſt poſitus, ita ut venditori reluitio fructuum pro eodem, quo venditio erat peracta pretio ſingulis annis concedatur, & emtor lucro illicito inhians ſorte erogata famaque multetur, quod tamen usque adeo negligitur, ut licet non deſint qui lucrum ingens ex fructuum pendentium emtione captent, vix tamen exemplum dictæ legis in uſum deductæ proſtet. Num autem in dubio prædii locatio, an fructuum venditio celebrata cenſeatur, quæſtio eſt dubia quidem, ſed utilis. Pendet enim exinde deciſio quæſtionis, ad quem periculum, nec non cultura & ſumtus fructuum pendentium ſpectent. Variorum de ea opiniones vide apud *Amelung* de locatione rei dominicæ p. 20. ſqq. Mihi, ſi ex verbis contractus initi mens contrahentium *rei incertæ ac ſpei*

um haud apparet, venditio ſubeſſe videtur, quoties fructus jam apparent, wenn das Korn auf den Halm ſtehet, und das Obſt ſchon auf denen Bäumen hängt, locatio autem, ſi nihil apparet, & incertum, num quid ſit eventurum. Alii ſi ſolutio in ſingulos annos diſtributa locationem, ſin in una ſumma ſemel facienda, venditionem malunt. Sed nulla apparet ratio, quidni & emtionis pretium in certos terminos diſtribui, econtra illud locationis in una ſumma ſolvi poſſit?

§. DCXI.

Securitatis

Ab emtione ſpei differt emtio ſecuritatis, cujus ſpecies eſt mercium aſſecuratio, ſeu *polizza*, quæ eſt conventio de periculo mercium alio transvehendarum ſuſcipiendo. Requirit *periculum*, adeo ut nulla ſit aſſecuratio, ubi aſſecurator navem jam in portum veniſſe novit. vid. *Grotius* L. 2. c. 12. §. 23. Et quidem periculum *futurum*, unde differt a ſponſione auf gute und böſe Zeitung, quæ & ad periculum præteritum pertinet. Porro aſſecuratio requirit periculum *mercium*, unde differt tum a fidejuſſione indemnitatis, Schadloß Bürgſchafft, quæ reſpicit periculum, quod a debitore obærato metuitur, tum a fœnore nautico, ſeu trajectitia pecunia, cujus ſpecies eſt Bodmeria*, hæc enim reſpicit pecuniam transvehendam, aſſecuratio autem præciſe merces transvehendas. Ipſum aſſecurationis negotium *Loccenius* ad ſtipulationem, Marquardus ad cautionem, *Lopezius* ad fidejuſſionem refert. Sed bene obſervat *Coccejus* in peculiari diſſertatione de aſſecuratione, eam eſſe negotium principale, ac proinde nec ſtipulationem, fidejuſſionem nec cautionem, quæ in acceſſoriorum numero ſunt. Multo minus acu rem tangunt, qui ad locationem referunt aſſecurationem noſtram. Nos ad emtionem eam retulimus, quoniam plerumque pretio interveniente celebrari ſolet. Quodſi autem non pecunia, ſed res alia pro eadem datur, vel promittitur, ad innominatum contractum, ſi denique gratis fit, ad donationem eam revocare licebit, nec repugnabimus, ſi peculiare plane negotium ex periculi præſtatione effingere malis.

* Bodmeria dicitur, quando ſub ſpe majoris lucri certa pecuniæ ſumma ſolvitur patrono navis hoc pacto, ut ſalva navi cum fœnore reſtituatur, relicto interea ſibi hypothecæ loco navigii fun-

fundo, quo perdito & ſors credita perit. *Beyer* Jur. Germ. L. 2. c. 20. *Grotius* L. 2. c. 12. §. 15. fœnus nauticum haud male mixtum quid ex contractu mutui & periculi averſi vocat.

§. DCXII.

Perficitur aſſecuratio conſenſu utrinque interpoſito, unde ſtatim poſt conventionem initam obligat, etiamſi pretium nondum fuerit ſolutum, quicquid diſſentiat Autor der Erledigung einer ſchweren Frage in Aſſecurations-Sachen, cui fucum fecit Romana de contractibus innominatis philoſophia. Pretium aſſecurationis ad uſuras centeſimas nonnulli reſtringunt arg. L. 26. §. 2. C. de uſur. ſed variare ſolet pro periculi diverſitate. Unde majus pretium ſolvitur cum ex Belgio verſus Hiſpaniam, quam cum verſus Indiam Occidentalem navigatur. In Indiam enim etſi longius rectum tamen eſt iter, eodemque vento expediri poteſt, in Hiſpaniam autem flexum & fractuoſum, periculisque majoribus obnoxium. *Aſſecurationis pretium*

§. DCXIII.

Pro hoc pretio aſſecurans præſtat omne periculum, utut fuerit inſolitum, modo mercibus extrinſecus adveniat. Quod enim intrinſecus advenit e. c. quando merces ex ſua natura corrumpuntur it. quod nautarum culpa contingit, domini, ſeu aſſecurati eſt, qui illud evitare potuiſſet. Præterea illud ſolum periculum in dubio recepiſſe in ſe aſſecurans cenſetur, quod in itinere accidit, de loco in locum, de littore in littus. Unde merces quæ, cum immittuntur vel exmittuntur ex nave, a piratis capiuntur, aſſecurantis periculo non ſunt, ſed tum demum, ſi in via periculum ſeu damnum patiuntur. Atque tunc idem illud pretium, quo erant emtæ, reſtituendum. * Regulariter enim per aſſecurationem non lucrum, ſed indemnitas intenditur. Mercium vero ex periculo reſiduarum aſſecurator fit dominus, ex quo aſſecuratus damnum, quod eſt perpeſſus, denuntiavit. Quo prætextu ſuperiori Seculo Hiſpani in Sicilia publicarunt naves Hamburgenſes, quarum aſſecuratores in Belgio degebant, quaſi hæ naves aſſecurantium Belgarum fuerint factæ. Sed cum ante dictam publicationem nullum periculum iſtis navibus imminuerit, multoque minus *obligatio*

damnum ullum aſſecurantibus ab aſſecuratis denunciatum, merito contra fiſcum a Pro-Rege judicatum, & a *Maſtrillo* reſponſum fuit Deciſ. 284.

* Aſſecurantem tamen non teneri ad ſolvendum aſſecurato id, quod ex lege Rhodia jure Hauariæ a mercium ſervatarum dominis conſequi poteſt, notat *Coccej.* de Aſſecuratione §. 59. p. 29. quod intelligo de caſu, ubi non tota navis cum omnibus mercibus, ſed ſola bona, quæ ad dominum navis ſpectant, fuerunt aſſecurata.

§. DCXIV.

Caſus memorabilis. Si navis aſſecurata urgente neceſſitate a tertio quodam ſuis uſibus adhibetur, quod angariare vocant, & inter præſtandam angariam damnum patitur, quæritur, num aſſecurator damnum illud reſarcire teneatur? Diſceptatum de tali periculo navis angariatæ fuit inter Ducem Hetruriæ & Regem Angliæ apud *Zouchæum* Jur. fecial. part. 2. Sect. 5. qu. 10. Sed hoc periculum ortumque exinde damnum ab angariante, non autem aſſecuratore eſſe reſarciendum, æquitas dictitat. Qui enim commodum ex angaria quæſivit, ortum quoque inde damnum reparabit.

§. DCXV.

Jura ſpecialia. Atque hæc fere illa ſunt, quæ ex aſſecurationis materia inter Principes uſum quendam præbent. Specialia circa aſſecurationem inſtituta ex legibus particularibus ſunt haurienda. Sic paſſim aſſecurare prohibentur publicani & argentarii, ne eorum bona incertis eventibus illigentur, cum Reipublicæ debitores ſint. it. nautæ, aurigæ quibus merces commiſſæ, hi enim in ſua cauſa forent teſtes it. judices in cauſa aſſecurationis, quia pariter forent ſuſpecti. Nec aſſecurari poſſunt naves hoſtium, vel hoſtibus deſtinatæ, nec prohibitæ merces, die Contrabande Waaren. Prohibetur etiam, aſſecurare merces ultra ſextantem, ſed ſextans ſemper navigare debet domini periculo, ut domino in partem periculi concurrente is non temere res periculo ſubjiciat. Nautæ inſtrumentorum nauticorum & bellicorum beſſem, aurigæ plauſtrorum & equorum ſemiſſem tantum aſſecurare poſſunt. Vid. *Coccejus* de Aſſecuratione.

§. DCXVI.

§. DCXVI.

Ab objecto emtionis ad formam ejus transeo, quæ consistit in consensu de re seu merce pro pretio danda. Unde tria ad emtionem requiri patet, mercem & pretium tanquam materiam, & tertio consensum tanquam formam & animam emtionis. * Unum ex his tribus ubi deficit, nullam subesse emtionem, tuto colligitur. Quare & imaginariæ venditiones, quæ fiunt pretio non accedente L. 16. Dig. de Reg. Jur. nomen venditionis haud merentur, quibus & merito annumerantur venditiones, quæ fiunt interveniente exiguo pretio, dicis saltem causa numerato, quales imaginariæ venditiones prisco ævo, solennitatum ad superstitionem usque amante, valde erant frequentes, & occurrebant in ejusmodi etiam negotiis ubi reapse nil minus, quam emtio venditio celebrabatur e. c. in emancipationibus §. 6. Inst. quib. mod. jus patr. pot. solv. L. 6. C. de emanc. in adoptionibus L. ult. C. de adopt. in testamentis per æs & libram §. 1. Inst. de testam. ordinand. it. in donationibus in fraudem legis susceptis. Exemplum navium pro quinis Drachmis Atheniensibus a Corinthiis venditarum adduxi. Tit. 3. §. 458. Plura vide apud *Ludewig.* de donationib. p. 128. in fin. Aliud præbet Gerada, maritis pro vilissimo pretio vendi solita. *Requisita emtionis*

* Neque hic consensus exulat ab iis emtionibus, ad quas Princeps subditos cogit, de quibus §. 604. Utut enim coacte velint, sufficit tamen quod velint tales subditi. Vim autem justam consensum non vitiare ostendimus L. 1. T. 5. §. 201.

§. DCXVII.

Imo in ipsis matrimoniis ineundis simulata seu imaginaria venditio intervenire, tum apud Romanos, tum alios populos ipsos etiam Germanos antiquitus solebat. Confer quæ alibi de arrha & largitate sponsalitia diximus. Primæ nuptiæ apud Francos solido & denario contrahebantur, secundæ adaucto pretio tribus nempe solidis & denario, quia duo solidi multæ loco (Reubuß vocabant) exsolvendi erant propinquis novæ nuptæ, ob odium, quo Germani secundas nuptias prosequebantur. Apud Saxo- *Emtio simulata seu imaginaria*

Saxones autem idem pretium pro virginibus & viduis exactum, ita ut uxorem ducturus 300. ſolidos parentibus daret. Vid. *Bœhmer.* de ſecundis illuſtrium perſonarum nuptiis p. 67. & 76. ubi quoad rationem differentiæ cur Saxonicæ fœminæ tanto pluris valuerint reliquis exiſtimat, eam non in divitiis Saxonum, ſed formoſitate fœminarum Saxonicarum eſſe quærendam.

§. DCXVIII.

Accedit emtioni pactum addictionis in diem.

Accedunt nonnunquam emtioni venditioni pacta varia, quæ pro lubitu diverſimode excogitari, & addi a contrahentibus poſſunt, dummodo ſubſtantialia emtionis ſerventur illæſa. Unde pactio ſeu conditio venditioni addita de pretio remittendo it. ut dominium in emtorem nunquam tranſeat, non quidem eſt illicita, emtionem tamen in aliud plane negotium transmutat. Ex iis vero pactis, quæ ſalva emtionis ſubſtantia eidem accedere poſſunt, potiora hæc ſunt.

1. Pactum addictionis in diem, quo venditor ſibi reſervat facultatem intra certum tempus meliorem conditionem ab alio oblatam accipiendi quale venditionibus ſub haſta Germ. denen Vergantungen tacite ſemper ineſt. Eſt enim ſubhaſtatio nihil aliud, quam venditio plus licitanti facta. Quare ſi nemo, qui plus offerat, reperitur, ultimus licitans ex emto ita tenetur, ut pœnitere nequeat. Jus civile paratam præciſe pecuniam in ſubhaſtationibus requirit L. 15. §. 7. Dig. de re jud. Recentioribus tamen moribus etiam pretium in terminis diſtinctis ſolvendum offerri in ſubhaſtationibus ſinitur. Nec in Saxonia amplius obtinet ius quo primus licitans ad pretium, quod aliud obtulit, dandum paratus præferri olim ſolebat arg. L. 7. de in diem addict. Vid. Ord. Proc. Sax. Rec. tit. 39. §. 16. Ceterum per ſubhaſtationem jura realia ſervitutes, hypothecas, retractum conſanguinitatis &c. non extingui alibi monitum. Imo nec retractus conventionalis ſeu jus retrovendendi per eam extingui videtur, quia plus in ſubhaſtatione alienari nequit, quam habuit debitor. Jus protimiſeos autem per ſubhaſtationem eamque ſecutam adjudicationem omnino extinguitur.

§. DCXIX.

§. DCXIX.

2. Pactum legis commissoriæ ut pretio non soluto res sit inemta, quod a pacto dominii reservativo differt eo, quod lex commissoria non impedit, quo minus rei venditæ dominium ad emtorem transeat, pactum dominii reservativum vero dominii translationem omnino impedit. Præterea pactum commissorium cessat, si venditor post elapsum solutionis tempus non rem sed pretium petit. L. 7. Dig. de leg. commiss. pactum dominii reservativum autem tali casu non expirat. *Legis Commissoria.*

§. DCXX.

3. Pactum de retrovendendo, Wiederkauff, quod & retractus conventionalis passim audit, vi cujus venditori (ejusve heredibus aut cessionariis, qui tamen totum redimere tenentur) conceditur potestas rem venditam refuso pretio reluendi, idque *vel simpliciter* sine tempore adjecto, (quo casu redimendi facultatem semper esse integram, nec ullo tempore præscribi, judicatum in Camera Imperiali 1542. in causa Episcopi Argentinensis, qui Capitulo consentiente cum pacto de retrovendendo Comiti de Gerolzeck vendiderat arcem Werd. Alii tamen ut *Tiraquellus* & *Rotermund* de retractu conventionali 30 annis venditorem excludi malunt, etiamsi pacti verba quandocunque & toties quoties libuerit retrahendi facultatem tribuant) *vel post* certum tempus, auff gewisse Zeit, *vel intra* certum tempus binnen gewisser Zeit. Quomodo personale hoc retractus pactum differat a jure retractus reali, utut ex conventione oriundo dixi. L. 1. Tit. 13. § 373. In cap. 5. X. de emt. vend. & cap. 4. X. de pign. non retrovenditio, sed velata sub eadem usuraria pravitas prohibetur. Inter exempla pacti de retrovendendo succurrit illud civitatis Lipsiensis, quæ a Friderico Placido Electore Saxonico jurisdictionem superiorem sub pacto retrovenditionis 1434. emit. & demum 1506. a Georgio Duce penitus in patrimonium accepit, ceu jam dum monuimus *de retrovendendo.*

§. 607. Plura exempla excitavimus, cum de pignoribus ageremus, veteribus Germanis oppignorationes fuisse incognitas, earumque loco venditiones cum pacto retrovendendi adhibitas. Spectant huc etiam bona Solidorum, die Schilling-Güther, Schillinghauer in Ducatu Brunsuicensi passim obvia, quæ sunt prædia rusticis pro uno solido & annuis præstationibus vendita, hac lege, ut solido ad focum affixo demigrare teneantur. Mallent alii hoc negotium ad locationem precariam referre, & præsidium quærunt in etymologia vocis Schillinghauer, quam ab heuren, seu annua conductione dictam putant. Sed heuer in genere idem quod hoc anno significat, adeo ut hæc vox id quoque innuere possit, ut solido appenso hoc anno colonus decedat. Sed levia solent esse argumenta ab etymologicis petita. Ipsa potius negotii indoles spectanda, quæ hoc casu ubi solidus tanquam emtionis pretium redditur, commodius sane ad retrovenditionem quadrat, quam locationem, qua finita locationis pretium, utpote pro usu concessum haud redditur. Taceo Germanis antiquitus prædiorum locationem fuisse incognitam. Conf. §. 622. & Tit. 13. §. 632.

§. DCXXI.

juris protimiseos

4. Pactum juris protimiseos, Vorkauff, Nähergeltung, Stand-Recht, quo tunc demum, si emtor rem emtam iterum vult vendere, eam venditori eo pretio, quod alius solveret, vendere tenetur. Unde ejus a retrovenditione differentia satis est manifesta, utut protimiseos pactum itidem nomine retractus passim veniat. Quoniam vero jus protimiseos idem, quod alius offert, pretium requirit, patet illud in sola venditione locum obtinere, non autem impedire donationem, permutationem, testamentariam aliamve de re emta dispositionem, dummodo per eam venditio non pallietur. Etiam ex testamento jus protimiseos nonnunquam competere, notavimus L. 1. T. 13. §. 373. item ex lege L. 1. T. 13. §. 390. ubi varia hujus rei exempla adduximus, quibus addi potest, quod dominus directus habeat

habeat jus protimiſeos intra 2. menſes a tempore factæ ſibi a venditore denuntiationis L. ult. C: de jur. emphyteu. quod & ad bona cenſitica & feuda Doctores extendunt. Cognato item ſocio ac rei communis poſſeſſori protimiſeos jus tribuitur 5. feud. 14. cujus tamen nulla hodie eſt autoritas. Principi aut jurisdictionis domino in bonis ſubditorum vendendis protimiſeos jus nullum regulariter competit, ceu præjudiciis confirmat *Rauchbar.* part. 2. qu. 22. Conf. dicta §. 604. Quod vero in proventibus metallicis jus protimiſeos ſibi domini territoriales vindicant, ſpeciale eſt ex legibus pactisve peculiaribus oriundum. Ceterum jus ex retrovenditionis vel protimiſeos pacto tanquam ex mera conventione oriundum perſonale ſaltem eſt, ita ut ad heredes quidem tranſeat, & cedi extraneo poſſit, non tamen alienationem contrariam traditione firmatam infirmet, aut jus contra tertium poſſeſſorem, ſed perſonalem ſaltem actionem contra emtorem ejusque heredes ad intereſſe tribuat, quod cum tenue æſtimari a judice ſoleat, cautelæ loco commendatur, ut in caſu contraventionis pœna pacto adjiciatur. Quodſi novus poſſeſſor rem protimiſeos juri obnoxiam novit, doli etiam actio & exceptio contra eum recte urgebitur.

§. DCXXII.

5. Ut liberum ſit emtori, num mercem ipſam reddere velit, an pro ea pretium determinatum ſolvere, quod pactum contractus æſtimatorius vocatur. *Contractus æſtimatorius*

6. Ut pretium emtionis in terminis diverſis ſolvatur, Auf Tagezeiten, quorſum & ſpectat, quando loco pretii, vel partis ejus, annua penſio ſolvitur pro qua ſi plenum dominium acquiritur negotium proxime ad contractum cenſiticum accedit, ſin utile ſaltem, *emphyteuſis* audit, quæ ob ſuam frequentiam itidem in peculiarem contractus ſpeciem & denominationem tranſiit, ſatis tamen commode ad emtionem poteſt referri dominii utilis pro annuo canone ſub lege meliorationis & laudemii, mutato poſſeſſore *& termini diverſi*

ſore præſtandi. Priſcis quidem Germanis emphyteuſis quatenus a cenſu hereditario differt incognita videtur. Conf. Tit. XI. §. 584. & vox Erb-Zinß tum pleni tum minus pleni dominii translationem ſub lege cenſus hereditarii factam denotavit.

§. DCXXIII.

Emtionis ſpecies eſt emphyteuſis.

Dantur in emphyteuſin non modo prædia ruſtica, quod nonnulli volunt, ſed & urbana, resque aliæ immobiles. Exempla Eccleſiarum in emphyteuſin datarum, vide in cap. 6. X. de religioſ. domib. Neque per ſolum contractum, ſed & per ultimam voluntatem, conſtitui poteſt emphyteuſis. Diſponere de emphyteuſi emphyteuta pro lubitu, libereque illam oppignorare poteſt. In ejus alienatione vero domino intra duos menſes a facta ſibi denuntiatione jus protimiſeos competit. Elapſis duobus menſibus dominus novum emphyteutam in poſſeſſionem ſuſcipere tenetur, & pro receptione nonniſi quinquageſimam (hodie plerumque vigeſimam) pretii partem exigere jubetur L. 3. C. de jur. emphyteut. Amittitur emphyteuſis ſi canon in emphyteuſi Eccleſiaſtica intra biennium cap. ult. X. de loc. Cond. in ſeculari intra triennium non ſolvatur L. 2. C. de jur. emphyteut. aut ſi emphyteuſis ſine requiſito domini conſenſu alienetur L. 3. eod. aut inſigniter deterioretur. Auth. Qui res Cod. de SS. Eccleſ. ut conſolidationem, præſcriptionem, aliosque communes amittendi modos taceam.

§. DCXXIV.

Contractus metallicus.

Contractum Metallicum, utut proventus Metallici haud renaſcantur, haud tamen male ad emphyteuſin referri, deducit *Horn.* Jurisprud. feud. c. 9. §. 22. ſqq. Vid. tamen *Beyer.* Jur. Germ. L. 2. c. 4. §. 26. Eſt enim contractus metallicus conventio, qua dominus territorii, quive Regali Metallifodinarum jure gaudet, certis perſonis denen Gewercken, fodinas ſub lege eas colendi pro pretio ſingulis tribus menſibus, Quatember-Geld, ſolvendo concedit, quod ſi per annum ſolvere ceſſant, vel culturam omittunt, jure ſuo cadunt. Solet & præterea dominus decimam proventuum partem, nec non propolium in metallis ſibi ſtipulari. Mutato tamen poſſeſſore laudemium nullum præſtatur, nec in alienatione partium metallicarum domino protimiſeos jus competit.

§. DCXXV.

§. DCXXV.

Quomodo emphyteusis a contractu censitico differat dixi Tit. XI. §. 584. *Superficiarius.*
utroque iterum differunt contractus superficiarius & libellarius, qui
en hodie raro occurrunt. *Superficies* est contractus, quo alicui in
cius solo jus dominio simile, habendi scil. in eodem ædificium, aut fru-
arboresque eidem inserendi, conceditur, quod vel per modum dona-
is vel emtionis vel locationis fieri potest. Unde & solarium Boden-
ß, quandoque in superficie præstatur. Cumque superficiarius plane
sit dominus fundi, in quo reale superficiei jus habet, manifesta ejus a
suario & emphyteuta est differentia. *

* *Beyer.* Jur. Germ. L. 3. c. 22. Superficiario utile dominium tribuit, & superficiem ab emphyteusi ita distinguit, ut illam ad sola ædificia seu prædia urbana, hanc ad rustica pertinere asserat. Nullas tamen affert rationes, quæ a communi Doctorum opinione recedere persuadeant. Certe ædes dari in emphyteusin colligitur ex L. 15. §. 26. de damno infecto, imo Ecclesias cap. 6. X. de relig. domib. quas tamen nemo facile prædiis rusticis annumerabit.

§. DCXXVI.

Libellarius contractus est conventio de re plenoque ejus dominio, in- *Libellarius.*
veniente scriptura, pro certo, regulariter levi pretio, certaque pensione
nua in alium transferenda, addita lege ut contractus statis temporibus
merato iterum pretio renovetur, cujus mentio occurrit L. 24. §. 1. C. de
. Eccles. Nov. 7. princ. Differt a censu & emphyteusi eo, quod neces-
io requirit scripturam, & renovationem statis temporibus, etiam non
utato possessore, quæ in censu & emphyteusi non sunt necessariæ. Du-
ex alia accedit differentia ab emphyteusi. In contractu enim libellario
enum dominium transfertur, in emphyteusi saltem utile, emphyteusis ob
on solutam pensionem amittitur, bonum libellarium non item.

Denique manifeste satis ab his omnibus differunt *bona Solidorum* die
Schilling-Güther de quibus §. 620: quando *plenum*, (en differentia ab em-
hyteusi,) sed pro lubitu *revocabile* prædii dominium (en differentia a bonis

censiticis) pro exiguo pretio ita conceditur, ut eodem restituto dimitti iterum illud debeat.

§. DCXXVII.

Dominium rei venditæ quando transit.

Effectus emtionis consistit in orta utrinque obligatione ex parte emtoris ad pretium solvendum, ex parte venditoris ad rem tradendam. * Ipsum rei dominium naturaliter sine quidem traditione, non tamen prius ad emtorem transit, quam pretium solutum, aut fides de eo habita, quia sub conditione pretii solvendi re vendenda venditor se abdicat. Jure civili ad dominium transferendum præterea traditione est opus L. 20. C. de pactis imo nonnullis in locis etiam judiciale resignatione, & investitura.

* Anne & rei venditæ accessoria vendita censentur e. c. catello vendito, numne & collare ejus aureum, quod gestat, venditum? Affirmat *Klein.* de jur. Margar. p. 101. arg. L. 38. Dig. de ædilit. Edict. Judex ex circumstantiis, quæ contrahentium fuerit mens, judicabit.

§. DCXXIIX.

periculum

Ubi autem constat, ex quo & quando dominium rei venditæ ad emtorem transeat, obscurum amplius esse nequit, cujus sit periculum rei venditæ, quippe quod regulariter est domini, cumque naturali jure per venditionem ipsum dominium transferatur, periculum quoque emtoris erit. Civili jure licet dominium usque ad secutam traditionem penes venditorem remaneat, periculum tamen statim post celebratam venditionem h. e. ubi de pretio convenit emtoris esse dicitur §. 3. Inst. de emt. vend. nisi conditio vendititionem suspendit, aut justa conventio, vel venditoris in traditione mora intervenit. Add. *Grotius* L. 2. c. 12. §. 15. & *Chr. Henr. Drewerus* de periculo rei venditæ Lips. 1727. Cujus sit periculum in re vendita cum pacto dominii reservativo, an domini, an emtoris? erudite disquirit *Jo. Godofr. Hartung* de pacto dominii reservativo c. 3. §. 14. & ad lites præscindendas commendat venditori cautelam, ut de periculo ab emtore ferendo expresse paciscatur. Totalis interitus venditoris damno, deterioratio emtoris fieri videtur.

§. DCXXIX.

§. DCXXIX.

Evictionem rei venditæ venditor emtori præstare tenetur, quia alias id, quod promissum, translatum dici haud posset. In rebus tamen a Principe ejusve conjuge venditis emtor statim est securus, quippe quæ evinci a pristinis dominis nequeunt, sed earum saltem æstimatio intra quadriennium a Principe venditore peti L. 2. & 3. C. de quadriennii præscript. Fiscus tiam hereditate vendita creditoribus hereditariis non tenetur, sed tantum emtor illius L. 1. C. de hered. vel act. vend. De rerum singularium evictione ne privati quidem, hereditate vendita, tenentur, quia non ipsæ res, sed jus hereditarium in eas competens saltem est venditum cit. L. 1. & L. 2. §. 1. Dig. eod. *evictio*

De rescissione venditionis confer dicta L. 1. T. 2. §. 68.

§. DCXXX.

Dum circa effectus venditionis versamur, paucis etiam tangenda controversia, num per factam rei venditionem tollatur locatio ejusdem rei prius inita, seu utrum succesior singularis, qualis est emtor, expellere queat conductorem? Ob Kauff Miethe breche? Negativam propugnavit *Herman Zollius* peculiari dissertatione ad L. 9. C. de locat. conduct. sub rubro: Kauff hebt Miethe nicht auf. Communem tamen affirmantium, & solam personalem ad interesse actionem conductori contra locatorem concedentium sententiam tuitus est *Zaunschleifferus* in Vindiciis proverbii: Kauff geht vor Miethe. Specimini antinomiarum Mevianarum adjectis. Zollius edidit deinde defensionem dissertationis suæ, Zaunschleifferus autem Vindicias vindiciarum opinionis communis. Litem amicabili compositione sopire voluit *Daniel Frider. Hoheisel* peculiari Programmate Halæ proposito, ubi, si jus naturæ spectes, Zollii hypothesin rectissime se habere, sin jus civile, cum Zaunschleiffero sentiendum esse, existimat, & cautelæ loco commendat, ut loco locationis conductionis celebretur emtio venditio ususfructus temporarii. Sic enim conductori plenissime & melius prospici quam si locationi addatur pactum de non alienando cum hypotheca in prædio locato in contractus securitatem constituta. Multis enim difficultatibus & incommodis ejusmodi hypotheca solet esse obnoxia. *an venditio locationem tollit?*

§. DCXXXI.

Certe non locationem a Principe factam.

Nescio tamen numne eadem incommoda premant emtionem ususfructus temporarii. Quod vero Hoheiselius putat, jure naturali per venditionem haud tolli locationem prius initam, quia nimirum locator eo ipso, dum per locationem se abdicat jure utendi re locata, de eodem amplius per venditionis modum disponere nequeat, id inquam naturali negotiorum simplicitati egregie quidem convenit, hanc enim prorsus ignorare locationem, ejusque loco ususfructus emtionem adhibere existimo. Semel autem supposita differentia ususfructus ab obligatione personali, ex locatione oriunda, ita ut ille rem afficiat, hæc autem solam personam contrahentem obliget, ipso etiam naturali jure locatio per emtionem tolli videtur. Simili fere ratione circa duplicem venditionem philosophatur *Grotius* L. 2. c. 12. §. 15. in fin. Jure civili expeditum est, privatorum locationes per secutam venditionem tolli L. 9. C de locat. conduct. At locationem a Principe vel fisco vel persona, quæ fisci jura habet contractam, emtor ejus servare jubetur L. ult. in med. Dig. de jure fisci. Rationem hujus legislationis in eo ponit *Amelung* de locat. rei domin. p. 80. ne teneatur fiscus, conductoribus expulsis, ad interesse, simulque refutat *Bartolum*, ejusque sequaces, qui eam a jure reali arcere malunt, quod rerum fiscalium conductoribus vindicant per L. 1. §. 1. Dig. de loco publico fruend. Sed dari etiam potest interdictum publicæ utilitatis causa citra jus ullum in re. Vix autem locationis indoles patitur, ut per eam jus in re tribuatur.

TITU-

TITULUS XIII. DE Locatione Conductione.

*
* *

Locari a Principe Majestas nequit, bene tamen dependens Regalium exercitium e. c. jurisdictio, tributa, vectigalia, præfecturæ. Cogi certis casibus possunt subditi ad res operasque suas Principi locandas. Locatio ad longius tempus inita vocatur ad firmam, iniri plane perpetuario jure potest. De ferendo in locatione sterilitatis casu anceps est quæstio.

§. DCXXXII.

Locatio conductio * est contractus de usu rei, vel opera personæ pro certa mercede concedenda. Operarum locationem statim post adinventum numorum usum frequentari cœpisse, vero est simile. Rerum autem, præsertim immobilium locationem pristini ævi simplicitati diu fuisse ignoratam, ejusque loco ususfructus temporarii emtionem, vel contractum censiticum ad tempus certum initium, usurpatum existimo. Quod de Germanis tanto fit probabilius, quo certius aliunde constat, eos ex possessione olim dominium æstimasse. Et defuisse priscis Germanis videtur vocabulum, quo immobilium locationem, tanquam rem sibi incognitam, efferrent. Certe vox Pacht, qua hodie locationis negotium exprimunt Germa- *Locationis definitio & origo.*

ni, Germana non eſt, ſed Latina a pacto oriunda, quam una cum locatione, re antea ſibi incognita, forte circa tempora translati ad nos juris Romani adoptarunt. Vocabulum Beſtand vero, quo in Germania ſuperiori locatio denotari ſolet, forte recentioribus demum temporibus locationi accommodatum, & olim negotium, quo reale quoddam jus inducitur, emphyteuſin ſcil. temporariam e. c. ad vitæ dies vel brevius tempus contractam denotaſſe colligo ex vocibus oppoſitis Erb-Beſtand, Erb-Beſtåndner, quæ perpetuam emphyteuſin ad heredes tranſituram innuunt, vid. Solmiſch Land-R. part. 2. tit. 7. §. 4. manifeſto indicio, differentiam inter Beſtand & Erb-Beſtand non in eo conſtitiſſe, quod Beſtand locationem ſeu perſonalem ſaltem obligationem, Erb-Beſtand vero reale quoddam jus induxerit, ut potius utrinque æquale jus, reale nimirum, inductum videatur, & differentia per vocem Erb indicata in ſolo tempore & duratione conſtiterit. Voces denique Miethen, heuren de prædiis haud prædicantur. Nec etiam antiquitatem locationis prædiorum apud Germanos ex jure Provinciali præſertim L. 3. art. 77. exſculpſeris, ubi alibique paſſim injicitur mentio locatoris conductoris. Germanicum enim textum ſi inſpicias, apparebit, non de locatione, ſed contractu cenſitico ibi agi, Latinum autem interpretem non ſatis commode voces Zinß, Zinßmann per locationem, conductorem efferre jam dum obſervavi Tit. XI. §. 586.

* Nonnulli *admodiationem* ſeu *arrendationem* pro ſynonimo locationis accipiunt, nec non *affictum*, cujus mentio occurrit cap. ult. X. de Reſtitut. ſpoliator. Accuratiores tamen admodiationem ſeu arrendationem de ſolis immobilibus iniri obſervant. Affictum ad contractus innominatos referunt, & deſcribunt per contractum quo jus compaſcui pro animalibus conceditur.

§. DCXXXIII.

Cauſa efficiens. Celebrant locationem conductionem, qui conſentire & de re locanda diſponere valent. Cumque in locatione non de re penitus alienanda, ſed ejus ſaltem uſu concedendo agatur, facile patet, laxiorem eſſe locandi, quam alienandi facultatem. Princeps, qui territorio non patrimoniali præeſt, ea omnia peragere poteſt, quæ ad ejus adminiſtrationem conducunt. Intervertit

vertit eam alienatio, at promovet locatio. Alienandi igitur facultas ipsi non est integra, bene tamen locandi, imo Reipublicæ melius locatione, quam administratione rei, vel operæ lucrativæ consuli, solide evincit *Carol. Otto Rechenberg* de locatione conductione, quæ fit a Principe §. 4. Ex locatione enim reditus certi certoque tempore percipiuntur, & conductor ob proprium, quod vel metuit damnum, vel commodum sperat, majorem rei gerit curam, quam administrator. Abusibus autem a conductoribus committi solitis per exigendam ab iis cautionem facile prævavetur.

§. DCXXXIV.

Ipsa Majestas, & regalia ejus jura a Principe locari nequeunt. Ea enim est locationis indoles, ut rei saltem usum concedat, reservata domino proprietate. At cum Majestas summam ac *independentem* potestatem involvat, facile patet, eam locationis objectum constituere non posse. Imo nec exercitium Regalium *illimitatum* e. c. jurisdictio illimitata, quæ appellationem ad summum Principem impedit, potest locari. Avelleretur enim hac ratione saltem ad tempus summa a Principe potestas, quæ tamen ab illo debet esse individua. Solum igitur limitatum, dependens, Principisque nomine exercendum Regalium exercitium locari a Principe potest. Unde in tabulis talium contractuum partes supremi imperii expresse reservari solent sub clausula die Landes-Fürstliche Hoheit ausgenommen, quæ etiam, utut forte omissa, ex ipsa negotii natura contractui jam dum inest. *Objectum Majestas haud constituit.*

§. DCXXXV.

Bona Ecclesiastica apud Pontificios ab Episcopis, apud Protestantes nonnisi a Principe vel Consistorio, quod Principis nomine omnia peragit, locantur. Superintendentes & Pastores autem quoties id sibi sumunt, totum negotium nullitatis vitio laborat. Ad certum vero tempus bonorum Ecclesiasticorum locatio apud Pontificios est restricta, ita ut absque Pontificis beneplacito ultra triennium locari eadem nequeant. Videatur desuper promulgata a Paulo II. Pontifice Romano constitutio in Extrav. Commun. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienand. quæ tamen non ubique est recepta. *An bona Ecclesiastica*

§. DCXXXVI.

§. DCXXXVI.

Jus patronatus

Jus patronatus locari posse multi negant, diversis tamen nixi rationibus. Nonnulli interserunt, de substantia esse locationis, ut fiat ad tempus, patronatus autem jus proxime accedere ad servitutes reales, quæ cum ad tempus constitui nequeant per L. 4. Dig. de Serv. nec patronatus jus aptum locationis objectum constituere censent. Sed meris falsis præsuppositis hæc omnia nituntur. Rarius quidem continget, ut locatio perpetuo duratura celebretur, cum finis intentus per emphyteusin aliove modo commodius obtineatur, nihil tamen obstat, quo minus si ita placuerit contrahentibus, celebrari in perpetuum possit locatio, vid. §. 658. Falsum porro est, quod jus patronatus semper sequatur naturam servitutum realium, cum detur & jus patronatus personale, vid. cap. 1. X. de jur. patron. & *Böhmer* in Schiltero illustrat. L. 1. T. 14. §. 6. Quod vero servitutes reales ad tempus constitui nequeant, antiquam sapit juris Romani philosophiam, nec apud nos unquam receptam, nec apud ipsos Romanos satis firmam, sed per doli exceptionem facile eludendam, vid. cit. L. 4. Dig. de Servit.

§. DCXXXVII.

Plerique, ut probent locari jus patronatus non posse, præsidium in eo quærunt, quod illud spirituale quippiam habeat annexum, pro quo merces, quæ necessario in locatione requiritur, accipi non debeat. Unde & ducti argumento cap. 7. 16. X. de jure patronatus non sine fundo, cui cohæret, jus patronatus vendi aut locari posse, existimant. At enim vero in locatione juris patronatus non pro ipso munere spirituali pecunia accipitur, sed saltem pro concessione juris denominandi subjectum ad munus ecclesiasticum habile. Præterea ipsa officia Ecclesiastica, si non a subditis, a Principe tamen citra Simoniæ peccatum pecunia interveniente recte concedi, evicimus in Jure Person. illustr. quo posito, eo minus dubium erit jus Principum, munera publica secularia locandi de quo vid. *Rechenberg* diss. de locat. quæ fit a Principe §. 9.

§. DCXXXIIX.

§. DCXXXIIX.

Exercitium juris monetandi, in genere ſi rem conſideres, itidem locari a Principe poteſt, in Germania tamen ſpeciali lege prohibitum, ne monetandi jus, quippe quo Principes non ex ſuperioritate territoriali, ſed ſpeciali Cæſaris privilegio gaudent, alii vendant aut elocent R. J. 1551. §. 46. & 1559. §. 174. it. 1570. §. 132. quæ tamen prohibitio cum locatione metallifodinarum nihil habet commune, quam valide ſuſcipi animadvertimus. *Jus monetandi.*

§. DCXXXIX.

Tributa, vectigalia, Acciſæ, reditus poſtarum, aliique quorum proventus ſunt incerti *, eoque ipſo adminiſtrantium fraudibus obnoxii, quam ſæpiſſime locantur, hacque ratione æſtimatio provenientium exinde compendiorum, quantum fieri poteſt, accurate ſatis inveſtigatur. Generali vectigalium locatione in Suecia 1726. ad quatuor annos inita, arendatores ſeu conductores pro ſolo vectigali maritimo annuam decem auri tonnarum penſionem promiſerunt. Eodem anno Pariſiis nonnulli pro conductione quinquageſimi numi (cinquantieme denier) quotannis XV. Milliones obtulerunt, quo calculo ſuppoſito reditus, quos ſubditi Gallici ex fundis aliisque ſuis bonis percipiunt, quotannis ad 750. Milliones adſcenderent. *Tributa & vectigalia.*

* Certi econtra reditus raro locantur. Si enim minoris quam reapſe valent, locarentur, Reſpublica inde ſentiret detrimentum. Sine lucro autem nullus reperietur conductor ſeu redemtor.

§. DCXL.

Ne tamen conductores, ſeu ut paſſim in jure vocantur, redemtores vectigalium nunc dura ac rigida, nunc aſtuta & fraudulenta exactione ſubditis vel publico commercio nimium ſint graves, prudenter huic rei occurritur e. c. tabulis contractus inſerendo clauſulam: die Unterthanen, Zinß- und Dienſt-Leute wieder die Erb-Bücher und Zinß-Register auch wohlhergebrachte Obſervanß nicht zu beſchweren, auch da ein und anderer aus wahren und gnugſam beſcheinigten Unvermögen nicht præciſe auf die fäl-

lige Termine mit der Contribution inne halten könte, in etwas Gedult zu haben, leidliche Fristen anzusetzen &c. Alia esse poterit cautela, si, quod Neapoli in gabellarum conductione fieri solet, deputetur Credentiarius, qui omnes exactiones & emolumenta arendatoris consignet, tum ut hic ab extorsionibus deterreatur, tum ut veri proventus sic indagentur.

§. DCXLI.

Cum superiori Seculo Amstelodami privati nonnulli redimerent vectigalia, vini nomine persolvenda, pro annua 100000. fl. pensione, & magistratus autoritate decretum esset, ut pro singulis doliis majoribus vectigal 20. fl. solveretur, sub finem anni, cum expiraret locatio, redemtores pro singulis doliis 10. fl. saltem poposcere hoc consilio, ut quo minus vectigal esset, eo liberalius cives vina compararent, & quanquam imminuto, multiplicato tamen vectigali, ingentem pecuniæ vim coacervarunt redemtores, non de publico, sed suo jure aliquid se remittere interserentes. At cum hæc machinatio in fraudem Reipublicæ & vectigalium sequentis anni tenderet, placuit magistratui ut in posterum conditionibus contractus, cum vectigalium redemtoribus ineundi hæc quoque inseretur, ne redemtoribus cum privatis, eo quo dictum modo, pacisci liceret. Vid. *Boxhorn.* disquisit. polit. cas. 44. p. 193.

§. DCXLII.

Jus Monopolii.

Jus Monopolii, de quo L. 1. T. 4. §. 174. regulariter, & quamdiu aliis quibus jus est quæsitum, non est noxium, sicut in genere concedi, ita & locari potest, & reapse passim locatur. Ab antiquissimis inde in Russia temporibus præcipuum Imperatoris Regale habitum, ut solus cauponariam exerceret, illudque jus a conductoribus redimendum, cuicunque vellet iterum permitteret, quod eodem modo in Gallia & Germania passim quoad venditionem salis hodienum observatur. Tabaci monopolium anno 1730. Parisiis redemtores pro annua 8. Millionum pensione conduxerunt. Referas huc etiam exempla molendinorum, aut furnorum bannalium locationis jure pro annua mercede a Principibus passim concedi solitorum. Quod vero quandoque opus extruendum, commeatus, culina locari dicuntur, wenn ein gewisser Bau, it. die Proviant-Lieferung vor ei-

ne

ne Armée, oder die Fürstliche Küche verpacht wird, id inquam abusive fit, cum talia negotia non ad locationem, sed contractum innominatum do ut facias pertineant. Horum scil. cura committitur ei, qui minori pretio ea perficere promittit.

§. DCXLIII.

Jurisdictionem illimitatam ne a Principe quidem locari posse, diximus §. 634. At limitatam & dependentem alienare, multoque magis locare potest Princeps, quod quotidiana experientia satis confirmat, dum jurisdictio integrarum praefecturarum per modum locationis praefectis concedi passim animadvertimus. Nec desunt exempla universitatum seu civitatum, quae locationis titulo jurisdictionem exercent. Nonnulla ex iis collegit *Jacob August. Franckenstein* de locatione jurisdictionis §. 12. Inferiorem jurisdictionem Senatui Dresdensi Fridericus Thuringiae & Misniae Marchio 1425. superiorem Ernestus Elector 1484. titulo locationis concessere, & demum sub Jo. Georg. II. Electore patrimonialem titulo oneroso acquisivit jurisdictionem. Helmstadium criminalem jurisdictionem locationis jure exercere testatur *Kressius* in Not. ad Ord. Crim. art. 2. §. 15. *Jurisdictio.*

§. DCXLIV.

Sed num & in quantum ii, qui dependentem a Principe tenent jurisdictionem, eam locare valeant, nunc dispiciendum. Tenent illam alii administratorio nomine alii tanquam patrimonialem. Qui administratorio nomine eam exercent, ob electam personae industriam locare, aliive eam committere nequeunt. Hinc apparet ratio, quare priscorum Romanorum jurisdictio locari non potuerit, quia nimirum omnis apud eos jurisdictio erat administratoria. Hodie autem cum in patrimonium concedi illa a Principe soleat, locari quoque potest, sive hereditario jure, sive ad vitae dies fuerit concessa, sive cum fundo cui cohaeret, sive absque eodem locetur. Neque enim hic inferre licebit a jure patronatus ad jurisdictionem. Jus patronatus vitandae Simoniae causa sine fundo locare vetat jus Canonicum vid. §. 6. Unde & locato fundo etiam jus Patronatus locatum seu translatum censetur, non autem jurisdictio. Jurisdictione tamen in genere locata, ut omnes ejus species censeantur locatae, sanae interpretationis regulae

postulant, Add. *Beyer*. Jur. Germ. L. 1. c. 4. pos. 7. quia species continetur sub genere. De cetero eædem sanæ interpretationis regulæ stricte accipere, nec temere extendere jubent factam mediante locatione jurisdictionis concessionem.

§. DCXLV.

Quare jurisdictionis conductor ea saltem peragere potest, quæ ad illam exercendam sunt necessaria e. c. personas judiciales constituere, (prudenter tamen locator ut ex sua parte quidam adjungatur, pacto stipulatur,) de causis obvenientibus cognoscere, sententias ferre, easque executioni mandare, adeoque & pœnas irrogare, corpori irrogatas in pecuniarias mutare. Et si forte Princeps locator sibi reservet jus aggratiandi, & pœnam corporalem in mulctam convertendi, hæc mulcta ad conductorem pertinebit. Neutiquam vero conductor jurisdictionis sibi vindicare potest jus precum Ecclesiasticarum, vor sich im Kirchen-Gebet bitten zu lassen, nec etiam potest hypothecas confirmare, multo minus alienationibus consentire, statuta concedere, homagium, operas, census, Canones, decimas, jus mortuarium &c. exigere, hæc enim omnia non tam jurisdictioni, quam dominio directo cohærent, quod sane cum jurisdictione locatum dici nequit. At lucrum quod ex Gerada, Hergewetta, jure detractus * &c. obvenit, jurisdictionis conductori non erit denegandum, utut consultius sit, ejusmodi lucra ab ipso contractu statim ab initio eximere, quoniam nimirum sunt incerta, eorumque locatio ab utraque parte plus quam justum est, aleæ continet. Conferantur citatæ *Franckensteinii* & *Rechenbergii* dissertationes.

* Ubi scil. jurisdictionis domino illud competit.

§. DCXLVI.

In Gallia jurisdictio feudi vel alio titulo a Rege subditis concessa, ab iis locari nequit, teste *Choppino* de Doman. Franc. Lib. 2. tit. 9. qualis tamen prohibitio impedimento non erit, quo minus ipsi Principi vel Regi prohibenti jurisdictio vel quævis res alia alias locari prohibita locetur. Certe Princeps, qui non obstante priori sua prohibitione, talem contractum cum subdito celebrat, eatenus eum exemisse a lege videtur.

§. DCXLVII.

§. DCXLVII.

Præfecturæ integræ cum complexu plurium Regalium ubi locantur, locari simul etiam solent operæ subditorum, quibus ne abutantur conductores, conducunt clausulæ de servitiis nonnisi in negotiis præfecturam concernentibus exigendis, der Pachter solle die Dienste nur so weit sie zu des Amts Revenuen nöthig, zu fodern berechtiget seyn. it. de visitationibus ad audiendas subditorum querelas sumtibus conductoris instituendis, it. de reservanda Principi locatori facultate remittendi subditis præstationes, ita ut earum æstimatio locationis pretio decedat, daß wenn durch Befehle denen Amts-Unterthanen Remisse und Befreyungen wiederfahren, dem Lands-Herrn, was sie betragen, sich am Pacht-Gelde nach der Anschlags-Taxe kürzen zu lassen, frey stehen solle. *Præfecturæ.*

§. DCXLVIII.

Feuda utut vendi nequeant, locari tamen posse, in vulgus notum est, adeo ut liberi Vasalli agnoscere teneantur locationem, a parente utut ad longum tempus factam 2. feud. 9. & 45. Dominium directum eatenus quidem locari potest, ut lucrum ex apertura feudorum, item præstationibus pecuniariis, Ritterpferdgeld, proveniens transeat ad conductorem, fidelitas autem & servitia personalia soli domino in persona debentur, nec cedi aut transferri in conductorem possunt. Consultissimum erit, si dominium directum die Lehn a locationum contractibus plane eximantur, quoniam alias vel locatur vel conductor facile læderentur, hic si nulla, ille si multa feuda vacare contingant. Quæ de libera Vasallorum feuda locandi potestate modo diximus, multo majori jure in emphyteusi obtinent. Ususfructus pariter recte locatur, eoque ipso ab usu differt vid. L. 12. §. 2. Dig. de usufr. & tit. Inst. de usu & habitatione, num vero in dubio ususfructus locatio, an fructuum venditio præsumi debeat, dixi Tit. 12. §. 610. *feuda.*

§. DCXLIX.

Vidimus res, quæ locari a Principe possunt. Pauca etiam notamus circa subjectum seu personas, quibus locari potest? Minoribus 25. an- *Subjectum cui*

 nis

locari potest. nis neque fundus, neque vectigalia locanda dicuntur L. 45. §. 14. Dig. de jur. fisc. ne adversus ea beneficio ætatis utantur, idemque ad ecclesias & civitates extenditur, quippe quæ ad imitationem minorum in integrum restitutione gaudent. Per juramentum autem minoris in integrum restitutio excluditur, adeoque contracta ab eo locatio roboratur, & licet regulariter res minoris absque decreto hypothecæ vinculo adstringi nequeant, si tamen minor contrahit cum fisco, bona ejus tacite hypothecata censentur sine decreto per L. 2. Dig. de reb. eor. qui sub tutel. Nec fieri potest locatio publica seu rei dominicæ tutoribus vel curatoribus minorum, quamdiu gestæ tutelæ rationes non reddiderunt, ne, ad inopiam vergentibus tutoribus, fiscus postponatur pupillis L. un. C. ne tut. vel. Curat. L. 1. §. 9. ad L. Cornel. de falsar. Add. *Amelung* de locatione rei dominicæ p. 49. & 54. ubi observat, nec fœminis vectigalia posse locari, quia eorum administratio est officium & munus publicum, cujus fœminæ sunt incapaces, adeo ut ne quidem mulieres heredes succedant in societate conductionis vectigalium, atque ita judicatum fuisse Parmæ. Ob eandem rationem, inhabilitatem puta ad publica officia, Judæi aliique heretici a rerum publicarum locationibus arcentur. Clerici item per Nov. 123. c. 6. Milites per L. 31. & ult. C. de locat, nec non officiales, ministri, Consiliarii, Decuriones, Palatini, ac liberi in ipsorum potestate constituti L. 4. Dig. de Decur. L. un. C. quib. ad Conduct. præd. fiscal. accedere non licet. Bene tamen monet *Amelung* p. 55. has leges eos saltem stringere, qui vi concreditæ sibi administrationis rem dominicam vel fiscalem locant. Si autem vel Princeps ipse, vel interveniente mandato speciali uni alterive memoratarum modo personarum sciens, nec ipsarum conditionem ignorans, rem suam locat, absurdum foret ad dictas angustias Principem redigere, eoque ipso deterioris eum conditionis facere privato quocunque.

§. DCL.

inter plures præfertur plus licitans. Plures ubi se offerunt ad res Principis conducendas competitores, plus licitans præferri, imo in Hispania præmium ei dari solet, observante *Amelungio* p. 39. Consultius tamen quandoque videtur, homini bonæ notæ & perito, minori pretio locare, quam ignoto plus offerenti. Expedit quoque exigere a conductore, ut interposita cautione idonea promittat,

mittat, rem intra triennium, ubi ipſe contractu diſceſſerit, non minoris locandam, aut ipſum ad ſupplendum, quod deerit, obligari velle. Plures ubi idem pretium offerunt, congruit æquitati, ut veteres fundorum publicorum poſſeſſores novis conductoribus præferantur L. 4. C. de locat. prædior. civil. ad quam plura commentatur *Amelung* de locat. rei domin. p. 78. De locatione feudi, quod pertinebat ad Vaſallum Saxonicum, qui mentis alienationem patiebatur, ſimulque ære alieno premebatur, diſceptatum fuit, num ad conductionem ſoror Vaſalli potius, an ſimultanee inveſtiti ſint admittendi. Simultanee inveſtiti jus ſuum reale, ſpemque ſucceſſionis, ſoror propinquitatem urgebat, itidemque ſpem ſucceſſionis in allodialibus multis, quæ feudo erant immixta. JCti Vitebergenſes 1669. deſuper conſulti neutri parti favendum rati, plus licitantibus bona eſſe locanda judicarunt. Simultanee enim inveſtitis jus ſaltem incertum, cum ipſi ante Vaſallum decedere poſſint, competebat, idque ſaltem in ſubſtantia feudi, non in fructibus de quibus locandis agebatur. Sed nec ſoror ullum hac in parte prælationis jus poterat docere. Vid. *Horn.* Jprud. feud. c. 20. §. 10.

§. DCLI.

Forma locationis conductionis conſiſtit in conſenſu de mercede pro uſu rei vel opera præſtanda. Merces promiſſa requiritur ex parte conductoris. Gratis enim ſi uſus rei vel opera conceditur, negotium tranſit in commodatum vel mandatum, ſin pro re alia, in contractum innominatum, ſi denique pars fructuum, ad ſocietatem negotium referendum videtur. Neque a Principe celebrari poteſt locatio conductio ſine mercede, non quidem ob rationes, quas affert *Grotius* L. 2. c. 14. §. 5. quaſi Rex vel Princeps, non qua talis, ſed tanquam alius quivis locationem ſuſcipiat, adeoque & leges oppidi, ubi contrahit, obſervare debeat, utrumque enim eſt falſum, ſed quia ipſa locationis indoles tanquam eſſentiale requiſitum mercedem poſtulat, nec ſine ea concipi poteſt. Ex parte locatoris requiritur conſenſus de uſu rei vel opera concedenda. *forma locationis*

§. DCLII.

Nihil autem intereſt, ſive conſenſus in locatione interpoſitus ſit ſpontaneus, ſive vi juſta elicitus. Juſtam enim vim conſenſum non vitiare *Coacta locatio*

popu-

ob publicam ſupponimus ex dictis L. 1. T. 5. §. 200. Quænam autem vis juſta ſit, ne, ex domeſticis cujusque controverſiæ principiis dijudicandum. Hoc loco ſaltem disquirendum, in quantum Princeps ſubditos ad res operasque ſuas locandas cogere poſſit? Nimirum ob neceſſitatem publicam Princeps vi ſummæ, qua pollet, poteſtatis cogere omnino poteſt ſubditos ad res operasque ſuas locandas, quorſum ſpectat violenta militum lectio das gewaltſame Werben. Memorat Codex Theodoſianus tit. de fil. Militar. appar. & veter. eo priſcis jam temporibus pertinaciæ quosdam fuiſſe progreſſos, ut pollice ſe truncaverint, quo militares operas negarent. Unde *Salmaſius* de fœnore Trap. p. 784. nomen poltron, quaſi pollice truncus ortum autumat. Sed Conſtantinus Valentinianus & Valens Imperatores tales nebulones curialibus muneribus addixerunt, & cum parum hac poena deterrerentur, flammis ultricibus cremandos ſtatuerunt. Ob eandem publicæ neceſſitatis rationem alienas etiam & mercatorias naves applicari earumque dominos & exercitores cogi a Principibus videmus ad copias & inſtrumenta bellica pro certa mercede transportanda. Conf. *tot. tit.* Cod. de Navib. non excuſand.

§. DCLIIII.

non privatam utilitatem Principi competit. Ob ſolam autem privatam ſuam utilitatem Princeps tali cogendi jure aliter haud gaudet, quam ſi pacto prævio illud acquiſiverit. Tunc enim quod ab initio erat voluntatis, ex poſt facto fit neceſſitatis. Quorſum ſpectant die Zwang-Dienſte, quando ſubditi eorumve liberi Principi vel domino jurisdictionis ad certum tempus operas ſuas locare tenentur. Olim etiam rei fiſcalis conductores, qui maximos fructus ex redemtione ſeu conductione perceperant, finito conductionis tempore, inviti poterant compelli ad eam denuo pro priſtina penſione ſuſcipiendam, ſi non exiſtat alius, qui ſub eadem penſione eandem ſubeat L. XI. §. ult. Dig. de Public. & Vectig. De juſtitia hujus legis non eſt ut dubitemus. Cum *enim* conductor tempore ſuſceptæ conductionis ſciret, hanc ſibi a lege imponi conditionem, ſuſcipiendo conductionem tacite in eam conſenſiſſe *videtur*. Interim prudenter hæc legislatio eſt ſublata L. 3. §. 6. Dig. de jur. fiſc. ne ſcilicet alii conducere ad fiſco deterreantur.

§. DCLV.

§. DCLIV.

Dolus & error in quantum officiant consensui, locationis contractui posito, numque hic ex capite læsionis ultra dimidium possit rescindi ctis Tit. 12. §. 600. sq. & L. 1. T. 5. §. 193. sqq. facile intelligitur.

§. DCLV.

Declaratur consensus super locatione ineunda vel expresse per verba teras, vel tacite per facta. Sic qui in diversorio conclave intrat, in e commoratur, tacite illud conduxisse censetur. Sic & qui finito lonis tempore in re locata permanet, tacite reconduxisse, seu renovasse ionem videtur. Imo ex moribus qui ante tempus elapsum tempestive tioni non renuntiat, reconduxisse censetur. Rei dominicæ seu fisci luctores tacita reconductione non gaudere *Gizzarellus* Dec. 5. §. 14. bat argumento L. 3. §. 6. Dig. de jure fisci, quam tamen de conduibus invitis saltem non retinendis agere, neutiquam autem ad reconionem extendi debere, hancque etiam in publicis locum habere docet *elung* de locat. rei domin. p. 84. Subhastatio jure Romano ad neces-as solennitates, in locatione rei dominicæ adhibendas, refertur L. 4. de Vectigalib. & commissis, quare nec hodienum ab iis, qui rei domie præsunt, in ejus locatione temere omittenda, nisi de contraria Prinis voluntate constet. *Tacita locatio & reconductio*

§. DCLVI.

Tempus, ad quod contrahitur locatio, variare pro contrahentium ario solet. De locatione rerum domanialium vel publicarum a Principe a id præsupponendum existimo, quod ultra locatoris vitam extendi neat. Sola enim Principi administratio competit, quæ sane ad vitæ dies restricta. Vide tamen L. 5. C. de locat. præd. civil. Vectigalium locanem non minus quam triennii fini concludi præcipit L. 4. C. de vectiga. & commissis, ut scil. unius anni sterilitas sequentium ubertate comnsetur. Sed id passim negligi, animadvertitur. Econtra ne Ecclesiastibona ultra triennium absque Pontificis beneplacito locentur, præcipitur Extravag. Pauli II. de reb. Ecclesiast. non alienand. Quoad reliqua *Tempus ad quod locatio contrahitur.*

bona in dubio, & si nullum tempus expressum locatio prædiorum rusticorum in annum, urbanorum & operarum tamdiu, quoad alteruter renuntiet, facta censetur L. 13. §. fin. Dig. locati.

§. DCLVII.

Locatio ad firmam Ad longius tempus ubi locatur, locatio *ad firmam* facta dicitur, quia sic firma redituum ratio constituitur, der Pacht wird auf ein gewisses gesetzt, utut & ad breve tempus reditus incerti pro firmo & fixo pretio possint locari. Unde nonnulli locationem ad firmam opponunt admodiationi, qua usus rei ad certum modium indulgetur. Sunt, qui ultra 9. annos locationes iniri posse negant, veriti ne decennio elapso conductor rem conductam jure præscriptionis sibi acquisitam prætendat, ideoque in locatione ad longius tempus ineunda cautelæ loco commendant, ut addatur pactum de locatione quovis novennio renovanda. Sed vano terrentur metu. Deficit enim conductori titulus ad præscriptionem necessarius, nec conductor, quam diu talem se profitetur, dominii quæstionem unquam movere potest, & quoties locationis mercedem solvit, seipsum a præscribendi facultate excludit, continuamque, quam præscriptio requirit, possessionem ipse interrumpit. Alia autem est quæstio, si dubium existit, num soluta aut solvenda annua pensio debeatur tanquam merces locationis, an tanquam canon emphyteuticus aut censiticus. Tunc enim in dubio potius pro possessore militat dominii præsumtio, & citius bonum præsumitur censiticum quam emphyteuticum, & emphyteuticum citius quam conductum. Unde in Saxonia Constit. Elect. 40. Part. 2. in casu, quo quis ultra 30. annos annum & diem canonem uniformem præstitit, bona pro conductitiis habenda non esse, sed possessorem pro domino habendum esse, edicitur, nisi ab initio bona titulo locationis concessa probentur.

§. DCLVIII.

perpetua Plane perpetuario jure, auf Erb-Pacht, res locari posse dubitare nos non sinunt L. 10. C. de locat. conduct. L. 5. C. de locat. prædior. civil. Neque est, quod dicas, tali casu locationem transire in emphyteusin. Quanquam enim perpetua talis locatio inveniendo emphyteuseos contractui

forte

forte ansam præbuit, hæc tamen utrinque subest differentia, quod emphyteuta utile, conductor autem, utut perpetuus, nullum in re dominium habeat. Solus enim usus potest esse perpetuus, ita ut dominium totum maneat penes locatorem. Quare fodinæ, lapidicinæ &c. in prædio perpetuario jure locato inventæ non conductori, sed domino cedunt. Exemplum Meieriarum, quæ perpetuo locationis jure tenentur, memoravi Tit. XI. §. 584. in fin. Bona tamen solidorum propius ad emtionis naturam accedere monui Tit. 12. §. 620.

§. DCLIX.

Ubi de locatione inter contrahentes convenit, *primo* cautio a conductore est exigenda, quæ licet alias in locationibus necessaria non sit, negligi tamen nequit a curatoribus rerum publicarum, easdem locantibus L. 3. §. 1. Dig. de administr. & peric. rer. ad civit. pertinent. L. 7. C. de fund. patrim. præcipue quando locationem calor licitantium ultra modum solitæ conductionis inflavit L. 9. princ. Dig. de publican. Quodsi conductor cautionem hanc præstare nequeat, reiteratur subhastatio periculo ejus, qui fidejussores dare nequit, ita ut teneatur supplere id, quanti minoris res locatur, quod Galli vocant *porter la folle enchere.* Prior autem licitator ad servandum suum licitum adigi amplius nequit, sed eo ipso, dum alius meliorem obtulit conditionem, liberatus censetur. *Secundo* conficiatur inventarium, ex quo de pertinentiis & qualitate rei locatæ constet eo fine, ut conductor in eadem qualitate eandem restituat. *Tertio* conductor circa rem conductam utatur officio boni patrisfamilias, nec eam reddat deteriorem, qualem casum memorabilem habuimus §. 641. sed talem adhibeat diligentiam, qualem juxta regulas L. 1. T. 10. §. 344. suppeditatas adhibere tenetur. Unde ab artis perito, qui operam locat, exactissima requiritur diligentia L. 13. §. 5. L. 25. §. 7. Dig. locat. nec non a conductore vasorum aureorum, argenteorum, jocalium &c. §. penult. Inst. de locat. cum alias circa res minus pretiosas in locatione sicut aliis contractibus quibusvis bilateralibus media sufficiat. Hinc rem conductam in statu decenti conservet, ac onera ejus consueta ferat, e. c. conductor jurisdictionis inquisitionum & executionum impensas, & alimenta liberis expositis præbeat. Periculum autem seu casus fortuitus, qui circa *Obligatio conductoris*

ipſam rem locatam contingit, eſt locatoris, tanquam domini, in quantum autem ob caſum fortuitum fructibus advenientem locationis merces remitti debeat, mox videbimus.

§. DCLX.

ad penſionem ſolvendam Præcipua enim conductoris ex locatione conductione orta obligatio cernitur in eo, ut *quarto* mercedem ſeu penſionem promiſſam ſolvat, quæ, ſi in longius tempus initus eſt locationis contractus, in dubio & niſi in ſingulos annos merces eſt definita, exigi demum finito locationis tempore poteſt, quia prius a parte locatoris contractus adimpletus dici nequit. Plerumque tamen vi conventionis expreſſæ, vel conſuetudinis receptæ, annuatim numerari locationis merces ſolet. Nec tamen ex eo, quod annuatim penſio ſolvitur, colligi præciſe poteſt, locationem eſſe contractam, cum & in emtione ſolutio in terminis, iisque annuis fieri poſſit. Si forte durante locatione mutatio circa monetam contingit, regulariter ad tempus contractus initi reſpicitur, per dicta L. 1. T. 10. §. 337. ſq. In Gallia tamen tempus ſolutionis reſpicitur, & in arcanis fiſcum locupletandi habetur, minuere monetam inſtante tempore, quo vectigalium redemtores penſiones ſolvere tenentur, ſicut ex adverſo augetur, quoties Regio nomine ſolutiones inſigniores faciendæ.

§. DCLXI.

an ob ſterilitatem Sterilitatem aliosve caſus, qui uſum rei locatæ impediunt, conductoris damno eſſe, neque eo minus locatorem jus habere ad pecuniam promiſſam, quia ipſe facultatem utendi tradidit, cenſet *Grotius* L. 2. c. 12. §. 18. quem & juvat, quod cum nec augeatur locationis merces ob improviſam ubertatem, nec minui debeat ob ſterilitatem. Alii tamen in quibus ſunt *Felden & Ziegler* ad h. l. tales caſus locatoris eſſe malunt, ob eosque locationis pretium minuendum vel remittendum. Non enim ſolam facultatem, ſed ipſum uſum locatum ajunt, qui ubi nullus adeſt, nulla etiam pro eo merces exigi poſſe videtur. Leges Romanæ media quaſi via incedunt, & ob calamitatem ſeu ſterilitatem inſolitam, cui reſiſti nequit, mercedem remitti jubent L. 15. §. 2. Dig. locat. L. 8. C. eod. ſi tamen uno anno ob ſterilitatem remiſſio facta, deinde ſequentibus annis conti-

contigerit ubertas, nihil obesse domino remissionem, sed integram pensionem, utut antea donatam, posse exigi L. 15. §. 3. Dig. eod.

§. DCLXII.

Titius Observ. ad Lauterbach 610. omnem de remissione pensionis doctrinam fere ad homines egenos modicorumque prædiorum conductores pertinere retur, cum conductores prædiorum magnorum vel integrarum præfecturarum malint sterilitatem, quam ubertatem, quippe qua eveniente frumentum vili pretio vendendum. Sed & in magnorum redituum locatione usum hanc doctrinam præbere, experientia docet. Superiore Seculo cum in Belgio fœderato atroci peste ingens hominum multitudo absumeretur, ideoque longe minus quam antea consumeretur earum rerum, de quibus vectigalia erant solvenda, redemtores eorum partem pensionis remitti petiere. Sed tunc quidem non remittere debitum, nec tamen importune ejus solutionem urgere est visum, donec ad meliorem redemtores pervenerint fortunam. Vid. *Boxhorn.* disquis. polit. casu 43. *remissio indulgenda.*

§. DCLXIII.

Extra casus, quibus mercedis remissio conductori indulgenda, si in eadem solvenda morosum se præbet, non modo ante præstitutum locationis tempus elapsum potest expelli L. 10. §. 1. Dig. de publican. & vectigal. L. 3. C. de locat. sed & Principi aliisque personis, quæ jure fisci gaudent, dictæ pensionis intuitu hypotheca tacita in bonis conductoris, imo & dote uxoris competit L. 2. & 4. C. in quib. caus. pign. vel hypoth. contrah. quæ licet in Saxonia per Ord. Proc. Rec. tit. 45. § 4. cum reliquis hypothecis tacitis sit sublata, indulgetur tamen ibidem locatori retentionis jus in fructibus & bonis illatis. Flebile autem cessionis bonorum beneficium ne rei quidem dominicæ conductori est invidendum. *de hypotheca in bonis conductoris*

§. DCLXIV.

Heredes conductoris ex operis conductione a prædecessore suscepta, wenn ein gewisses Werck entreprenniret, ubi personæ industria princi- *Heres conducto-*

 pali-

ris in quantum teneatur? paliter ſpectatur, haud tenentur. Ex rerum autem locatione omnino heredes tenentur, cum defunctus eam contrahendo locatoris debitor ſit factus, debita autem ab heredibus præſtari debeant. Jung. L. 10. C. de locato.

§. DCLXV.

Obligatio locatoris Obligatio locatoris conſiſtit in concedendo conductori rei locatæ uſu ad tempus locatione definitum. Principi quidem aſſentatores nonnulli facultatem pro lubitu a locatione recedendi tribuunt, hancque in rem varios juris Romani textus detorquent, dum neſcio quam legem tacitam addictionis in diem, ſi plus ab alio offeratur, locationibus fiſcalibus affingunt. Quæ tamen vel commemoraſſe eſt refutare. Conf L. 2. C. de Vend. rer. civit. Adire, cui volupe eſt, poterit hos contra diſſerentem *Amelungium* de locatione rei dominicæ p. 40. ſq. qui & leges Hiſpanicas, Neapolitanas, Gallicas adducit, quibus quousque plus licitantes admittantur, definitur. Quod vero recedere a locatione poteſt locator, ſi conductor leges contractus prius violat, male circa rem locatam verſando aut mercedem non ſolvendo, ex mutua hujus contractus indole & obligatione fluit. Jus Romanum biennio continuo mercedem non ſolutam ad conductionis privationem requirit L. 54. §. 1. & L. 56. Dig. locat. Propriis uſibus ſi ædes ſibi neceſſarias probaverit locator, recte recedi a locatione dicitur L. 3. C. de locato, quod tamen ad neceſſitatem inopinato emergentem reſtringendum, nec unquam ad fundos locatos extendendum. In quantum locatio emtione finiatur, quodque locationem a Principe factam emtor ſervare teneatur dixi Tit. 12. §. 631. quod ſecus jure civili ſe habet in locatione a privato facta. Hanc enim ſucceſſor ſingularis ſeu emtor agnoſcere non tenetur, unde & locator prædii, ob creditorum concurſum ſubhaſtandi, expellitur etiamſi locationis mercedem prænumeraverit. Conf. Ord. Proc. Sax. Rec. tit. 39. §. 4.

§. DCLXVI.

ipſiusque heredis Heres locatoris ex rerum locatione a defuncto facta omnino obligatur, cum in genere ad facta prædeceſſoris præſtanda teneatur. Succeſſorem autem in Principatu ex prædeceſſoris, cujus heres non eſt, locatione

non

non obligari, monui §. 656. Quod vero prisco jure Saxonico heres defuncti ne quidem ex contractu censitico, multoque minus ex locatione (si illa ipsis fuisset cognita) a defuncto celebrata obligabatur, sed pro cultura præstita annuam saltem mercedem solvebat. Land-R. L. 3. arr. 77. id inquam fundamentum in restricta alienandi facultate habet, vi cujus sine heredum consensu bona alienare, aut in mortis eventum de iis disponere non licebat, quæ omnia cum hodie cessent, ipsum quoque heredem ex locatione defuncti teneri manifestum.

TITULUS XIV.

DE

Contractu Collybistico seu Cambio.

*

* *

Cambium contrahendo ipsi etiam Principes tacite se adstringunt institutis circa cambialia negotia receptis. Plerumque Principum cambia in Ministrorum nomen concipiuntur.

§. DCLXVII.

Cambium vox minus Latina, ab eleganti & antiquo verbo *cambio*, quod permutare denotat, descendens in latiori sensu pro quavis permutatione, strictius autem pro pecuniæ permutatione accipitur. Permutatur autem pecunia vel in eodem loco & in continenti, quando numi unius generis pro alterius, pecunia minuta pro majori, aurea pro argen- *Cambii definitio*

tea

tea accipitur, wenn man Geld umsetzt, quod vocari solet cambium minutum seu manuale: vel ita permutatur ut ab uno detur pecunia, ab altero autem promissio vel Schedula de pecunia æquivalenti alio tempore & alio plerumque loco reddenda, unde & locale (mallem dicere temporale) cambium appellatur, κατ᾽ ἐξοχὴν sub cambio intelligitur, quod proinde describi solet per contractum, de pecunia data vel promissa alio in loco tempore definito solvenda. Quæ tamen definitio in verbis *alio in loco* arcte nimis constringit cambia, cum & eodem in loco eorum solutio fieri queat. In eo autem dicta definitio lata nimis videtur, dum pariter ad chirographum gvarentigionatum, qualitate licet cambiali destitutum quadrat. Quare verba *alio in loco* rectius omittuntur, & eorum loco pro differentia specifica substituuntur illa: *sub pœna arresti personalis.* Hæc enim omnibus obligationibus cambialibus ex moribus ubique fere receptis præstituta, omnibusque cambii literis, quæ vel cambii vocem habent expressam, vel alias cambii formam præ se ferunt, tacite inest, & verum ejus ab alio chirographo discrimen constituit.

§. DCLXVIII.

origo Ad originem cambiorum quod attinet, minuta seu manualia ipsa necessitas mox post inventum numorum usum efflagitavit. Cum enim diversarum Rerumpublicarum diversæ essent monetæ, nihilosecius mutua commercia tum imperaret necessitas, tum suaderet utilitas, prævia sane numorum commutatio commodissima erat ratio tollendi difficultates, quibus rerum permutationes premebantur. Taceo, eos, qui majores possidebant numos, sæpenumero indiguisse minori pro minoris pretii rebus comparandis. Unde jam antiquissimis temporibus & apud ipsos Græcos numorum commutationem obtinuisse, indicio est vel sola Græcæ vox κόλλιβος, a qua ipse hic contractus collybisticus dicitur. Denotabat collybus tesseram, quam is, qui sibi pecuniam apud argentarium depositam solvi cupiebat, ad fraudes præcavendas exhibere debebat. Postea hæc vox ad literas cambiales est translata. Aliquando etiam denotat commutationis mercedem, vulgo Lagio. Quæ ipsa vox Lagio licet ab Italis ad nos translata, sua tamen origine Græca videtur ab ἀλλαγῇ quæ Platoni, Aristotili aliisque pro permutatione usurpatur. Sunt qui ex Aristotele probare conantur, jam Alexandri M. temporibus cambia innotuisse.

§. DCLXIX.

§. DCLXIX.

Localia autem cambia ſerius procul dubio adinventa. Nonnulli Romanis nomen quidem ignoratum, rem ipſam cognitam ſatis exiſtimant. Vid. *Auguſt. Bened. Carpzov.* de Cambiis §. 22. Plerique tamen ignoratum penitus hoc negotium Romanis perhibent. Sola mentio argentariorum, trapezitarum, menſariorum & numulariorum e. c. in L. 52. §. 5. pro ſocio L. 40. de ſtatu liberis L. 24. §. 2. de reb. aut. jud. poſſid. L. 18. de heredit. petit. L. 88. de ſolution. item apud *Ciceronem* pro Flacco c. 19. &c. cambium nondum evincuut. Propius ad illud accedit pecuniæ permutatio, quam pater Romæ ſolverat, ut per alium Athenis filio redderetur apud Cicer. in Epiſt. ad Attic. L. 12. ep. 24. L. 15. ep. 15. *Romana*

§. DCLXX.

Quatenus autem contractus cambialis peculiari nomine eſt inſignitus & effectu arreſti perſonalis gaudet, eatenus recentioribus Italis ac Longobardis ejus inventio merito tribuitur, quod & indicant quodammodo vocabula Italica huic negotio applicari ſolita, *tratta*, *valuta*, *indoſſamentum*, *giro*, *aviſo*, *banco*, *ſcontro &c.* Fama eſt, cum Seculo XII. Gallia pellerentur Judæi a Ludovico Sancto, qui partim Germaniam, partim Longobardiam petebant, ab his, qui Italiam petierunt, cambia eſſe inventa. Vid. *Gothofr.* Maſcov. de *Cenſu* Judaico §. XI. Seculo XIV. jam dum Senatus conſultum Venetum de cambiis confectum, quod exhibet *Nicolaus de Paſſeribus* de ſcriptura privat. L. 3. rubr. de liter. cambial. §. 16. Ab Italis hic contractus ad Gallos, Hiſpanos, Germanos omnesque novi pariter ac antiqui Orbis populos derivatus videtur inſigni ſane commerciorum commodo, cum hac ratione multa ab hoſtibus, latronibus, & tempeſtate imminentia pericula pariter, ac transvehendorum ſumtus evitentur. *Longobardica*

§. DCLXXI.

Quæ cambiis introducendis anſam præbuere rationes cum pariter ad ſummos Principes quadrent, dubitandum non eſt, quin inter ipſos quoque *inter Principes uſus.*

que eorum ſe exerat utilitas. Et licet arreſtum perſonale quoad cambia ab aliis debitis gaurentigiatis diſtinguit, quoad ipſos executioni mandari nequeat: nihiloſecius experientia docet, eos ſe ſub cambii quoque formula paſſim obligare, hoc quidem effectu, ut cum alias civilibus inſtitutis haud teneantur, tacite tunc iisdem quoad tale negotium ſe adſtringant. Pertinet huc formula ſe obligandi in Saxonia inferiori etiam inter illuſtres ſolennis: bey Umſchlags-Gerechtigkeit.

§. DCLXXII.

in ditionib. Brandeb. Ordinatio Cambialis Brandeburgica art. 4. diſerte diſponit: Alle diejenige, ſo ſich unternehmen, einen Wechſelbrieff auszuſtellen, ſie ſeyen männlich oder weiblichen Geſchlechts, Fürſten, Grafen, Freyherrn. Hofbediente, Adeliche, Militair oder gelehrte Perſonen, auch Profeſſores und andre Verwante unſerer Univerſitæten, was Condition, Standes, Würden, und von was Bedienung ſie immer ſeyen, ſollen eben ſowohl als die Handelsleute an dieſe Wechſel-Ordnung ohne Unterſcheid und Exception verbunden ſeyn, alſo daß in Entſtehung richtiger Bezahlung vermöge unſerer deshalb ausgelaſſener Edicte nach Strenge des Wechſel-Rechts wieder einen ſowohl als den andern ohne allen Reſpect und Nachſehen verfahren werde. Equidem in Notis ad *Heinneccii* Elementa juris cambialis c. 5. §. 2. hic ſolos Principes & Comites Provinciales & mediatos intelligi docetur. Sed vereor, ut tuto ſatis immediati huic reſtrictioni confidant, cum ad contractus forum ſua ſe conventione obligaverint. Quoad ſubditos illuſtres ipſe etiam rigor cambialis ſine dubio obtinet. Quare haud abs re erit, cambiorum jura breviter ſtrictimque perſequi.

§. DCLXXIII.

Perſonæ: Contrahunt cambium, qui alias valide paciſcuntur, niſi lege ſpeciali prohibeantur, prout nonnullis in locis ab iis arcentur filiifamilias, ne parentibus inde damnum obveniat. Item fœminæ, tum quod faciles nimis ad ſe obligandum eſſe ſoleant, tum ut ipſarum conſulatur verecundiæ, quæ offendi per arreſtum perſonale facile poſſet. Item Clerici, ne dum arreſto perſonali detinentur, in officio peragendo impediantur.

Cap.

Cap. 15. 16. X. de vit. & honest. Clericor. In Gallia aliisque in locis, ubi proxenetæ (derer Sensalen oder Courtier) subscriptio cambio tacitam hypothecam conciliat, dicti proxenetæ cambio se obligare prohibentur.

§. DCLXXIV.

Personæ, quæ in cambio contrahendo interveniunt ad minimum duæ esse debent, creditor & debitor, nonnunquam tres, plerumque quatuor deprehenduntur. Cambium enim locale aliud est proprium *, quod debitor in suam personam concipit, ein eigner auf sich selbst gestellter Wechsel, aliud alienum, seu trassatum, quod tertius quidam solvere jubetur. In cambio, quod in propriam personam concipitur, duo negotium conficere valent, si nimirum ambo in loco solutionis sunt præsentes, a quo si abest creditor, partes suas alii mandare debet, quo casu cambii negotium inter tres conficitur. At in cambio trassato quatuor regulariter personæ occurrunt, duæ in loco, ubi trassatur, scilicet remittens, der Geld auf Wechsel giebt, oder der den Wechsel übermachen läßt, & trassans, der Wechselgeber, duæ autem in loco solutionis præsentans, der Wechsel-Innhaber oder Uberbringer, & acceptans der die Zahlung verfügt. Aliquando accedere quintum seu indossatarium, cui cambium a præsentante ceditur, mox audiemus. Nonnunquam, quod in peregrinantibus inprimis frequenter contingit, remittens & præsentans idem esse cernitur. *in cambio necessariæ*

* Proprium dicitur in respectu ad alienum, habito enim respectu ad improprium, proprium cambium vocatur trassatum, improprium autem, quod quis in suam personam concipit. Cambia in propriam personam concepta, si in eodem loco sunt solvenda, vocantur Depos-Gelder. Mallent nonnulli eadem e cambiorum numero eliminare, mutuoque potius accensere, quia in iis quis accipit ab altero pecuniam in usum suum convertendam, ita ut post tempus eam restituat, datis probationis gratia litteris cambialibus. Quicquid de nomine sentias, sufficit has litras eundem plane effectum producere, quem Cambia trassata. Hujus generis negotium celebratur quoties bancis publicis pecunia creditur, wenn man Geld in Banco thut, quod tamen aliquot abhinc annis inter acquirendi mo-

dos in Gallia est reputatum, ita ut pecunia in toto regno reperiunda sub pœna amissionis Banco Regio inferri juberetur, extranea lucris vanis propositis alliceretur, pro eaque creditoribus schedulæ 10. 50. 100. 1000. & 10000. librarum sequentis tenoris traderentur, quibus postmodum annullatis, aliquot mille homines ad incitas redacti.

No. 188931. Mille Livres Tournois

La Banque promet payer au porteur a vûe mille livres Tournois en especes d'argent, valeur reçue. a Paris le premier Janvier mil sept cens ving.

Vû pr. le Sr. Fenellon (L. S.) Signé
Benezet. pr. le Sr. Bourgeois
Villecour
Controllé pr. le Sr. Durevest.

§. DCLXXV.

Remittens pecuniam solvit.

Remittenti ante omnia incumbit solvere trassanti pecuniam, de qua transmittenda agitur, una cum collybo vulgo Lagio, qui tum commutationis mercedem, tum pretium detrimenti, quod ex monetæ commutatione sentitur, continet. * Ipsa pecunia transmittenda remittentis nec non præsentantis intuitu vocatur *remissa*, intuitu trassantis *valuta*, intuitu acceptantis *tratta*. Caute qui incedere cupiunt, ne pecuniam amittant, si forte trassans bonis labatur, antequam cambii solutio peragitur, pecuniam remittendam non statim solvunt, sed fidem de ea faciunt, datis interim literis cambialibus sie stellen einen Interims-Wechsel aus, aut si hoc displicet trassanti, pecuniam obsignatam apud trassantem deponunt hunc in finem, ut, oborto forte super bonis trassantis creditorum concursu, pecuniam hanc depositam vindicare valeant. Plerumque tamen hæc negliguntur quia inter cambia contrahentes fides sola spectatur, nec trassans eam, per ejusmodi cautelas labefactari facile patitur. Nulla si a remittente pecunia solvitur, vel promittitur, sed saltem simulationis ergo e. c. ad palliandam usurariam pravitatem, aut exigendam pecuniam indebitam e. c. ludo illicito perditam, cambium conficitur, *siccum* illud vocatur **, & si in continenti probari potest simulatio admissa, cambium pronuntiatur invalidum, sin graves saltem

ſaltem ejus ſuppetunt ſuſpiciones, deponi in judicio jubetur pecunia, donec ſimulationis exceptio ad liquidum perducta. * * * Si denique ſufficientia fraudis admiſſæ indicia demonſtrari nequeunt, rigore cambiali quidem contra debitorem proceditur, ſalva tamen eidem indebiti condictione, ordinario proceſſu inſtituenda.

* Hæc merces ad naturalia contractus cambialis pertinet, & proinde ex contrahentium placito abeſſe, & remitti poteſt, regulariter autem cambium non gratis, ſed pro mercede conſueta, nach dem Wechſel-Cours, contractum præſumitur.

** Inter Pontificios ſicco cambio annumeratur negotium, quo in fraudem Canonum, fœnus & uſuras prohibentium, pecunia credita cum fœnore reddi ſub obligatione cambiali promittitur. Quod negotium olim illicitum. Hodie autem ex quo jure Receſſuum Imperii uſuræ ſunt licitæ, inter ipſos etiam Pontificios toleratur.

*** Quo caſu ſimulatus creditor cambialis in Saxonia debitori ad dupli pœnam cambiali rigore exigendam, judici autem ad arbitrariam tenetur per Ord. Proc. Rec. Append. §. 15.

§. DCLXXVI.

Ex quo traſſanti pecunia eſt ſoluta, aut fides de eadem facta, hic literas cambiales, quæ & Symbola collybiſtica, teſſeræ collybiſticæ vocantur, ſcribit, ac remittenti tradit. Concipi illæ breviſſime ſequentem in modum ſolent. *Traſſans literas dat.*

1000. Thlr. Hamburg, den 20. April. 1733.

Nächſtkommende Leipziger Michaelis-Meſſe beliebe dem Herrn dieſen meinen Sola Wechſel-Brieff von 1000. Thlr. ſage Ein tauſend Thaler Current an Hrn. N. N. oder deſſen Ordre zu bezahlen. Den Werth bin baar vergnügt, thut gute Zahlung laut adviſo

Sola N. N.

Herrn N. N.
in
Leipzig.

vel Gallice

a Lion ce 20. Avril. 1733.

Seule 1000. Livres.

A vûe il Vous plaira payer pour cette ſeule de Change a l'Ordre de Mr. N. N. la Somme de mille Livres Tournois argent courant, valeur reçue { qui paſſera ſans autre avis ſur Compte de / & les noteres comptes ſuivant l'advis de }

A Monſieur N. N. N. N.

a

Paris.

§. DCLXXVII.

Scriptura an in cambio neceſſaria?

Accedere ſcripturam cambio, tanquam eſſentiale ejus requiſitum volunt ii, qui cambium ad contractum chirographarium referunt, in quibus eſt *Gryphiander* Oecon. legal. P. 1. c. 26. n. 69. Alii ut *Barthius* in Hodeg. for. c. 4. §. 2. p. 669. ſcripturam accidens inſeparabile cambii malunt. Re tamen penitius penſitata apparebit, ſolius probationis gratia ſcripturam accedere, quippe quæ promtiſſimæ probationi, ad cambii executionem perquam neceſſariæ, optime inſervit. Quodſi autem de negotii celebrati veritate aliunde liquide ſatis conſtat e. c. per confeſſionem adverſarii, aut inſtrumentum a Notario coram teſtibus deſuper confectum, tunc citra debitoris ſcripturam, imo etiam contra debitorem qui literarum prorſus eſt expers, cambialiter agi poterit, quorſum ſpectat §. 33. der Leipziger Wechſel-Ordnung. Quod vero nonnulli in iisque *Carpzov.* de Cambiis §. 45. argumento Nov. 18. c. 7. & c. 6. X. de fide inſtrum. requirunt, ut literæ cambiales ab uno eodemque ſint ſcriptæ & ſubſcriptæ, quotidianæ refragatur experientiæ, quæ cambia tolerat, etiamſi a debitore aut tertio quodam ſint ſcripta, dummodo a debitore ſint ſubſcripta.

§. DCLXXIIX.

an mentio vocis Wechſel

Mentio vocis Wechſel num præciſe fieri expreſſe in literis cambialibus debeat, ex particularibus cujusvis regionis moribus ac legibus addiſcendum. Plurima enim quoad formam & requiſita ſua conſuetudini debet cambialis con-

contractus. Sic in Germania necessaria omnino in literis cambialibus videtur vox Wechsel, quoniam alias executive saltem, tanquam ex instrumento guarentigionato, non autem cambialiter ad arrestum ex talibus literis agi potest. Ita enim ferunt mores Germanorum, quos in plerisque Ordinationibus Cambialibus hoc in passu confirmatos videas. Conf. Leipz. Wechsel-Ordnung §. 3. & Ord. Proc. Sax. Recogn. App. §. 17. Econtra apud Belgas animadvertere licet, sæpe sine cambii mentione cambia sequentem in modum simpliciter contrahi

Myn Heer Amsterd. d. 20. Apr. 1733.

Gelieft te betaalen op ses dagen sigt aan Mynheer N. N. of syn ordere de somme van duysent Gulden, de Waarde ontfangt

UDinaar

Aan Mynheer N. N. N. N.

tot

N. N.

§. DCLXXIX.

Vocum *Ordre* seu *Commiss* mentio expressa in cambiis ne in Germania quidem est necessaria, adeo ut earum omissio indossationes ne quaquam impediat, quia debitoris nil refert, cui solvatur, ac proinde in creditoris arbitrio est positum, cui illam committere vel assignare velit. Interim ex superabundante plerumque adjicitur, & prudenter quidem, cum nonnulli in quibus est *Bodinus* de literar. Oblig. p. 19. existiment, omissa voce ordre jus cambii, cessione facta, perire, & talem cessionem pro simplici tunc esse reputandam, ubi exceptio cedenti obstans cessionario quoque obstat. In Recambio mentio vocis ordre plane est necessaria per dicenda §. 690. *Valutæ* mentio ex solo superabundanti adjicitur. *Vocis Ordre.*

§. DCXXC.

Ne creditor, literis cambialibus forte perditis, probatione contractus celebrati destituatur, moribus invaluit, ut super uno eodemque debito, duæ imo, tres literæ cambiales a trassante dentur, quod per voces *Sola, prima, super secunda, tertia,* indicatur. Secunda & ulteriores sub conditione concipiuntur, *eodem* *Plures literæ*

si

ſi prima nondum fuerit ſoluta e. c. dieſen meinen Secunda Wechſel⸗Brieff, prima unbezahlt, zahle der Herr ꝛc. a remittente etiam inſcribi ſolet ulterioribus, ubi priores deprehendantur e. c. prima liegt acceptret bey N. N. in Leipzig.

§. DCXXCI.

An locorum diſtantia neceſſaria. Sed num præciſe requiritur, ut literæ cambiales de loco in *alium* locum dirigantur? Affirmativam tuentur *Carpzov.* de Cambiis §. 15. & plures alii ab eo citati, qui localem diſtantiam de eſſentia cambii eſſe contendunt. At quamvis non negem, commercia ad exteros cambiorum inventioni originem dediſſe, & hodienum pleraque cambia in alia loca transmitti, idoneam tamen rationem video nullam, quare cambiorum uſus in eodem loco ſe exerere nequeat. Quotidie ſane videmus, cambialiter procedi contra debitores, qui ſe ex mutuo obligarunt, ſub cambii formula, in eodem loco reddendo. Effectum igitur cambialem cum videamus, cur quæſo nomen denegabimus negotio, cui illud communi loquendi uſu dudum eſt tributum.

§. DCXXCII.

Traſſatas literas remittens mittens præſentanti mittit. Acceptas a traſſante literas cambiales remittens ſtatim recta via transmittit mandatario ſuo, ſeu præſentanti, traſſans autem particularibus intimationis ſeu *aviſii* literis traſſatum de negotio celebrato certiorem reddit, quas aviſii literas Itali *Spaccio* ſeu *diſpaccio*, quaſi depeches appellant. Ubi tarde nimis aut per anfractus literas cambiales transmittendo moras committit remittens, ſuum facit periculum, quod alias fuiſſet traſſantis, ſi interea bonis labitur traſſatus.

§. DCXXCIII.

Qui vel ipſe debitum exigit Transmiſſas a remittente ad ſolutionis locum literas cambiales ubi accepit is, cui ſolutio facienda, penes eum ſtat, num ipſe eam exigere, an alii jus ſuum cedere velit, unde diſtinctio cambiorum in *ſimplicia* die noch in der erſten Hand, & transportata ſeu *indoſſata*, quæ alii ſunt ceſſa & ita vocantur, quia in dorſo literarum cambialium hæc ceſſio annotari ſolet, utut ab inducendo vocem indoſſare deducere alii malint, quia alius inducitur creditor. Quamvis autem non in dorſo præciſe, ſed & inferiori literarum cam-

cambialium parti inscribi possit indossatio, fieri tamen præcise debet, ipsis literis cambialibus cessionem inscribendo. Nam si tradantur saltem literæ cambiales, is qui eas producit, der Vorzeiger oder Innhaber des Wechsels, pecuniam certe non accipiet, sed ad summum saltem ad eam deponendam agere potest. Si autem extra cambium instrumento peculiari cessio est facta, tunc cessionis simplicis, non autem indossamenti jure gaudebit. Quæ in effectu omnino differunt. Nam in cessione simplici cedens ad veritatem nominis cessi, non autem ad bonitatem ejus præstandam tenetur L. 4. Dig. de hered. vel act. vend. indossans autem ad utramque. Cessio simpliciter, & extra cambium facta, non impedit, quo minus cedenti solutio fieri possit, antequam res debitori denuntiata L. 3. C. de Novationib. at literæ indossatæ indossanti amplius solvi nequeunt, quia debitori per ipsam indossationem literis cambialibus inscriptam de nomine cesso satis constare potest. Ex cessione simplici executive saltem agitur, ex indossamento cambialiter. Cessionario opponi potest exceptio solutionis & compensationis ex persona cedentis, at indossatario solutionis & compensationis exceptio, quæ cedenti valide opponeretur, non æque obstat. Pinguiora igitur sunt indossationis, quam simplicis cessionis jura. Unde & in concursu indossamenti cambialis, cum simplici, (extra cambium in peculiari instrumento facta) cambii cessione antiquiori, possessor cambii seu indossatarius præfertur cessionario, utut antiquiori. Alias enim per fraudulentam, & in prius tempus conceptam cessionem indossamenta facile possent eludi. Vid. *Jo. Frid. Hæckner.* de literarum cambialium indossamento c. 2. §. 1. 2.

§. DCXXCIV.

Perficitur indossamentum vel plene, quod *extensum* vocatur, quando indossans, antequam nomen suum subscribit, vel ipse, vel per alium, cui solutio facienda sit, literis inscribi curat e. c. Innhalt dieses zahle der Herr an N. N. Leipz. 20. May 1733. vel pure quod *in bianco* vocatur, quando indossans solum nomen suum subscribit, relicto spatio mandatum extendendi ergo, quod cum falsariis, qui his literis forte potiuntur, facile ansam nomen suum inscribendi præbere queat, plerisque in locis prohibitum. Certe qui literas ita in bianco indossatas sine addita extensione producit, ad *vel cambium indossat.*

ſolutionem agere nequit, ſed depoſitio ſaltem pecuniæ usque ad ſecutam legitimationem injungitur.

§. DCXXCV.

Imo ulteriora indoſſamenta

Ulterius etiam indoſſatarius literas indoſſare ſinitur, unde indoſſamentum diſtinguitur in primum & ulterius. Multiplicata ejusmodi indoſſamenta *giro* vocantur, utut alii etiam cambia, unica ſaltem vice indoſſata, girata vocent, quia ibi quoque circulus quidam, utut minor deprehenditur. Uſu paſſim invaluit, ut tum demum indoſſatarius ulterius indoſſare valeat, ſi indoſſatio ipſi non per modum mandati, ſed ceſſionis facta. Per modum mandati indoſſatio facta dicitur, ſi ita ponitur: Innhalt dieſes zahle der Herr an N. N. ſoll mir gute Zahlung ſeyn. Tunc enim reddi debet pecunia accepta indoſſanti. Per modum ceſſionis autem ſi ita: Innhalt dieſes zahle der Herr an N. N. *Valuta* von ihm empfangen. Tunc enim indoſſatarius pecuniam ſuam facit, eamque cedere poteſt. Solo tamen uſu hæc diſtinctio nititur. Alias enim & in puncto juris, ideo quoniam valutæ mentio in cambiis non præciſe eſt neceſſaria, res eodem recidit. Certe etiamſi indoſſatio ſub clauſula acceptæ valutæ fuerit facta, ordinaria tamen actione condicere pecuniam acceptam indoſſans ab indoſſatario ſuo poterit, imo etiam ab ulteriori indoſſatario, ſi NB. doli fuerit particeps.

§. DCXXCVI.

& partialia licita.

Contingit quandoque, ut ipſi traſſanti cambia iterum indoſſentur, quo caſu crediti & debiti adeſt confuſio, & tale proinde cambium cenſetur extinctum, nec amplius indoſſari a traſſante poteſt, quod ſi de facto fiat, tale cambium pro novo potius reputatur, & ſi traſſans ſolvendo eſſe deſinit, nullus datur regreſſus contra priores indoſſantes, quippe qui per extinctum ſemel cambium ab omni nexu liberati cenſentur. Denique indoſſamentum fieri poteſt vel in totum, vel pro parte, unde aliud totale aliud partiale audit. Sic cambium 1000. thlr. ita poteſt indoſſari

Der Herr zahle 600. Thlr. an A.

400. Thlr. an B.

N. N.

quo

quo casu illi, qui majorem crediti partem accipit, prima, alteri secunda cambii tradi, utraque vero indossari solet.

§. DCXXCVII.

Circa exactionem pecuniæ ex cambio debitæ observandum, quod literæ cambiales debito tempore præsentari trassato debeant, ejusque voluntas exquiri, num acceptare illas velit, hunc quidem in finem, ut negata acceptatione, rem protinus remittenti nuntiet, quæ ratio cum in cambiis *propriis, non indossatis* cesset, sequitur nec præsentationem in iis esse necessariam, nec quæ præsentationem sequitur, acceptationem aut protestationem. Tempus, intra quod præsentatio fieri debet, variat pro cambiorum varietate. Illa, quorum solutionis terminus a tempore acceptationis currit, qualia sunt illa *a vista & a uso*, præsentari debent statim ante cursoris publici abitum, noch vor Abgang der Post, quorum vero solutionis terminus *a dato* currit e. c. 4. 6. Wochen a dato zahle der Herr rc. ad minimum quatuordecim dies ante solutionem, quibus denique nundinæ solennes Lipsienses pro solutionis termino sunt assignatæ e. c. Instehende Oster-Messe, intra quinque primos nundinarum dies, quæ vero post elapsum acceptationis tempus adveniunt, statim simulac afferuntur, sunt præsentanda. Moram in præsentando qui committit, suo id facit periculo, eoque ipso ab eodem præstando suos auctores, a quibus literas accepit, liberat.

Quando cambium præsentandum?

§. DCXXCIIX.

Præsentatas sibi literas si acceptat trassatus, solam acceptati vocem cum acceptationis die & nomine suo subscribit, sin acceptare recusat, quid factu opus mox videbimus §. 692. Tempus, quo acceptatio fieri debet, intelligitur ex iis, quæ de præsentationis tempore modo diximus. Quodsi præsentatæ literæ cambiales mentionem literarum avisii, laut aviso, injiciant, neque dum illæ fuerint allatæ, cambium acceptare prius, quam hæ afferantur, haud tenetur trassatus, & si acceptat, suo id facit periculo, si forte in tempore cambium revocatur. Fieri debet acceptatio pure, citra additam conditionem, quæ si de facto adjicitur, pro non addita habetur. Si tamen trassato modus pecuniam solutam vel solvendam recipiendi, in literis avisoriis a trassante indicatus, haud arridet e. c. si forte alius delegatur

acceptandum

 debi-

debitor, poterit prævia interposita coram Notario protestatione, (qua se non juxta tenorem mandati, sed tanquam negotiorum gestorem cambium acceptare declarat, quamque in termino solutionis repetere debet, ne simpliciter solvendo, a priori protestatione recessisse videatur) cambium acceptare *per honor di lettera & supra protesto*, & si literæ sunt indossatæ, inscribi iis præcise debet, in cujus honorem acceptentur. Quæ acceptatio pro honore etiam cuivis tertio est licita, quoties ipse trassatus acceptationem vel solutionem recusat, quo casu, ad conservandum honorantis adversus honoratum regressum, & meliorem probationem, præcedere debet protestatio tam a præsentante, quam honorante coram Notario contra trassatum facienda. Solent hunc in finem ipsi trassantes, de literarum honore solliciti, ut earum acceptatio promoveatur, literis cambialibus quandoque schedulam commendatitiam, eine Addresse, cera affigere, hujus tenoris: In Mangel Richtigkeit ist sich bey Herrn N. N. zu melden, qui si pariter acceptare recusat, itidem contra eum est protestandum.

§. DCXXCIX.

& solvendum

Facta acceptatione acceptans ex constituto tenetur, & præsentantis fit debitor, adeoque de solutione nunc debet esse solicitus, quæ tempore in cambio determinato est peragenda. Sæpissime nundinæ solennes pro solutionis termino assignantur, unde distinctio oritur cambiorum in regularia, seu feriarum, it. nundinalia Meß-Wechsel ubi tota septimana solutionis die Zahl-Woche commodo solventis cedit, & irregularia, seu platearum, quæ alio tempore sunt solvenda vel *a dato* i. e. a tempore scriptarum literarum, vel *a vista* i. e. a tempore præsentationis, vel *a uso* i. e. juxta consuetudinem, quæ 14. dies plerumque solutioni indulget. Sic cambia dantur 3. 4. Wochen a dato, 6. Tage Nachsicht, a halb uso, it. a *uso doppio* i. e. dimidium vel duplicatum temporis consueti spatium debitori concedendum. Fit autem computatio demum a die signationem, præsentationem, aut acceptationem sequenti. Quæ simpliciter a vista sonant, Nachsicht, ad minimum intra 24. horas solvenda. Anticipari solutio in cambiis propriis citra periculum potest, in trassatis non item. Si enim is, cui ante diem facta est solutio, interea bonis labitur, damnum erit solventis, qui proinde mandati fines exacte observet.

§. DCXC.

§. DCXC.

Fit solutio vel in pecunia numerata, *per cassa*, seu *in contanti*, vel per compensationem, seu *Scontro*, it. *Saldo* vel per delegationem (quam tamen invitus creditor accipere non tenetur) dando cambia ad alium directa, quæ *a retour* vocantur, vel per novationem (quæ itidem invito obtrudi nequit) quorsum spectant Recambia, Rück- oder Gegen-Wechsel, quando eo in loco ubi solutio secundum trattam primi debitoris fieri debuit, sed non facta, a creditore seu præsentante imputato interesse & expensis adversus trassantem seu primum debitorem trahitur. Indossari tale Recambium nequit, nisi habeat expressam clausulam Ordre seu Commiss, quam in aliis cambiis exprimere, necessarium non est, vid. §. 679. 686. *it. quo-modo?*

§. DCXCI.

Si trassatus cambium acceptare recusat, præsentans citra moram statim contra trassatum de ipsa summa, damno, & expensis coram Notario & testibus protestetur, & confectum desuper instrumentum trassanti seu indossanti mittat, ipsas autem literas cambiales retineat, quia etiam post protestum acceptatio pariter ac solutio fieri potest. In solutionis termino, eâdem non secuta, nova protestatio interponenda, ejusque instrumentum una cum literis cambialibus trassanti remittenda, quod elevare protestum, den Wechsel-Brieff mit protest zurück schicken vocatur. Idemque observandum, si trassatus cambium quidem acceptat, sed non solvit. Moram in interponenda seu transmittenda protestatione si præsentans committit, amittit regressum contra trassantem, & solum trassatum potest convenire. Sicut & si præsentantis culpa & indulgentia cambium prolongatur, protestatio desuper interponi amplius nequit. In Cambiis propriis protestatio cessat. In trassatis autem, quorum terminus solutionis ab acceptatione currit, sola protestatio ob non factam acceptationem necessaria, non autem iterata ob non præstitam solutionem. *Acceptatio si recusatur præsentans protestum elevat.*

§. DCXCII.

Contra eum, qui cambiali jure semel se obligavit, nec debito tempore solutionem præstat, jure cambiali proceditur. Disquirunt Doctores, *De qualitate*

 qualis

qualis sit obligatio, qua debitor cambialis tenetur, quæque contra eum competat actio. Sunt qui cambiale negotium ad emtionem referunt, alii ad locationem, alii ad mutuum, alii adhuc ad depositum, alii ad mandatum, alii adhuc ad contractum chirographarium, alii peculiare prorsus illud negotium esse contendunt, quod cum Romanis fuerit incognitum, ad normam contractuum jure Romano memoratorum exigi plane non debeat, & sufficere, dari actionem ex cambio. Penitius si rem inspicias, animadvertere licebit, cambiale negotium mixtum esse ex pluribus aliis, quæ mixtura utut Romanis forte fuit incognita, nil tamen obstat, quo minus eandem resolvamus in negotia simplicia, jure Romano memorata, quippe quæ illi juri non sunt peculiaria, sed plerisque fere gentibus communia. Hic trassans & remittens sibi ex mandato obligantur, ille ad transportandam pecuniam, hic ad reddendam, unde actio mandati directa & contraria datur. Aut si negotium a datione cepit initium, adest obligatio ex contractu innominato do ut des, unde datur actio præscriptis verbis. Inter remittentem & præsentantem itidem mandatum intercedit ad literas præsentandas & solutionem accipiendam, aut hac non secuta ad protestandum, Inter præsentantem & acceptantem obligatio constituti subest, unde oritur actio de pecunia constituta. Inter præsentantem & trassantem, si cum protesto redierint literæ, adest obligatio ad reddendam pecuniam cum expensis, unde condictio causa data causa non secuta. Inter acceptantem & trassantem iterum intervenit mandatum, ex quo trassans ad pecuniam solutam reddendam tenetur, aut si acceptatio citra mandatum pro honore fuerit facta, negotiorum gestorum actione experiri licebit. Inter indossantes & indossatarios itidem mandati negotium celebratur, cum in effectu indossans trassantis, indossatarius præsentantis vices subeat. Contra heredes denique ex cambio defuncti non cambialiter ad arrestum personale, sed executive agitur, quia obligatio ad arrestum, tanquam personalissima, personam non egreditur.

§. DCXCIII.

Processus cambialis Modus procedendi in processu cambiali est celerrimus. Nam ad delatam judici creditoris petitionem, ut debitor literas cambiales recognoscat, & secuta recognitione tam diu arresto personali detineatur, donec solverit debitum, cum usuris & expensis, citra ullam citationem * personæ judiciales

les ad debitorem deputantur, ipsique statim post factam recognitionem custodes, quos secum adducere solent dictæ personæ judiciales, apponuntur, a quibus, nisi exceptiones idoneas in continenti deducat, prius, quam solutio fuerit peracta, non liberatur, etiamsi appellationem desuper interponat, quippe cujus alius haud cernitur effectus, quam ut causa cum Actis ad judicem superiorem deferatur. Vid. Rec. Imp. 1654. §. 107.

* Si nimirum reus de fuga est suspectus. Alias reus per apparitorem sub brevi termino in judicium citatur. Si emanet prævia contumaciæ accusatione denuo citatur bey Vermeydung anderer Anordnung. Si in contumacia perseverat, decernitur personale arrestum & cambium habetur pro recognito. Sin comparet & cambium jurato diffitetur vel exceptiones in continenti liquidas adducit, absolvitur: sin altioris indaginis exceptiones opponit, condemnatur. Si jurata diffessione cambium infirmatur, expensæ compensantur.

§. DCXCIV.

Exceptiones in processu cambiali admittuntur *dilatoriæ* quidem, si substantialia processus concernant, ad evitandam processus nullitatem e. c. exceptio illegitimationis, fori incompetentis, feriarum, nundinarum solennium, nisi renuntiatum fuerit der Marck-Freyheit. Ex *peremtoriis* exceptionibus solæ admittuntur solutionis, compensationis, non numeratæ pecuniæ, seu Valutæ non præstitæ (quorsum & spectat exceptio simulationis de qua §. 675.) ac præscriptionis & quidem tum demum, si NB. in continenti sint liquidæ e.c. per creditoris autographum probari queant. Illiquidæ rigorem cambialem ne quidem impediunt, etiamsi per modum actionis aut provocationis ex L. Si contendat in judicium deducantur. *Exceptiones*

§. DCXCV.

Sed nec solutionis, compensationis, aut non numeratæ pecuniæ exceptiones ex persona indossantis contra indossatarium fraudis expertem admittuntur, utut in continenti sint liquidæ e. c. per instrumentum cassatorium, Mortifications-Schein, quo indossans fatetur, literis cambialibus *Solutionis compensationis.*

jam

jam dum esse satisfactum, adeo ut ne quidem ordinario processu pecunia indossatario soluta ab eo tanquam indebita possit condici, quoniam alias per trassati cum indossante collusione circumveniri facillime indossatarius posset.

§. DCXCVI.

præscriptionis Circa exceptionem præscriptionis notetur, quod propria mercatorum cambia anno & die, aliorum 30. annis præscribantur, quod tamen in Saxonia per Ord. Proc. Rec. App. §. 16. ad quadriennium restringitur, quo elapso non cambialiter amplius, sed executive ex iis agitur, trassata mense præscribuntur. In Gallia quinquennio cambiis præscribitur. Tempus autem in cambiorum præscriptione computatur a die solutionis.

§. DCXCVII.

divisionis & excussionis Si plures cambio subscripserint, in Saxonia singuli tenentur in solidum nec divisionis exceptione gaudent. Extra Saxoniam secus se rem habere docet *Wernher*. Part. 6. Obs. 372. Excussionis beneficium iis, qui ut fidejussores Cambio subscripserunt, quod vocant avallum facere, in Saxonia itidem denegatur, nisi expresse illud sibi reservaverint. Ordinis beneficium in tantum obtinet, ut indossatarius solutionem ab ultimo indossante, hocque deficiente a penultimo exigere, nec ullum præterire debeat, nisi notorie non solvendo existat. Ord. Proc. Sax. Rec. App. §. 14. sqq.

§. DCXCVIII.

aliorum interventio Cum res in eo sunt, ut debitor cambialis arresto, quo detinetur per solutionem se liberet, interveniunt nonnunquam alii ipsius creditores, qui contra ejus dimissionem protestantur, imo & appellationem quandoque interponunt, qui tamen audiendi aliter non sunt, quam si producant literas cambiales in Originali, & expensas arresti pro mense integro prænumerent, sicut & is, qui ab initio debitorem ob cambium custodiæ mancipari petit, ad similem cautionem præstandam adigi solet.

§. DCXCIX.

§. DCXCIX.

Si ita ad incitas redactus eſt debitor cambialis, ut plane ſatisfacere nequeat, quæritur cujusnam ſit periculum? Caſus diverſi ſedulo hic ſunt diſtinguendi. *de periculo cambii* Si remittens bonis labitur, antequam ſolvat pecuniam traſſanti, hujus eſt periculum, ita ut traſſatus, ſi ſemel acceptavit, ſolvere teneatur, etiamſi remittentem inidoneum factum ante ſolutionem reſciverit. Si traſſans bonis labitur ante factam acceptationem, periculum eſt remittentis, poſt acceptationem traſſati ſeu acceptantis, qui excuſſionis exceptione ſe liberare amplius a ſolutione nequit. Si præſentans ſolvendo non exiſtit, periculum eſt remittentis, niſi acceptans ſolutionem forte anticipavit, tunc enim ſuum facit periculum vid. §. 689. Si denique acceptans poſt factam acceptationem ſolvendo eſſe deſinit, a traſſante remittenti ſatisfieri debet.

§. DCC.

Oborto ſuper bonis debitoris cambialis creditorum concurſu, quæritur quo loco creditor cambialis ſit collocandus? *& privilegio in creditorum concurſu.* Plerisque in locis ad chirographarios ablegatur. Alibi tamen e. c. Gedani, nec non in Marchia, & Pruſſia inter perſonaliter privilegiatos locum ſortitur: Mediolani inter hypothecas tacitas. In Svecia hypothecis generalibus præfertur. Quamvis igitur debita cambialia ob paratam, quam habent, executionem inſigni præ aliis prærogativa polleant, in creditorum tamen concurſu deterioris longe ſunt conditionis, quam alia debita multa. Quare de majori hoc in paſſu ſecuritate creditores paſſim ſunt ſolliciti. Sunt, qui ſibi ſimul in cambio hypothecam conſtitui poſtulant, quæ tamen conſenſu judicis aliisque ſuis requiſitis indiget. Alii fidejuſſores cambio accedere curant, qui dummodo cambio ſubſcripſerint, ſine dubio cambiali rigori ſubſunt, etiamſi nullam juris cambialis in ſubſcriptione mentionem injecerint vid. §. 697.

§. DCCI.

In ſummis Principibus rigorem cambialem & perſonale arreſtum quidem ceſſare, jam dum monui §. 671. non quaſi ibi deſit obligatio, ſed quia media exequendi deficiunt, cui incommodo ut occuratur, ſolent haud *Cautela circa principum cambia.*

raro Principum cambia non in ipſorum, ſed miniſtrorum nomina concipi, qui in caſu non ſecutæ ſolutionis tam diu detineri poſſunt, donec a principalibus per debiti ſolutionem liberentur. Num vero ſuo an officii nomine quis contraxerit, ex tenore dijudicandum e. c. ſi additur: Der Valuta halber iſt die Königl. Kriegs und domainen Cammer wohl vergnüget, item Auf dieſen meinen Sola Wechſelbrief zahle aus der hieſigen Königlichen Accis-Caſſa &c. item ſi ſubſcriptioni qualitas officii additur: N. N. als Königl. Steuer-Director &c. Et quo difficilior contra debitores Principes eſt executio, eo circumſpectiores circa eorum cambia ſe gerere ſolent trapezitæ, quemadmodum haud ita pridem literæ publicæ nuntiarunt, cambia aulæ H. Amſtelodami ſolvenda, hinc cum proteſto fuisſe remiſſa. In Summis Germaniæ tribunalibus non deſunt exempla proceſſuum contra Imperii Principes in cauſis Cambialibus decretorum e. c. d. 7. Dec. 1712. per Reſcriptum cambii Solutio Duci Meinungenſi impoſita rejecta Auſtregarum exceptione. Item d. 26. Jul. 1727. contra Darmſtad decretum Mandatum S. C. de Solv. lit. Camb. ſub pœna 10. Marc. auri.

TITU-

TITULUS XV.

DE

Contractu usurario seu fœneratitio.

* * *

Usuræ ex conventione debitæ, utut multis invisæ, in se tamen spectatæ vitio carent. Ne tamen ad abusus trahantur, prudenter lege civili modus ipsis ponitur, quem ipsi Germaniæ Principes servare tenentur quoad pecunias privatæ utilitatis ergo fœnori sumtas.

§. DCCII.

Contractus fœneratitius

Hunc contractum dum refero inter negotia, quæ rerum pretia supponunt, ad id respicio, quod plerumque fieri solet. Plerumque enim hic contractus in pecunia credita occurrit, utut & aliis quibusvis rebus fungibilibus alii creditis accedere queat, & tunc quidem jam dum latet sub contractu innominato do ut des, quatenus autem circa pecuniam exercetur, ob suam frequentiam peculiare contractus genus constituit. Est igitur contractus fœneratitius conventio de usu pecuniæ pro certa mercede, quæ usurarum vel fœnoris nomine venit, concedendo. Ejus a mutuo differentiam vide Tit. 7. §. 512. In genere de usuris egimus L. 1. T. 12. §. 361. ac vidimus, easdem vel ex mora, vel ex conventione deberi, quæ posteriores hujus potissimum sunt loci.

§. DCCIII.

multis invisus

Multis illæ admodum sunt invisæ. Germanis fœnus agitare, & in usuras extendere, ignotum fuisse, scribit *Tacitus* de Morib. Germ. De Indis idem testatur *Ælianus* Var. Hist. Lib. 4. Agis Atheniensium Dux adeo exosum habuit fœnus, ut omnes fœneratorum tabulas igne supposito rogo concremaret, quo igne nullum clarius lumen se vidisse Agesilaus dixit apud *Plutarch* in Lycurg. *Plato* & *Aristoteles* usuras damnant, quoniam per eas quæruntur fructus ex pecunia, re sua natura sterili. Patribus primitivæ Ecclesiæ Christianæ in charitatis leges impingere videntur. In usuras, ait *Lactantius*, pecuniam dare est de alienis malis lucra captare, & *Ambrosius* subvenire non habenti humanitatis est, duritia autem, plus extorquere quam dederis. Calculum addit Jus Canonicum cap. 4. & 10. X. de Usur. unde & in Decretalibus materia de usuris inter delicta tractatur. Pontificemque Romanum non modo Genuenses verum etiam Philippum Hispaniæ Regem sacris interdixisse, quod hic quidem acciperet, illi vero darent fœnori pecuniam, legere est apud *Bodinum* de Republ. L. 6. c. 2. p. 1044. In effectu tamen Jus Canonicum fucum facere, & licet usuras improbet, sub annuorum tamen redituum nomine simile lucrum sustinere, dudum alii observarunt. Conf. cap. 1. & 2. Extravag. Commun. de emt. vend. *Grotius* de J. B. & P. L. 2. c. 12. §. 20. sqq. tum demum usuras admittendas retur, si vere stant intra compensationem ejus, quod abest, aut abesse potest, quæ vero leges majores permittunt, impunitatem præstare posse, jus præstare non posse.

§. DCCIV.

vindicatur

Atenim vero cum dare, imo gratis dare, donare liceat, quidni liceret dare sub conditione mutui dandi aliusve beneficii exhibendi. Sola spondentis voluntas & promissio ad inducendam obligationem sufficit. Unde & merces pro temporaria concessione rei, quæ nec usum ullum mercedem spondenti attulit, nec stipulanti, si penes eundem remansisset, præstitura fuisset, (quæ est indoles usurarum, quas vulgo vocant *mordentes*) ob promissionem tamen interpositam perfecte debetur. Quo ipso apparet, quam exigui momenti sit, quod de sterili pecuniæ natura objicitur, cui

præ-

præter modo dicta dudum alii reposuerunt, quod licet suapte natura sit sterilis, hominum tamen industria fieri possit fructuosa. Quod vero de prohibitis inter Israelitas usuris ex Deut. XXIII. Psalm XV. Ezech. XVIII. affertur, & a Grotio ad Christianos tanquam ad majora virtutum specimina vocatos applicatur add. Luc. VI. 35. id inquam partim ad legem Judæorum forensem dudum abrogatam, partim ad abusus usurarum pertinet, qui justum earum usum haud tollunt, quem ipse Christus commendat Matth. XXV. 27. Luc. XIX. 23. Denique hoc etiam in passu justitia externa ab interna probe discernenda. In foro interno conscientiæ mendicis atque egenis debetur eleemosyna, mediocriter indigentibus mutuum gratuitum, a divitibus autem fœnus quoque accipere licet, sed tale, quod lucro cessanti respondeat. Unde peccat qui usuras lucro cessanti vel ab altero ex re credita percepto majores accipit, in foro tamen externo jus habet perfectum easdem a quovis, dummodo fuerint promissæ * exigendi. Sibi enim imputet alter, quod easdem inconsiderate promiserit.

* Quæ promissio, quia est facti probanda. Præsumitur tamen ex indiciis e. c. diuturna usurarum solutione.

§. DCCV.

adhibetur a Principibus ob necessitatem.

Quæ cum ita sint, cumque usuræ & contractus fœneratitii in se spectati nil vitii alant, mirandum sane non est, si summi etiam Principes nunc a subditis, nunc ab exteris sub usurarum lege fœneratitiam pecuniam tum ad necessitatem sublevandam, tum utilitatem promovendam accipiunt vel eam aliis erogant * *Bodinus* quidem de Republ. L. 6. c. 2. p. 1041. - 1045. censet, nonnisi extremis periculis tanquam extremum remedium fœneratitiam pecuniam esse quærendam, exemplo Eumenis, qui a conjuratis & ab iis, quos a se defecturos intellexerat, pecunias sub gravissimis usuris accepit it. Agrippæ Judæorum Regis, qui Regnum, unde expulsus erat, recuperaturus haud fuisset, nisi creditores, quorum æs contraxerat, ut in regno restitueretur, omni studio & sollicitudine curassent, quod item Eduardo IV. Anglorum Regi de Regno dejecto accidit.

* Officiales publicam pecuniam fœnori erogare prohiberi dixi tit. 7. §. 515.

§. DCCVI.

& utilitatem

At ob solam utilitatem, qui sub usuris Reipublicæ nomine pecuniam accipiunt, ærarii aut civitatis eversionem moliri, nihilque ab iis excogitari perniciosius posse existimat Bodinus, quoniam alterutrum sit necesse, aut ærarium diruere ac publicas opes evertere, si usuræ dissolvantur, aut turpiter fidem fallere, ac privatorum bona diripere. Sed dari tertium putarem, acceptam nimirum pecuniam fœneratitiam ita collocare, ut ex ejus proventibus præter usuras lucrum haud spernendum supersit. Ipse Bodinus hanc in rem nobis suppeditat exemplum Genuensium, apud quos collegium Georgianum trientibus, (4. pro Cent.) aut ad summum semissibus (6. pro Cent.) usuris pecunias accipit, easdemque Principibus & mercatoribus gravissimis iterum usuris fœneratur. Malunt enim privati minoribus usuris sine sortis periculo Georgiano collegio credere, quam a privatis, qui sæpissime foro cedunt, vel fortunarum jacturam patiuntur, usuram accipere graviorem. Respublica autem tantam inde pecuniarum vim coëgit, ut Corsica insula & prædia publica sint redemta.

§. DCCVII.

Gallia quondam infelix.

Bodinum decepit Galliæ exemplum, cui æs alienum fœnori sumsisse infeliciter cessit. „ Primus opinor, (verba sunt Bodini) Cardinalis Turnonius Jtalorum ope consiliove Francisco I. Regi 1543. persuasit, ut „ pecunias moderato fœnore acciperet, ac Lugduni statis nundinarum „ temporibus usuras solveret, ita futurum, ut Jtalorum ac Germanorum „ opes brevi cogeret, hosti eriperet - - - - - Paucos post annos, quam „ mortuus est Franciscus, sors D. aureorum millia superabat, quæ ex „ ærario pecuniis refertissimo dissolvere potuisset, noluit tamen, etsi nec „ pecuniis Respublica egeret, & cum omnibus Principibus aut fœdus aut „ pacem inivisset. Secuta est calamitosissima dominatio Henrici filii, qui „ brevi exhausto patris ærario usuras centesimas (12. pro Cent.) post „ etiam 1554. sesquicentesimas (18. pro Cent.) tandem ducentesimas „ (24. pro Cent.) pactus est. Cum vero pecunia fœnori solvendo non sufficeret, usurarum usuras creditoribus promisit - - - - - - Mortuo „ Henrico Rege creditores querelis omnia compleverunt, ac plerique

non

„ non de usuris, sed de sorte recuperanda laborarunt, cum alius sortis „ semissem, alius trientem emtoribus suo periculo cedere cogeretur - - - - „ Nam Henricus moriens plura debebat (scil. 41185375. ₶. Turonens.) „ quam sui majores annis quadraginta a subditis exegerant, idque æs alie- „ num annis 12. quibus imperavit, fere totum usuris contractum est. Hactenus Bodinus. Sed nemo non videt, omnia hæc mala non tam ipsius contractus fœneratitii, quam hominum & ministrorum pravorum vitio contigisse, qui æs alienum vel intempestive, vel sub usuris nimiis contraxere, vel contractum non utiliter satis collocarunt. Abusum hæc indicant, qui legitimum contractus nostri usum haud evertit.

§. DCCVIII.

Usurariorum abusus tollendi

Quod Galliæ aliisque Principibus ex usuris nimiis obvenit malum, idem privatis sæpissime accidere videmus, dum in necessitate constituti majores, quam præstare valent, usuras spondent, eoque ipso ad incitas a creditoribus usurariis rediguntur. Prudentis igitur legislatoris est, cogitare de reprimenda insatiabili usurariorum avaritia. Sed quibus quæso hoc efficiet mediis? Usuras prorsus tollere, prohibere, & extirpare, quod Sanctorum primæ Ecclesiæ Patrum fuit consilium, hoc rerum statu, & charitate si non mortua, saltem languescente, violentum nimis, nec satis proficuum foret remedium. Jam satis est difficile egeno creditorem invenire, nullus erit, qui ei mutuo dabit, si gratis dare, qui velint, cogantur, quod probe agnovit Leo Imperator in Novella sua 83. qua refert patrem Basilium Macedonem usurarum solutionem sanctione prohibuisse, ejus tamen legis virtutem non modo non profuisse, sed & obfuisse, nec humanam naturam arte usuraria posse carere. Legem condere, ut usurarum nomine id duntaxat, quod nostra vere interest, petatur, æquissimum foret, sed ob probationis difficultatem itidem non expediret. Restat igitur, ut modus certus ac determinatus usuris lege præfiniatur. Determinari hic modus solet ac debet juxta abundantiam & raritatem pecuniæ, ita ut majores usuræ permittantur ubi rarior, minores ubi magis abundat pecunia.

§. DCCIX.

Romanis quæ hoc in passu placuerint, videri potest in L. 26. §. 1. C. *per desi-*

de *nitum*

de usur. it. Nov. 7. & 32. Nimirum illustres usurarum nomine stipulari sinebantur tertiam partem centesimæ i. e. 4. pro Cent. numularii bessem centesimæ i. e. 8. pro Cento. Ex re judicata it. in trajectitia pecunia (seu illa, quæ trans mare creditoris periculo vel in natura vel in mercibus vehitur,) permittebantur usuræ centesimæ i. e. 12. pro Cent. Ceteris hominibus omnibus it. fisco, civitatibus dimidia tantum usuræ centesimæ permittebatur i. e. 6. pro Cent. Ecclesiis & venerabilibus domibus quadrans centesimæ i. e. 3. pro Cent. Solebant enim Romani non in annos, sed menses fœnerari, ita ut usuræ centesimo mense sortem explerent, quod facit 12. pro Cent. In Gallia usuræ legitimæ sunt au denier dixhuit, quod circiter 5. & dimid. pro Cent. efficit. Determinant enim Galli usuras a tempore, intra quod usuræ sortem æquant, ita ut preter au denier cinq idem sit, quod 20. pro Cent, quia hac ratione intra 5. annos usurarum nomine tantundem solvitur, quantum ipsa sors efficit, au denier dix i. e. 10. pro Cent. au denier vingt. 5. pro Cent.

§. DCCX.

qui ap. Germ. est 5. pro Cent.

Apud nos in Germania per Recessum Imperii de 1654. §. 174. usuræ quincunces h. e. quinque pro centum quot annis permittuntur* Legibus provincialibus 6. pro Centum passim permittuntur. Excessus usurariam pravitatem parit, quæ nec in fraudem legis sub alio colore potest exerceri, e. c. si pecunia creditur in mediocres usuras & præterea sub prætextu ministerii præstiti magna annuatim accipiuntur stipendia, Rath und Dienstgeld, a quibus ante solutionem sortis non possunt liberari debitores, quales contractus improbantur Reform. Polit. Augustan. 1530. tit. von wucherlichen Contracten. §. 3. Quod vero ex nudo pacto, sine interposita solenni stipulatione, nonnisi civitatibus usuræ promissæ debeantur L. 3. C. de usur. L. 30. Dig. eod. peculiari antiqui juris Romani, nec apud nos unquam recepti, ratione nititur. Id tamen ex jure Romano hodienum apud nos observatur, quod nec usuras usurarum exigere, (Anatocismum vocant) liceat L. ult. C. de usur. nec usuræ ultra alterum tantum currant L. 27. §. 1. C. de usur. ** nisi particulariter solutæ L. 10. C. eod. (cui licet derogetur per Nov. 121. & 138. praxis tamen hanc negligit, ***) aut ex re judicata debeantur. Usuræ damnorum non currunt a tempore rei

rei judicatæ, per quam restitutio in genere injuncta, sed a tempore sententiæ, per quam moderatio summæ, loco damnorum prætensæ, facta, & quidem statim a tempore publicatæ hujus sententiæ moderatricis, si is qui usuras debet, remedio suspensivo utitur, a tempore rei judicatæ autem, si is, qui petit usuras, eodem utitur. Conf. Tit. Cod. de usuris rei judicatæ ibique Commentatores. Pœna, contractui qui usurariam pravitatem continet præstituta, est ejusdem annullatio, & amissio quartæ partis sortis Ord. Polit. 1577. tit. 17. Add. Ord. Pol. 1548. tit. von wucherlichen Contracten §. dieweil aber solche, ubi fiscalis Imperialis contra Magistratus, (Bürgerliche Obrigkeit sive Erbgerichte) qui in contractibus fœnoratitiis hanc quartam sortis partem sibi haud vindicant, ad pœnam 2. aut 4. marcarum auri procedere jubetur.

* Recentiores nonnulli mallent quidem hanc Imperii legem restringere ad solos debitores bello tricennali depauperatos, quoad reliqnos nullum certum usurarum modum per leges Imperii esse positum. Agitata inprimis est hæc controversia in Consilio Imperii Aulico in causa Baronis de Knigge, Consiliarii Britanno-Hannoverani, contra Ducem Saxo-Isenacensem, ipsiusque Ordines provinciales, quibus Baro de Knigge sortem crediderat à 6. pro Cent. Ipsa sors cum refunderetur, detrahebatur sexta usurarum pars hactenus soluta, tanquam per Imperii leges indebita. Re ad Cosilium Imperii Aulicum delata illud in Concluso de 5. May 1732. pactum de usuris a 6. pro Cent. validum pronuntiavit, & Dn. D. *Jo. Godofred. de Meier* Consiliarius Hannoveranus hac occasione edidit Gedancken von der Rechtmäßigkeit des 6ten Zinßthalers in Deutschland Hannover 1732. 4. De justitia Conclusi a summo tribunali editi plane dubitandum non est. Mallem tamen illam inde arcere quod Principes Germaniæ quoad publicam ditionum administrationem, & debita ipsius intuitu contracta, civilibus Imperii legibus non teneantur, vid. §. 713. quam a restrictiva Recessuum interpretatione, quasi solos debitores bello tricennali obæratos tangat. Quamvis enim hi occasionem legislationi dederint, ipsa tamen lex generalior est, & magis indefinita, quam quæ strictiori huic interpretationi locum relinquat. Accedit, quod modus usurarum

quincuncium jam ante bellum tricennale lege stabilitus Ord. Polit. 1530. 1548. & 1577. §. 17. ibi: mehr dann 5. von 100. quodque non deficiant alia hujus tribunalis præjudicia, quibus usuras 6. pro Cent. illicitas pronuntiavit e. c. d. 12. April 1701. in causa Model Jud contra Creilsheim, 1717. in causa Heimenberg contra Hamecher, 1725. d. 12. Nov. in causa Löw Jud contra Solms - Tecklenburg. Neque tamen dissimulandum, in casu indigentiæ, publicæque utilitatis ipsum judicium Imperii Aulicum usuras graviores admittere. Sic cum in bello Gallico anno 1713. Dominus a Morenfeld copiarum Imperialium annonam curaret, nec aliter pro eadem comparanda pecuniam mutuo accipiendam reperiret, quam sub promissione usurarum 12. pro Cent, pro quibus ipse Eugenius, Sabaudiæ Dux, tanquam summus copiarum Imperialium Præfectus fidem interponebat: postea autem re ad judicium Aulicum deducta, Dominus a Morenfeld peteret, ut usuræ ad modum legitimum 5. pro Cent reducerentur: nihilominus ob necessitatem & utilitatem publicam pro 12. pro Cent. fuit pronunciatum. Pariter d. 21. May 1737. in causa Christian Friedrich von Eyb prodigalitæt betreffend membr. 2. conclusum: wird gestalten Sachen nach dem constituirten curatori von Sekendorf verstattet die Interessen von denen von ihm aufgenommenen, und zu des curandi von Eyb Nutzen verwendeten Geldern zu 6. pro Cent jährlich in Rechnung zu bringen.

** Jam apud Ægyptios erat prohibitum, fœnus quod ex scriptura contrahebatur ultra contracti mutui duplum exigere. *Diodor. Sicul.* L. 2. c. 3. p. 103.

*** Nisi quod Facultas Juridica Lipsiensis mens. Octob. 1700. pro sententia dictarum Novellarum pronuntiasse legatur apud *Godofr. Ludov. Mencken* de Novellarum glossatarum autoritate §. 19.

§. DCCXI.

quæ lex an Principes obliget?

Has leges, quibus usuris modus ponitur, eo ipso dum civiles sunt, summos imperantes non tangere, res ipsa loquitur. At de Imperii Germani-

manici Principibus tum inter Doctores in Academiis, tum in foro ipsisque rerum argumentis disceptatum aliquando est, num illi ad modum per Imperii leges usuris positum pariter adstringantur. Pro affirmativa facit generalitas, quibus usuras quincuncibus majores accipere vel stipulari, sub gravissimis prohibetur pœnis nullitatis, & amissionis quartæ partis ipsius sortis, jurisdictionis domino addicendæ. Ac ne ad illustres personas hæc dispositio quadrare negetur, diserte clausula est adjecta generalis, ullam dignitatis atque conditionis rationem habere vetans. Vid. Ord. Pol. 1530. Tit. 26. von wucherlichen Contracten §. 7. ibi niemand wes Würden oder Standes der sey. At negativam juvat, quod istæ leges in quantum non statum publicum, sed privata negotia respiciunt, privatis vinculum injiciant, statibus non æque, qui sibi hoc in passu limites posuisse haud videntur, quoniam alias in casu necessitatis difficulter creditores reperirent, & velut extra commercium constituerentur. Nam privatis potius, quam Principibus crederetur, nisi usuræ majores allicerent creditores.

§. DCCXII.

Facile patet, quæstionem hanc pendere ab alia præjudiciali, sintne Principes & Status Imperii ejusdem subditi nec ne? In quantum enim sunt subditi, in tantum eos legibus teneri manifestum. At jam alibi hanc stabilivimus sententiam, quod imperii Principes in publicis negotiis, i. e. publicam territoriorum suorum administrationem concernentibus, ob competentem & confirmatam ipsis superioritatem territorialem pro subditis habendi non sint, bene tamen in negotiis suis privatis, h. e. iis quæ citra principalem ad territorii administrationem respectum peragunt, eatenus igitur omnino civilibus Imperii legibus tenentur. Jam vero expeditum est, posse Principem Imperii usuras promittere tum publicæ territorii, tum privatæ suæ utilitatis causa. In dubio, & nisi Princeps debitum contrahens publico nomine, publicæve utilitatis causa se id facere profiteatur, tales ipsius contractus præsumuntur privati nec territorium onerare.

ex præjudiciali quæstione pendet.

§. DCCXIII.

In quæstione igitur proposita distinguerem, num usuræ debeantur ex publico, an privato Principis contractu? Priori casu ad modum Re-

Publico Principis

 cessi-

contractui nullus usurarum modus positus. cessibus præfinitum non sunt adstrictæ, sed libere usuræ quincuncibus majores, imo usurarum usuræ indistincte tum subditis tum extraneis promittuntur. Consentit *Berlich.* Decis. 268. Frustra dissentit *Carpzov.* Resp. L. 5. T. 2. Resp. 9. n. 25. Ad publica enim Principum negotia privatæ Recessuum leges non pertingunt. Quod vero publicam utilitatem ærariique detrimentum urget Carpzovius, eo minus ponderis habet, quo magis publicæ rei interest, creditores in casu necessitatis, qui certe deficerent, si nossent, promissa non servatum iri.

§. DCCXIV.

Nec privato, si a suo subdito Princeps mutuum accipit. Posteriori casu, si nimirum ex privato Principis contractu usuræ debentur, iterum distinguo, num Princeps cum proprio suo subdito, an extraneo sive Principe sive subdito contraxerit. Proprio suo subdito usuras quincuncibus majores ac usurarum usuras Princeps valide promittit. Quamvis enim Princeps tanquam privatus hic contrahat, simul tamen eo ipso, dum *cum subdito* contrahit, tacite vi potestatis legislatoriæ dispensasse, & in præsenti negotio majores usuras permisisse censetur. In Camera tamen Imperiali Principibus hæc dispensandi, majoresque quincuncibus usuras permittendi facultas denegatur, ac proinde tale pactum haud sustinebitur. Alia est quæstio, an ipse Princeps a subdito suo majores usuras accipere, aut stipulari possit, quæ omnino neganda. Tunc enim Princeps simpliciter ut privatus spectandus est, ac proinde ad normam legum Imperii se componere debet.

§. DCCXV.

Bene si ab extraneo, qui tamen Imperii subditus. Ab extraneo Principem Imperii majores quincuncibus usuras accipere posse ex iisdem principiis negarem, quia tunc ut privatus, & Imperii subditus consideratur. Raro publicum ærarium adeo pecunia abundat, ut fœnori exponi possit. Econtra dubio caret, quod dare aut promittere usuras quascunque Princeps possit extraneo, qui Imperii subditus non est, nec patria lege ad certum usurarum modum adstringitur. Sin tali extraneo quincuncibus majores usuras Princeps promittit, qui non quidem Principis promittentis, Imperii tamen subditus est, impune quidem promittuntur ac dantur, repeti tamen indebiti condictione possunt. Pœnæ enim præstitu-

tæ

tæ sunt usuras immodicas accipientibus, non promittentibus, quibus potius exceptione usurariæ pravitatis aut condictione succurritur. *

* An renuntiari potest exceptioni usurariæ pravitatis? Videtur quod non, quia renuntiatio tenderet in fraudem legis. Certe etiamsi efficacem dixeris renuntiationem ex parte renuntiantis, non tamen proderit usurario contra magistratum pœnas propterea poscentem.

§. DCCXVI.

Illustrat dicta casus quidam memorabilis, qui ante aliquot annos contigit. Contraxerat Princeps privatæ suæ utilitatis causa cum privato sibi non subdito, qui, cum debitum repeteret, a Principe usurariæ pravitatis reus agebatur coram præfecto Lipsiensi cujus erat subditus. Præfectus sententiam desuper expetit a Collegio Juridico, qua responsio summaria reo injungebatur. Sed mutandam eandem censuit Facultas Juridica Vitebergensis 1725. mens. Febr. sequentem in modum respondens, daß gestalten Sachen nach und in Ansehung, daß Werdus mit einem unmittelbaren Reichs-Fürsten contrahiret, welchem von den Reichs-Abschieden, so ferne solche von rebus privatis handeln, abzugehen, solchem nach mehrere als ordinaire Zinsen, nicht weniger von Zinsen hinwiederum Zinsen zu verschreiben und zu versprechen frey gestanden, Werdo auch solches alles zu acceptiren, ebenmäßig unverwehrt gewesen, wegen des ermeldeten Werdo beygemessenen Anatocismi und usurariæ pravitatis wieder ihn weiter nichts vorzunehmen, noch er mit einiger Straffe zu belegen, und bleibet im übrigen Cajo als dem Reichs-Fürsten frey, Werdum civiliter zu belangen. Indulget quidem hæc sententia Principi persecutionem civilem, parum tamen auxilii exinde promittit, eo ipso dum reum usuras ordinariis majores acceptare potuisse censet. Re ad Facultatem Jenensem eod. an. mens. Aug. delata, aliter fuit responsum hunc in modum: Obwohl Cajus die von Werdo gezogene Wucherl. Rechnung agnosciret, und daß dadurch er sich seines Rechts begeben, es das Ansehen haben könte: dennoch aber und dieweil die Remissio und Renuntiatio juris sui nicht præsumirt wird, vielmehr zu glauben stehet, daß Cajus die Sache gehörig nicht überleget habe, und von Werdo obrepiret worden sey: über dieß die condictio indebiti statt hat,

Casus memorabilis

wenn jemand contra legis prohibitionem etwas indebite zahlet, ob es schon wissentlich geschicht, welches denn in specie auf den Casum wenn der Debitor verbothenen Zinß an seinen Creditorem wissentlich zahlet zu appliciren, L. 26. pr. de Cond. indeb. L. 18. C. de usuris: So ist dannenhero Cajus den Werdum zu Erstattung des gezogenen ungebührlichen Wuchers zu belangen, oder solchen von der schuldigen Summe inne zu behalten, oder gegen eine andre Schuld zu compensiren, wohl befugt. Jenensem hanc sententiam Vitebergensi ob dicta §. 714. præferrem.

§. DCCXVII.

de eoque scripta. Egerunt de hoc casu ex instituto *Jo. Balthas. Wernher.* in Programmate peculiari de 1725. & *Jo. Florens Rivinus* in dissertatione de privato in Principem Imperii usurariæ pravitatis reo Lips. 1725. cui aliam opposuit *Godofr. Ludov. Mencken.* de Principe Imperii in promissis usurarum privato factis ad quantitatem lege determinatam servandam non obstricto Viteberg. 1725. Neuter satis distincte controversiam tractat. Rivinus majori studio & labore, quam judicio Principum causam agit, & eo plane delabitur, ut subditum a suo Principe majores ordinariis usuras accipientem perjurii arguat, quippe cui vi præstiti juramenti damna Principis avertere, & commoda ipsius promovere potius incumbat. Menckenius econtra privatum utut alius Principis, non ejus quocum paciscitur subditum ipso facto, quo cum Statu Imperii contraxit, tutum ab usurariæ pravitatis exceptione pronuntiat. Alii adhuc ut *Bastineller* de præjudicio Principum ex abusu Juris feud. Longob. §. 5. distinguunt, num ipse Princeps, an ministri nomine Principis usuras immodicas promiserint. Si e. c. Camera Principis pecuniam mutuo accipit, usuras illicitas promittit, solvit etiam, in termino autem solutionis creditori usurariam pravitatem objicit, Cameræ favendum censent, aliud dicendum rati, si Princeps ipse de solvendis illis usuris, non obstantibus legibus suis, animum declaraverit. Mihi, extra casum doli aut culpæ enormis, quod Princeps per ministros facit, ipse fecisse, promisisse videtur.

TITU-

TITULUS XVI.

DE

Societate.

*

* *

Societatis illuſtris exempla præbent tum pacta de regimine communi nomine adminiſtrando, tum fœdera Principum. Publicæ ſocietates regulariter ſunt perpetuæ, privatæ pro lubitu unius diſſenſu revocabiles, ni tempus eſt additum.

§. DCCXIIX.

Societas in genere quamvis denotat conjunctionem perſonarum, quæ pari conſilio, ſpe, & periculo rem aliquam cum aliis aggrediuntur, vel aggredi debent. Conſtituitur illa vel jure, vel conſenſu ſeu facto. Ad illam, quæ jure conſtituitur, pertinet naturalis illa ſanguine junctorum ſocietas, imo univerſalis illa omnium hominum. Nam inter omnes homines cognationem quandam intercedere, vere dicitur L. 3. Dig. de juſtit. & jur. quæ magis adhuc conſpicua inter Principes cernitur, cum Principes omnes aut affinitate ac propinquitate, aut certe ſimilitudine ac veluti ſocietate quadam ſint conjuncti, quod Henricus II. Galliæ Rex Principum Germaniæ legatis, ne Albertum Brandeburgicum, pacis publicæ turbatorem, protegeret poſtulantibus in mentem revocaſſe legitur apud *Bodinum* de Republ. L. 5. c. 6. & *Furſtenerium* de Supremátu c. 23. *Societatis deſcriptio generalis*

§. DCCXIX.

§. DCCXIX.

Facto quæ constituitur societas ad sola negotia licita tendit. Illicitorum enim aliqua quidem ad pœnas ex delicto, nulla autem ex promisso est obligatio, unde criminis societas nonnisi abusive dicitur. Licita negotia cum fere sint infinita, mirandum non est, si innumeræ inde oriantur societatum species, adeo ut in contractibus omnibus societas quædam, in sensu generaliori accepta, inter contrahentes intercedere videatur.

§. DCCXX.

specialis. In specie autem & κατ' ἐξοχὴν societatis nomine venit conventio de rerum vel operarum in commune collatarum lucro & damno communicando, ita ut in effectu societas nihil aliud sit, quam mutua quædam periculi commutatio, quæ & ratio nos movit, ut contractibus permutaroriis eandem annumeraremus, ac licet jam dum lateat sub articulo do ut des, cum detur pars lucri, ex re mea obventuri, ut des vicissim partem lucri, ex tua re obventuri, quia tamen ob suam frequentiam in peculiare nomen, & separatum contractum transiit, separatam quoque tractationem postulat.

§. DCCXXI.

Exempla societatis rerum inter illustres. Frequentissime quidem societatis contractus inter mercatores celebratur, haud raro tamen etiam inter alios, ipsosque etiam Principes, & cum in societatem deducantur vel res vel operæ, ad illam rerum referrem pacta, a Principibus de regimine Principatus communi nomine vel conjunctim, vel per vices administrando inita, quod posterius vulgo Mutschierung, quasi Mutirung vocatur, & opponitur der Erbsonderung. Vid. *Ludolf* de Jur. primog. p. 329. & *Springsfeld* de Apanag. c. 2. pr. Exempla Principum, qui in regiminis societate vixerunt, ex domo Mecklenburgica & Brunsuicensi attigimus de Heredit. §. 165. & 207. quibus jungi potest ex domo Bavarica illud Friderici Landshutani, qui cum fratribus per 17. annos usque 1392. in communione substitit, & recentius ex domo Brunsuicensi Rudolphi Augusti & Antonii Ulrici fratrum, qui ab anno 1667. usque 1704. in simili regiminis societate vixerunt.

§. DCCXXII.

§. DCCXXII.

Nec desunt exempla pactorum de regimine alternatim vel per personas, vel per lineas exercendo. Ex antiquis referri huc forsan posset regimen, quod inter fratres Eteoclen & Polynicen constitutum memorat Jocasta mater apud *Euripidem* in Phœnissis, ut Polynices junior tantisper volens exularet terra, Eteocles vero manens sceptra terræ teneret, per vices mutantes annum. De Amulio & Numitore vid. Liv. L. 1. Pactum quod inter Ludovicum Bavarum Imperatorem & fratrem ejus Rudolphum, de Electorali dignitate vicissitudinario jure possidenda, initum, & inter Rudolphi filios 1329. repetitum, exitu caruit. At frequentiora exempla extant in domo Saxonica. Inter Friderici Severi Thuringiæ Landgravii & Misniæ Marchionis filios, Fridericum Strenuum, Balthasarem, & Wilhelmum ab anno 1349. usque 1379. nulla facta est divisio, sed saltem separatio (scribat quicquid velit *Fabricius*) quod genus antiquiores Germani vocabulo aptissimo eine Oerterung, recentiores peregrino eine Mutschierung appellare consueverunt, verbis *Hortlederi* scribit *Eisenhard* de jure Diplomatum p. 32. Tale pactum ad quadriennium fuit inter Fridericum Bellicosum, & fratrem Guilielmum, & post mortem Friderici Bellicosi 1436. inter ipsius filios Fridericum Placidum, Sigismundum, & Wilhelmum, cum terras ad novennium inter se dividerent, ita tamen ut Electoratus cederet primogenito. Sic post mortem Joannis Friderici Saxoniæ Electoris Joannes Fridericus II. & Joannes Guilielmus filii de hereditaria ditione ita inter se convenerunt, ut quilibet per decennium gubernet, initio facto a maximo natu Joanne Friderico II. decennio vero isto præterlapso terras inter se diviserunt. Joannes Casimirus & Joannes Ernestus de terris Franconicis ad quinquennium eadem fere ratione fuerunt pacti 1590. Vid. *Ludolf.* de jur. primog. p. 329. & *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 27. §. 15. In Holsatia Daniæ Rex cum Duce Gottorpiensi inde ab anno 1581. quotannis in regiminis communione alternarunt, qui postea super eâdem motus oborti fuere, notiores sunt quam ut narrari fusius debeant. Mutschierung.

§. DCCXXIII.

Societati operarum surrogari in Jurisprudentia illustri haud incommode possunt fœdera, a Principibus inita, quo societatis genere Respublicæ plane *Operarum seu fœderum.*

plane carere nequeunt, quia nec montium præruptorum altitudo, nec maris immensa profunditas, nec locorum desertissimæ solitudines, nec substructionum moles ingentes alias eas tutas satis redderet. Quæ in contrarium *Thomas Morus* disserit in Utopia sua: Quorsum fœdus? quasi non hominem homini satis natura conciliet, quam qui contemserit, hunc verba scil. putes curaturum - - - naturæ consortium fœderis vice esse, & satius valentiusque hominis invicem benevolentia, quam pactis, animo quam verbis connecti &c. hæc inquam quid fieri debebat, hominesque in integritate & perfectione sua consideratos respiciunt, ad præsentem autem & corruptum humani generis statum plane non quadrant.

§. DCCXXIV.

Variæ fœderum species.

Constituuntur societates contrahentium * consensu, ** qui cum vel privato cujusvis, vel publico Reipublicæ nomine interponatur, oritur hinc distinctio inter societates publicas & privatas. Cumque fœdera sint species quædam societatis, illa pariter dispescere non dubito in publica & privata, hæc solam Principis personam obligant, indeque personalia audiunt, illa totum populum, & realia vocantur. Novi quidem, multos in ea esse sententia, quasi omnia fœdera sint publica, nulla privata. Vid. *Mascov.* de jure fœderum §. 2. quibus tamen oppono communem loquendi usum, quo tori, lecti fœdera dicuntur, quæ sane privatis sunt accensenda. Aut si fœderis notionem improprie ibi accipi dicas, id tamen monere liceat, quod dissentientes publica fœdera ex fine & utilitate metiantur, & talia esse perhibeant, quæ publicæ utilitatis causa ineuntur, cum tamen rectius fœderum in publica & privata discrimen a causa efficiente repetatur, adeo ut fœdera publica esse non desinant, etiamsi in Reipublicæ perniciem vergant, conf. L. 1. T. 2. §. 41. ubi & diximus, num in dubio privata potius, an publica præsumantur. Publica fœdera vel belli vel commerciorum causa *** ineuntur. Quæ belli causa, iterum sunt vel offensiva vel defensiva. Hæc in solo defensivo, illa etiam offensivo in bello auxilia pollicentur. Character belli offensivi est invasio, isque censetur bellum offensivum gerere, qui prior arma infert, etiamsi alter prior injuriam intulerit.

* Qui quales esse debeant, & in quantum cum infidelibus & hereticis

ticis ſocietates, ac fœdera iniri queant, dixi L. 1. T. 3. §. 131. ſqq. Cum pluribus ubi fœdus initum, quis in colliſione reliquis præferri debeat? vid. L. 1. T. 13. §. 368.

** Hoc loco enim ſocietatem ſaltem ut contractum conſideramus, alias & ultima voluntate ſocietas & communio etiam in perpetuum poteſt conſtitui. Quamvis enim jure Romano nemo in communione invitus manere teneatur, quia communio diſcordiarum mater L. 26. §. 4. Dig. de Cond. indeb. L. 14. §. 2. Dig. Commun. Divid. ita ut nec præſcriptio immemorialis obſit L. fin. Cod. Commun. divid. nec juramentum contrarium quicquam operetur L. 14. §. 2. Dig. Commum. divid. Germanorum tamen moribus ſicut per pacta, ita & per ultimam voluntatem heredes ad communionem perpetuo ſervandam poſſunt obſtringi. Exemplum habemus in Eliſabetha Maria Munſterbergenſi Duci Wurtenbergico Oelſenſi nupta, quæ cum Dominatum Sternbergenſem filiis Sylvio Friderico & Chriſtiano Ulrico ſub lege perpetuæ communionis, ita ut reditus ſaltem dividerentur, relinqueret, & Sylvius Fridericus poſtea ad diviſionem provocaret, conſulta deſuper Facultas Juridica Vitebergenſis 1692. pro continuanda communione reſpondit. Vid. *Horn* Jurispr. feud. App. 2. num. 7. Aliud exemplum de Comitatu Lœwenſteinenſi vid. in *Fabri* Staats-Cantzley part. 32. c. 2. p. 18.

*** Addunt alii fœdera pacis, quibus bella ſopiuntur, quæ tamen improprie & abuſive ad fœdera referri videntur, cum in iis deficiat commune periculum, quod neceſſarium eſt ſocietatis fœderisque requiſitum.

§. DCCXXV.

Conſenſus, quo mediante conſtituuntur ſocietates, vel per verba, vel quod ſatius eſt, & frequentius per ſcripturam declaratur, nec intereſt, num ipſi principales an eorum mandatarii & legati, ſpeciali tamen mandato inſtructi, agant. Sed & hoc regulariter ſaltem tractandi fiduciam conciliat, ita ut tractata & ſubſcripta a tali legato, ipſius principalis ratihabitioni obnoxia, nec antequam illa ſequatur, obligatoria cenſeantur. Nec tamen *Modus peragendi*

dubitandum, posse per additam expressam mandati clausulam legato plenipotentiam illimitatam, nec ratihabitioni ulli obnoxiam concedi.

§. DCCXXVI.

interpretatio Ubi super verbis, quibus societas est inita, eorumque sensu dubium suboritur, decisio ex circumstantiis sanæque interpretationis regulis est petenda, quæ hoc in passu tanquam super re maxime odiosa restrictivam magis quam extensivam interpretationem suadent. Hinc societate simpliciter fine rerum mentione inita, ea saltem communicantur, quæ ex quæstu seu opera veniunt L. 7. Dig. pro socio it. sub societate bonorum, utut addatur omnium & universorum, saltem præsentia intelliguntur, futura autem tum demum comprehensa censentur, si expressa eorum facta mentio. Principum fœdera simpliciter posita sola defensiva innuere, ad omnia tamen bella, & hostes, a quibus petuntur, pertinere videntur. Unde si ad certa saltem bella pertingere, aut quidam speciatim ab iis excipi debent, specifice hoc exprimatur, necesse.

§. DCCXXVII.

duratio. Ratione temporis societates vel perpetuæ sunt, vel temporariæ, qua ratione fœdus a pactione differre tradit *Varro*. Fœdus est, inquit, publica populorum Principumve inter ipsos conventio in perpetuum concepta, sponsio Ducum legatorumque pactum conventum sine populi jussu - - - - pactio Principum populorumve conventio temporaria, quæ sæpius magistratuum aut Ducum potestati permittitur. Sed dudum hæc inter pactionem & fœdus differentia usu est sublata, fœdusque de perpetuis pariter ac temporariis gentium conventionibus prædicatur. Exempla fœderum temporariorum præbent illa, quæ ad bellum certum saltem ineuntur. Æternum habemus in fœdere Ultrajectino, quo septem provinciæ 1579. Reipublicæ Belgicæ fundamenta jecerunt, it. in fœdere Helvetico, & plerisque fere pacificationibus fœderis perpetui clausula additur. Imo penitius si consideremus pacta subjectionis, quibus populus Principi ejusque familiæ se subjicit, facile animadvertitur, eadem nihil aliud, quam æternam quandam societatem esse.

§. DCCXXIIX.

§. DCCXXIIX.

Ad privatas societates ubi descendimus, jure civili Romano societas coiri potest in *perpetuum* i. e. ad vitæ dies L. 1. Dig. pro Socio. At in *æternum* nullam societatis coitionem esse dicitur L. 70. Dig. eod. nec pacisci licere, ut heres succedat societati L. 35. eod. excepta societate vectigalium L. 59. ib. Ratio hujus legislationis in eo sita videtur, quod apud Romanos pacta & conventiones legitima successionum aut hereditatum transferendarum media haud erant. At per conventionem de societate post mortem duratura omnino de successione disponeretur. Germanorum moribus cum pacta successoria sustineantur, ac proinde ratio dictæ legislationis Romanæ cesset, ipsa lex cessat, ac inter eos societates etiam post mortem duraturæ valide ineuntur, quod vel solo nomine derer Erb-Vereinigungen constat, quæ nihil aliud, quam societates ad heredes transituræ erant, conf. §. 7. Not. **. Vid. tamen *Wesenbec.* Consil. 151. & *Struv.* Exerc. feud. c. 9. n. 3. In dubio si nullum societati tempus additum, pro lubitu ad unius socii beneplacitum revocabilis, & tacita beneplaciti, & quamdiu concordia inter socios obtinuerit, conditio subesse videtur. Tempus autem ubi est pacto definitum, illud merito observatur, nec antequam illud fuerit elapsum sine causa a societate potest recedi. Conf. L. 1. T. 9. §. 318.

§. DCCXXIX.

Conditiones societatis contractui a contrahentibus pro lubitu adjiciuntur, num scil. unus plus, quam alter in societatem conferre debeat, it. num de lucro & damno æqualiter juxta illatorum proportionem, quod in dubio actum censetur, an inæqualiter participare debeant? Conf. *Grotius* L. 2. c. 12. §. 24. Unde oritur distinctio societatum & confœderationum in æquales & inæquales, quæ non ex potentia sociorum est æstimanda, sed præstatione & participatione, nunc æquali, nunc inæquali. *Grotius* L. 1. c. 3. §. 21. inæquale fœdus id demum appellat, ubi quis tenetur alterius imperium & Majestatem conservare. *Conditiones*

§. DCCXXX.

Sed numne valida erit sociorum conventio, ut unus omne lucrum solus accipiat, alter omne damnum solus ferat. Leges civiles talem societatem *leonina*

 peni-

penitus improbant L. 29. §. 2. Dig. pro Soc. ac leoninam appellant a fabula *Phædri* de leone prædam cum vulpe dividente, indeque inferunt Doctores, donationis causa societatem in totum contrahi non posse L. 5. §. 2. Dig. pro Soc. bene tamen pro parte arg. L. 38. Dig. de contrah. emt. Vid. *Stryck.* de diversis sociorum pactis Hal. 1708. p. 19. & 25. Naturali jure juxta liberrimam de rebus suis disponendi facultatem conventio, quæ alteri sociorum omne lucrum, alteri omne damnum tribuit, non quidem erit illicita, sed in aliud, quam societatis negotium abire videtur. Hæc enim tanquam necessarium sui requisitum communis periculi permutationem quandam requirit, quæ cum tali casu prorsus deficiat, ad beneficas potius talis conventio referenda videtur. Imo *Stryckius* l. c. p. 26. ipso jure civili societatem donationis causa in totum contractam, non quidem jure societatis, sed jure donationis subsistere existimat. Vereor tamen ne hæc ipsius opinio a mente legum sit aliena. Imo ipse sibi contrarius existit p. 50.

§. DCCXXXI.

Conventionem, ut sors illata sit periculo alterius, qui operam confert, mutuum usurarium, pravitatemque usurariam continere, nec proinde subsistere, idem censet *Stryck.* l. c. p. 27. Si tamen quis e. c. pro coemtione novæ partis metallicæ pecuniam daret, alter autem nec sortem nec operam conferret, sed in societatem sperati lucri der Ausbeute hac saltem conditione admittentur, ut si pretium partium metallicarum decresceret, wenn die Grube fallen solte, sortis numeratæ periculum præstaret, tunc valida est conventio, quia hæc periculi receptio vicem collocationis cujusdam subit. Trium hanc in rem præjudiciorum meminit *Stryck.* p. 24.

§. DCCXXXII.

Obligatio sociorum

Effectus societatis ipsorum sociorum intuitu consistit in obligatione ad conferendas res vel operas promissas, communicanda lucra, ferenda pro rata sua parte onera, & reddendas finita societate res collatas. Regulariter ipsum earum dominium statim post societatem consensu initam commune fit sociorum. Jure Civili in societate omnium bonorum omnes res, quæ coeuntium sunt, continuo communicantur L. 1. & 2. Dig. pro Soc. in

in particulari autem ad dominium communicandum traditio requiritur arg. L. 58. §. 1. Dig. eod. Poteſt tamen etiam non tam rerum principalium, ut-ut tradantur, ſed fructuum ſolorum & lucri ſocietas iniri, qua de re vel ex diſerto pacti tenore, vel circumſtantiis conſtare poteſt, quo pertinet exemplum Legis 58. Dig. pro Socio, de duobus quorum unus tres equos, alter unum habet, & hoc pacto ſocietatem coeunt, ut accepto equo uno alter quadrigas venderet, & ex pretio quartam alteri redderet. Equi ibi non fuerunt communicati, ſed ſaltem ſocietas contracta circa pretium ex equis redigendum. Si itaque ante venditionem alterius equus moritur, non manet ſocietas, nec ex pretio equorum alterius pars alteri, cujus equus mortuus eſt, debetur.

§. DCCXXXIII.

num inter Socios votorum pluralitati ſtandum

Circa adminiſtrationem rerum a pluribus ſociis in commune collatarum quæritur, an omnium conſenſu de ea ſtatuendum, an vero majoris partis decreto ſtandum ſit? Diſcrepare hac in re a jure publico jus privatum judicat *Ludolphus Hugo* de Statu Regionum Germaniæ c. 6. §. 7. Nam jure publico ait, ubi plures æquali poteſtate Rempublicam adminiſtrant, major pars minorem vincit, adeoque quod major pars decreverit, reliqui, qui minori numero ſunt, ratum habere tenentur. Econtrario lex communionis privatæ eſt, quod omnes tangit ab omnibus probari debere, & in re communi potiorem eſſe cauſam prohibentis. Cui enim hac lege in communione manere non libet, ad diviſionem provocare poteſt. Quando igitur Principes de regionis aut rei particularis, quam pro indiviſo poſſident, adminiſtratione in commune conſultant, utra lex ſequenda eſt? Sane quoniam Principes iſti non lege publica, ſed jure ac poteſtate dominii propria voluntate conſociantur, utique dicendum eſt, non legem illam ſocietatis publicæ, ſed potius communionis privatæ regulam locum habere. Itaque vel unius diſſenſus reliquorum decreta impedire poteſt. Quo ſpectat recepta diſtinctio, quando aliquid commune eſt ut univerſis, id ratum eſſe, quod major pars ſtatuerit, quando vero aliquid commune eſt, ut ſingulis, tunc potiorem eſſe cauſam prohibentis. Hæc Hugonis eſt ſententia.

§. DCCXXXIV.

§. DCCXXXIV.

an prohibentis melior conditio

Mallem tamen rem ita efferre, ſocietates, quæ ſimpliciter, nec ad tempus certum ineuntur, tacitam beneplaciti, & quamdiu conſenſerint inter ſe ſocii, conditionem habere. Simul igitur ac unus ſociorum a reliquis circa rei communis adminiſtrationem diſſentit, recedere pro lubitu, & quandocunque placuerit, a ſocietate poteſt. Sed ubi ad tempus certum ſocietas eſt inita, recedi ab eadem antequam illud fuerit elapſum, nequit. Quamvis igitur diſſentiant ſocii, nihilo ſecius ſocietas usque ad tempus præſtitutum durare debet, & tunc alius negotia interea peragendi & terminandi modus haud ſuppetit, quam ut minor pars cedat majori. Jam vero conſtat publicas ſocietates ea plerumque lege ac intentione iniri, ut perpetuo durent, nec cuivis pro lubitu ab ea recedere liceat. Atque hinc eſt, quod in publicis ſocietatibus, ni alius negotia terminandi modus fuerit receptus, minora vota majoribus cedere debeant. At privatæ ſocietates in dubio ſimpliciter initæ, ac pro lubitu revocabiles cenſentur, unde & tunc in iis unius diſſenſus attendi debet. Si vero ad tempus certum privata ſocietas inita fuerit, in ea quoque minora vota a majoribus vinci exiſtimo; quia alias finis tali ſocietati præſtitutus obtineri non poſſet.

§. DCCXXXV.

de communione voti Comitialis

Inter Principes quoties rerum quædam communio obtinet, ſollicite ſatis per pacta determinari modus adminiſtrationis ſolet. Ante diviſionem Comitatus Hennebergici inter domum Saxonicam Electoralem & Ducalem jura Comitialia communi nomine exercita, ceu patet ex ſubſcriptione R. J. 1654. ibi: des geſamten Chur und Fürſtl. Hauſes Sachſen wegen der gefürſteten Graffſchafft Henneberg. Poſt factam diviſionem jura Comitialia nihilo ſecius in communione remanſerunt, ita ut in iisdem exercendis ſingulis 4. annis alternarent. In Principatibus Coburgenſi, Gothano, & Altenburgenſi jura Comitialia itidem ſunt communia, vi pacti tamen a ſolo Duce Gothano exercentur. Vid. *Engelbrecht* de Servitutibus Juris publici p. 72.

§. DCCXXXVI.

qua culpa

Culpam in ſocietate tanquam contractu bilaterali levem præſtare ſocius tene-

tenetur, eamque in concreto conſideratam, §. ult. Inſt. de Soc. Communem hanc ſententiam fruſtra vellicat *Thomaſius* de uſu practico doctrinæ de culparum præſtatione §. 24. & 45. cui vel ex iis, quæ L. 1. T. 10. §. 344. ſqq. attulimus ſatisfieri facillime poteſt. Plus tamen ſocius ſocietatis judicio conſequi a ſocio nequit, quam adverſarius facere poteſt. Socius enim contra ſocium beneficio competentiæ gaudet, vi cujus neceſſaria ipſi alimenta ſunt relinquenda L. 63. Dig. pro ſocio. Fundamentum ejus non in ſola legislatione civili, quod plerique exiſtimant, ſed ipſa naturali æquitate ac præſumta ſociorum voluntate quærendum videtur, cum ulterius ſe obligaſſe vix cenſeri queant. Poterit tamen hæc præſumtio contraria probatione, & expreſſa hujus beneficii renuntiatione elidi. *in ſocietate præſtanda*

§. DCCXXXVII.

Lucri & damni computatio regulariter demum finita ſocietate inſtitui debet, quia lucrum non intelligitur, niſi damno omni deducto. Aliter tamen, & ut e. c. quotannis computatio inſtituatur, (vocant Die bilance ziehen) conveniri poteſt ac ſolet. *quando computatio inſtituenda?*

§. DCCXXXVIII.

Exterorum intuitu ſocietatis effectus in eo ſe exerit, quod illi, uni ſociorum ſe obligantes, reliquis etiam cenſeantur obligati, & vice verſa ex facto unius ſocii, reliquos etiam ſibi habeant obligatos. Socius enim vi ſocietatis mandatarii vices ſuſtinet. In quantum igitur juxta ſocietatis leges cum aliis contrahit, reliquos pariter obligat. Has autem ubi egreditur, ſolus tenetur ob deficiens reliquorum mandatum. Unde ex facto ſocii fœdifragi reliquos non teneri manifeſtum. Utrum vero ex contractu ſocii juxta ſocietatis leges inito ſinguli in ſolidum teneantur, an excuſſionis ac diviſionis beneficio ſe tueri poſſint, anceps videtur. Mihi dummodo ſocius non ſolo proprio ſuo, ſed ſocietatis nomine contraxerit, verius videtur, ſingulos teneri in ſolidum. Hæc enim ſocietatis eſt indoles ut ſinguli pro univerſis & univerſi pro ſingulis teneantur, & cui quæſo bono producerentur lites, excutiendo prius eos, qui forte ſolvendo non ſunt. Satius interim erit, ipſis ſocietatum & fœderum tabulis ab initio inſerere clauſulam beneficio diviſionis & excuſſionis renuntiantem. *Ex facto ſocii obligantur reliqui*

§. DCCXXXIX.

Æquum valde est, quod statuitur in L. 28. Dig. Communi dividundo, in re communi neminem dominorum jure quicquam invito altero posse. Unde manifestum est, prohibendi jus esse. In re enim pari potiorem esse causam prohibentis, constat. Ab hac tamen regula excipitur casus, quo Princeps vel fiscus rem communem habens cum privato, invito socio illam vendit. Tunc enim fisci fidem infringi, minime rationis esse dicitur in L. 2. C. de communium rerum alienatione. Quod & procedere putat *Brunneman.* ad h. l. etiamsi Princeps minorem partem in re communi habet.

§. DCCXL.

Finitur societas elapso tempore ad quod contracta

Tollitur & finitur societas variis modis e. c. elapso tempore, vel finito negotio, ad quod erat contracta, interitu rerum, quarum societas erat inita, mutuo dissensu. Imo in societatibus simpliciter initis i. e. quæ nec expressam nec tacitam temporis mentionem continent, ob solum unius dissensum & pœnitentiam a societate recte recedi observavimus L. 1. T. 9. §. 320. Ubi autem promissum, ne intra certum tempus a societate recedatur, tali pacto merito stabitur vid. §. 727. 735.

§. DCCXLI.

e. c. si cuncti in pacem conspiraverint.

Quod ubi ad casus varios applicamus e. c. ad fœdus, quo quis promittit, nolle se sine fœderati consensu pacem facere, apparet id in illud tempus esse conceptum, quo ambo fœderati in pacem sint conspiraturi. Quæritur itaque, num in casu, ubi alter fœderatus oblatas sibi æquas pacis conditiones sine justa causa respicit, non obstante tali pacto pax possit iniri? Respondeo negando, quia fœdus illud bellicum tam diu debet durare, donec uterque in pacem consenserit. Dissentit quidem & affirmativam tuetur *Glafey* im Vernunfft und Völcker-R. p. 472. nec non Autor der rechtmäßigen Beantwortung folgender Frage: Wann in einem Bündniß die Clausul inseriret, daß ohne des mitverbundenen Consens mit dem Feinde kein Friede zu machen, ob dessen ohne gnugsame Ursachen geschehenen dissens ohngeachtet, nichts destoweniger Friede zu schliessen,

ſcit, quæ prodiit 1635. & 1678. 4. Non ſine ſpecie urgetur, tali fœdere id inprimis intendi, ne alter ſocius per oblatas ab hoſte pinguiores pacis conditiones a fœdere abſtrahatur, alterque ſocius a pace ſecuta excludatur. At ſi utrique æquæ offerantur pacis conditiones, utrique incumbere, easdem acceptare, qui vero eas citra juſtam cauſam ſpernit, ſibi imputet damnum, quod ſua culpa ſentit, certe ſua moroſitate nimiaque aviditate impedire alterum in laudabili pacem colendi propoſito non poterit. Verum enim vero tamdiu merito alter ſociorum a pace excluſus cenſetur, donec tales offerantur conditiones, quas ipſe pariter ſibi commodas exiſtimat, nec alterius deſuper judicium ſequi tenetur, & licet in dubio, ubi unus pacis conditiones æquas, alter iniquas pronuntiat, ejus, qui in pacem propendet, cauſa favorabilior videatur, quia tamen in caſu propoſito fœdus ad unanimem utriusque conſenſum eſt adſtrictum, citra eum a fœdere aliter ſaltem diſcedere non licebit, quam ubi alterius diſſenſus plane ſenſum communem manifeſte offendit, quippe ad quem caſum fœderatorum obligatio haud pertingit. Ceterum negandum non eſt, omnem hanc doctrinam in hypotheſi & applicatione ad caſus ſpeciales eſſe difficillimam, cum variæ intervenire poſſint circumſtantiæ, quæ ipſam deciſionem mutare ſuadeant. Exemplum Mauritii Saxonis, inſciis ſociis contra promiſſa cum Imperatore paciſcentis, attigi L. 1. T. 7. §. 249. in cujus rei cauſam & juſtitiam alii inquirant.

§. DCCXLII.

Sumamus porro ſocietatem, quæ ſubditos inter & imperantes intercedit. Hæc pro fine habet conſervationem Rei publicæ, quare tam diu huic ſocietati ſtandum, quam durat Respublica, nec proinde Principi, nec ſubditis ab eadem citra ſociorum conſenſum recedere fas eſt. Sed cum raro deficiant, quibus imperantis vices queant mandari, raro Principes invitos retineri * animadvertes, ſicut exadverſo haud raro ſubditis ne tempore periculoſo diſcedant, prohibetur. Ceſſante autem periculo haud difficulter uni alterive ſubdito emigrandi, ſalvo detractus jure, facultas indulgetur. *Subditorum & imperantium ſocietas quando finiatur.*

* Michael Wiznovicius Poloniæ Rex in pactis conventis 1669.

promisit, se Regno Poloniæ nunquam abdicaturum, cui constitutioni ansam præbuit antecessor ipsius Jo. Casimirus eo, quod regno abdicans in Galliam se receperat.

§. DCCXLIII.

An regiminis societas sine Ordinum consensu possit tolli?

Alia, affinis tamen est quæstio, an unio regiminis, quæ inter Principes viguit, sine subditorum aut Ordinum provincialium consensu solvi possit? Ex cujusvis territorii formula ac lege fundamentali optima haurietur decisio. In illis, quæ ex populi voluntate deferuntur, talis consensus procul dubio erit necessarius, in aliis quæ v. c. sub feudi lege a domino directo conceduntur, qualia sunt pleraque Germaniæ territoria, domini quidem directi consensus erit necessarius, Ordinum non aliter, quam si id juris sibi competere deduxerint. Vid. de Heredit. §. 194. In Ducatu Megapolitano cum inter Henricum & Albertum Duces de communione controversia intercederet, hicque ad divisionem provocaret, & a Carolo V. Imp. 1523. mandata obtineret, status provinciales consentire in divisionem nolebant, quo factum, ut bona quidem domanialia & præfecturæ dividerentur, status vero equestres & provinciales in unione & communione sub omnibus Ducibus indivisi permanerent. Vid. Deductio unionis, communionis, & inseparabilitatis Corporis provincialis Mecklenburgici de 1711. ex eoque *Engelbrecht* de Servitut. Jur. publ. p. 444.

§. DCCXLIV.

Cessat societas cessante fine

Ad reliquos societatem tollendi modos pertinet, si cessat finis per societatem intentus. Hinc a fœdere mutuam defensionem promittente recte receditur, si neuter fœderatorum se, nedum fœderatos amplius defendere potest. Pertinent huc verba *Polybii* L. 4. Ita, scribentis, comparatum est, ut omnes, qui in periculo sunt, quam diu spem subsidii in amicis ac *sociis* habent, tam diu cum iis putent amicitiam servandam, ubi vero spes omnis sublata est, tum ipsi per se propriis rebus consulere coguntur.

§. DCCXLV.

e. c. per furorem

Finis societatis quoque cessat, si socius per furorem, amentiam, alium-

ve

ve casum supervenientem ad societatem continuandam, redditur inhabilis. In quantum his casibus Principum societas, quæ ipsis cum subditis suis intercedit, tollatur, colligi potest ex dictis de tutela §. 573. Quas vero Princeps cum exteris societates & confœderationes iniit, si personales fuerint, ac solo suo nomine initæ, itidem tali casu expirant. Sin reales publicoque populi nomine initæ, perdurant & sequentem pariter administratorem vel successorem obligant.

§. DCCXLVI.

Idemque circa ultimum societatem tollendi modum, mortem puta, tenendum, quippe qua non modo privatorum societates* expirant, sed & ipsorum etiam Principum, si suo saltem nomine contraxerunt. Tunc enim singularis socii conditio & dexteritas spectata censetur, ceu pluribus ostenditur in literis Joannis Georgii I. Electoris Saxonis ad Christinam Sveciæ Reginam, quibus deducit, fœdus quod cum Gustavo Adolpho Rege habuerit, mere personale fuisse, seque per illius mortem liberatum ab eo esse ap. *Londorp.* Act. publ. T. 4. Aliter se res habet, si Princeps defunctus Reipublicæ nomine contraxit. Hæc enim non moritur, sed post Principis fata manet superstes. Manet idem corpus, etsi mutato capite, vid. *Grotius* L. 2. c. 16. §. 16. Cumque in dubio Principum fœdera Reipublicæ nomine inita censeantur, regulariter Respublica a fœdere per Principis sui, vel socii, quocum contraxerat, mortem haud liberatur, secus ac argutabantur Angli, Josepho Imperatore mortuo, male etiam *Bodinum* argumentari, fœdera ad Regum successores non transire, quia juramenti vis personam non exeat, ex *Grotio* monui L. 1. T. 8. §. 308.

mortem

* Ita ut ne quidem inter superstites subsistant. §. 5. Inst. de Societat.

§. DCCXLVII.

Per factum socii, quo a societate recedit, alterum quidem ab eadem, non autem se ipsum liberat. Unde Principi vel Reipublicæ a sociis destitutæ exprobari nil potest, si invitis iisdem pacem cum hoste init. De Vene-

Si socius prius recesserit.

 tis

tis 1478. cum Turcarum Imperatore, insciis sociis, paciscentibus ita scribit *Bonfinius* Rer. Hungar. Decad. 4. ab omnibus destituta Respublica auxiliis, non temere, quando res tulit, publicæ utilitati salutique consuluit.

TITULUS XVII.

DE

Pactorum Assecurationibus

speciatim de Pignore.

* *
*

Assecurantur pacta aut traditione vel rei vel personæ, aut simplici fidei interpositione. Rei in pacti securitatem facta traditio pignus vocatur.

§. DCCXLVIII.

Pactorum assecuratio quid? Expositis contractibus beneficis pariter ac onerosis, iis excutiendi restant, quibus promissis securitas conciliatur, quosque pacti assecurationem vocavimus, voce utut purioris Latinitatis ævo forte incognita, convenienti tamen, remque commode satis exprimente. Quamvis enim assecuratio communiter accipiatur pro conventione de periculo mercium transvehendarum suscipiendo, de qua Tit. 12. §. 611. sqq. in genere tamen vox quamvis securitatem de promisso caventem denotat, quo sensu eam nobis hic accipi eo ipso indicatur, dum pactis eam accedere dicimus. Neque novam, aut a nobis demum inventam, sed ipsis legibus publicis hanc assecurationis signi-

significationem esse usurpatam, discimus tum ex Instrumento Pacis Gallico §. 3. ubi *assecurationis articulus* vocantur cautiones, de hac transactione servanda interpositæ §. 113. ejusdem instrumenti, tum etiam clarius ex Friedens Execution Haupt Recess, inserto Recessui Imperii de 1654. ubi §. 17. Ob auch wohl & §. 19. dabey denn pignora vocantur *assecurationes* reales.

§. DCCXLIX.

Fit pactorum assecuratio aut mediante traditione, vel rei, & tunc *quotu-*
pignus dicitur, vel personæ, & tunc obsidum datio audit, aut mediante *plex?*
simplici fidei interpositione, quæ si pro proprio facto interponitur, obstagium dicitur, sin pro alieno, fidejussio appellatur. De singulis seorsim agendum.

§. DCCL.

Pignoris contractus est, quo debitor in crediti securitatem creditori *de Pigno-*
rem tradere, creditor autem debito soluto eam restituere promittit. Unde *re remis-*
patet, pignoris contractum per consensum quidem iniri, at per traditio- *sive agi-*
nem demum perfici. Per subsecutam traditionem constituitur jus reale *tur.*
pignoris, de quo in Reali Principum Jure Lib. 3. fuse satis egimus, cumque ea occasione de ipso consensu, quo mediante pignus contrahitur, ejusque requisitis, & effectu exposuerimus, ea omnia, quæ hic dicenda fuissent, repeti inde poterunt.

TITU-

TITULUS. XIIX.

DE

Obſidum datione.

* *
*

Obſides ſeu perſonas in promiſſorum ſecuritatem privati quoque, plerumque tamen Principes dant, quales voluerint, fœminas, Clericos &c. Neque obſidum datione principalis obligatio tollitur, nec aufugere obſidi, nec recipienti eum interficere, promiſſis haud adimpletis, licet.

§. DCCLI.

Obſidis definitio

Obſidum dationem hic conſideramus ut conventionem, qua alicui perſona tertia traditur ea lege, ut tamdiu retineatur, donec promiſſo, cujus intuitu erat data, ſatisfiat. *Obſides* igitur (quos ita dictos putant, quia obſidionis ſolvendæ cauſa plerumque dantur, utut *Feſtus* eos quaſi obſides dici malit, quia ob fidem patriæ præſtandam dantur,) ſunt perſonæ alicui ea lege traditæ, ut retineantur, donec dans ſatisfecerit promiſſo, & differunt a vadibus eo, quod obſides nonnunquam inviti dentur, *vades* ſemper conſentientes, cum ſint ſponſores ſiſtendi aliquem in judicio, & quidem capitali, cum ex adverſo *prædes* dentur in cauſis numariis, tanquam fidejuſſores pro re, de qua lis eſt. Quæ cum pignore obſes habeat communia, quæ propria, docet *Grotius* L. 3. c. 20. §. 59. *Valla* L. 6. c. 32. multique alii obſidem deſcribunt per eum, qui traditur imperio alterius ea conditione, ut ſi dator obſidis a fide recedat, recipienti ſit jus in corpus

pus & vitam obſidis. Suo autem loco docebitur, jus recipientis in vitam obſidis non ex obſidiaria obligatione, ſed aliunde eſſe derivandum, quo poſito tum definitio illa, tum omnia, quæ eidem ſuperſtruuntur ſponte concidunt. Nec melior mihi videtur illa *Baldi*, *Donelli*, *Alberici &c.* definitio, quod obſides ſint, qui fidei *publicæ* ſervandæ cauſa *Principi* aut Duci exercitus dantur. Nondum enim expeditum ſatis, numne & privatus dare & recipere obſides queat.

§. DCCLII.

Solos eos, qui armorum bellique jus habent, h. e. ſummos Principes obſides poſſe dare, communiter perhibetur, cujus rei rationem hanc qui reddunt, quod hominis ſtatum mutare ad ſolum Principem pertineat, arg. L. 1. §. 10. Dig. de poſtulando, obtuſis armis pugnare videntur. Majori ſpecie urgent alii, quod in obſidum datione recipienti jus in corpus & vitam obſidum concedatur, de qua ſolus Princeps ſtatuere poteſt. Forte & id quoque huic opinioni occaſionem præbuit, quod plerumque in obſidionibus obſides dari cernuntur, obſidendi autem jus, tanquam cum belli jure conjunctum, ſummi ſaltem ſit Principis, unde privatis, civitatibus, & magiſtratibus inferioribus jus obſides dandi a plurimis negatur. *an ſaltem a principe datur?*

§. DCCLIII.

At enim vero falſo ſupponitur, recipienti jus in vitam obſidum tribui. Nec enim ipſi ſummo Principi jus eſt, capite multandi innocentem, multo minus transferre illud in alium poterit. Omne potius jus, quod per obſidis traditionem transfertur, circa libertatem verſatur, quam cum privatus quilibet per dationem in ſervitutem abdicare penitus valeat, nulla apparet ratio, quare non ad tempus, & ad impletam usque conditionem, eam quaſi pignori in alterius ſecuritatem ſupponere queat? quod & uſus & praxis quotidiana confirmat. Quid enim frequentius, quam ut Chriſtiani a Turcis capti, mediaque ſe ſuosque redimendi conquiſituri, veniam abeundi impetrent, Turcisque ſecuritatis ergo quosdam ex ſuis tantisper relinquant, quibus quid ad obſidum qualitatem deſit, ego quidem non video. Et quem quæſo fugit, etiam civitates municipales hoſtibus in ſecuritatem contributionum promiſſarum ſæpiſſime obſides dare. *Neg.*

§. DCCLIV.

Obſides dantur potentioribus

Ii, quibus obſides dantur, plerumque dantibus eſſe ſolent digniores & potentiores, non quaſi negotii indoli repugnaret, obſides inferioribus dari, ſed quia ſuperiores dedecori ſibi ducunt, datam ſuam fidem ab inferioribus in dubium vocari, qua proinde ſola eos contentos eſſe jubent. Helveti Cæſari obſides petenti, ita ſe a majoribus inſtitutos reſponderunt, ut obſides accipere, non dare conſueverint. Plura exempla vide apud *le Bleu* de Obſidibus. §. 5. ſq. Belligerantes cum ſibi cenſeantur æquales, inſuper habito potentiæ reſpectu, utrinque obſides accipere ſolent, quo caſu de eo valde ſunt ſollieiti, ut obſides æqualium armorum præſidio permutentur. Exempla vide apud *Bodin.* de Republ. L. 5. c. 6. p. 940. ſq.

§. DCCLV.

nobiliſſimi

Qui obſides dantur ex nobiliſſimis deſumuntur, quoniam major in iis ſecuritas. Alexander M. bellum ab Illyriis pacta mercede, & Philippo fratre dato obſide redemit ap. *Juſtin.* L. 7. c. 5. Joannes Galliæ Rex ab Aneglis captus in ſecuritatem Tractatuum Bretignicenſium anno 1360. obſides dedit Ducem Aurelianenſem, Andegavenſem, Berriæ, Borbonium, plus minus duodecim Comites atque Barones, item potentiſſimæ Galliæ civitates aliquot maxime præſtantes viros mittebant ſingulæ *Froſſard.* L. 1. p. 62. Carolus V. Imperator captivum Galliæ Regem Franciſcum acceptis obſidibus liberis ejus, conditionibus Madritiano fœdere expreſſis, cuſtodia liberatum in Galliam redire permiſit, *Thuan.* L. 1. p. 11. Alia exempla vide collecta apud *Forſtner.* ad Annal. Tac. p. 484. ſqq.

DCCLVI.

etiam fœmina

Neque mares ſolos, ſed & fœminas nonnunquam obſides datas deprehendimus. De Clœlia aliisque virginibus, quas obſides dederant Romani, mirabilia lege apud *Dionyſ. Halicarn.* L. 5. c. 4. p. 416. De Auguſto memoriæ prodidit Sveton. c. 21. eum a quibusdam novum genus obſidum fœminas exegiſſe, quod negligi marium pignora ſentiebat.

Tiri-

Tiridates Armeniæ Rex obſidem filiam tradidiſſe literaque ſupplices ad Neronem legitur apud *Tacit.* L. 15. Annal. c. 31. p. 23.

§. DCCLVII.

Clericos nonniſi Pontificis autoritate obſides dari, fruſtra nonnulli contendunt arg. c. 21. cauſ. 9. qu. 3. Certe & ab Abbatibus atque Epiſcopis Monachos valide in obſides dari, diſcimus ex cap. 9. X. de jurejur. *Clerici*

§. DCCLVIII.

Extranei, ſeu ei, qui non ſunt ſubditi, nonniſi volentes dantur obſides. At ſubditi etiam inviti, quia ſubjectionis nexus eos ab imperantis arbitrio pendere jubet. At Vaſalli, quippe qui regulariter ſubditi non ſunt, inviti a dominis obſides dari nequeunt. Neque enim reverentia & obſequium, quæ debent Vaſalli, hucusque pertingunt. *Grotius* L. 2. c. 20. §. 52. *extranei*

§. DCCLIX.

Obligatio, quæ ex obſidum datione oritur, alia in dantibus, alia in accipientibus, alia in ipſis obſidibus cernitur. Dantes tenentur ad liberandos, quamprimum fieri poteſt, obſides, præſtando id, ſuper quo obſides, erant dati. Neutiquam enim datis obſidibus principalis obligatio tollitur. Fruſtra Franciſcus I. Galliæ Rex contra Granvellam Caroli V. legatum urgebat, liberatum ſe a promiſſa fide datis obſidibus. Quis enim neſcit, illos pariter ut fidejuſſores & pignora in majorem pactis accedere ſecuritatem. Acceſſorium autem quomodo principalem evertere poteſt obligationem? ut merito mirandum ſit, *Bodinum* de Republ. L. 5. c. 6. p. 932. & hoc urgere argumentum non dubitaſſe. *Obligatio eorum, qui obſides dant.*

§. DCCLX.

Belligerantes quoties obſides dant, eo ipſo colloquium poſtulare, tacitasque inducias pangere cenſentur, adeoque ex quo obſides ſunt dati, ab actibus hoſtilibus abſtinere tenentur, ſecus ac fecerunt Stollofenſes a

Svecis obsessi. Simul enim ac obsides a Svecis datos acceperant, tormenta in Svecos emiserunt, quam fraudem sanguine expiare opus habuissent, nisi mulierum legatione lenito Haubaldi Præfecti Svecici animo contra spem conceptam tolerabiliorem nacti fuissent conditionem. Vid. *Joseph. Riccius* de Bell. German. Lib. 6. p. 401. ex eoque *le Bleu* de Obsidib. §. 49.

§. DCCLXI.

Obsidum obligatio

Ipsi obsides qua tales (secus si forte simul sint sponsores) saltem ut securitas accessoria principali promisso, a dantibus facto, accedunt, nec ipsi tanquam fidejussores de principali negotio tenentur, sed saltem ad securitatem, quam ipsorum detentio conciliat, præstandam, unde, fugere ipsis non licere, consequitur. Sufficit quippe, quod ex conventione sint dati, quam fallere illicitum. Nec præter intentum a paciscentibus finem, majorem puta securitatem, admittenda videtur *Grotii* distinctio L. 3. c. 20 §. 54. putantis, obsidi fugere non licere, si ab initio aut postea, quo laxius haberetur, fidem dederit, alioqui videri, non eum animum fuisse civitatis obligandi civem, ne aufugeret, sed hosti dandi facultatem qualis vellet custodiæ.

§. DCCLXII.

fugere nequeunt.

Et sic putat Grotius defendi posse Clœliæ factum, quæ a Romanis Porsennæ obses data, etsi aufugiendo ipsa nihil peccaverit, civitatem tamen recipere & retinere obsidem non potuisse, recteque Porsennæ restituisse. Putarem omnino civitati obligandi obsidem, ne aufugeret, animum fuisse, ac proinde Clœliam quidem peccasse, peccando tamen, fugiendo, Tiberimque tranatando ostendisse fortitudinem, quæ merito commovit Porsennam, ut redditam sibi obsidem liberam dimitteret. Vid. *Livius* L. 2. & *Dionys. Halicarn.* L. 5. c. 4. Alio tempore suo jure usi Romani Tarentinorum obsides fugientes retractos, ac virgis diu cæsos, de Tarpejo dejecerunt ap. *Liv.* L. 35.

§. DCCLXIII.

nisi cesset conditio

Certe si obses dimittitur sub conditione, ut alterum faciat redire, si hic præmoritur, obses redire non tenetur, quia cessat causa, ob quam

erat.

erat datus, ſicut & obſes ad alterum redimendum datus, hoc mortuo, eandem ob rationem libertati eſt reſtituendus, quod *Grotius* l. c. §. 56. illuſtrat exemplo Demetrii Syri (ap. *Juſtin.* L. 34. c. 3.) qui obſes Romæ fuit, cognitaque morte Antiochi fratris ſenatum adiit, obſidem, inquiens, ſe vivo fratre veniſſe, quo mortuo cujus obſes ſit, ſe ignorare, dimitti igitur ſe petiit, quod cum denegaretur, fuga ſibi conſuluit. *ſub qua dati.*

§. DCCLXIV.

Qui obſidem accipit jus eum retinendi & cuſtodiendi habet. Præterea autem nec in perſona nec bonis obſidis quicquam juris conſequitur. Securitas enim, quæ per obſidum receptionem intenditur, ſola cuſtodia poteſt obtineri, adeoque plus juris in accipientem translatum regulariter non cenſetur. Cui eſt conſequens, obſides nec ſervos fieri, nec bona amittere, ſed illa ad heredes tum teſtamentarios, tum ab inteſtato regulariter transmittere. Peculiare eſt, quod jure Romano obſides nonniſi prævia permiſſione teſtari queant L. 11. Dig. qui teſtam. fac. poſſ. alias autem fiſcum heredem nanciſcantur L. 31. Dig. de jur. fiſc. in quam legislationem ii, qui Romanis obſides dabant, tacite per eorum traditionem conſenſiſſe videntur. *Jus & obligatio obſides accipientium.*

§. DCCLXV.

Inde, quod præter retentionem & cuſtodiam per obſidum dationem accipientibus nil juris acquiritur; multi porro inferunt, obſidem non ſervato aut adimpleto promiſſo, cujus intuitu erat datus, interfici tamen non poſſe, etiamſi ea conditione, & ſub poteſtate necandi, ſi pactis non ſtaretur, fuerit datus, nam Rempublicam vel Principem in vitam & corpus obſidis innocentis jus non habere, nec proinde transferre in alium poſſe, imo nec accedentem ipſius obſidis conſenſum quicquam operari, quia nec is in vitam ſuam jus & poteſtatem habet. *promiſſo non ſervato, interficere obſidem nequeunt qua talem*

§. DCCLXVI.

Verum tamen hæc omnia id ſaltem evincunt, vi conventionis & obligationis obſidiariæ obſidem vel vadem, ſi pactis non ſtetur, occidi *ſed qua hoſtem*

non posse, quorsum spectat historia Damonis & Pythiæ apud *Valer. Max.* L. 4. c. 7. quæ tamen non impedit, quo minus in casu frustratæ fidei belli jure occidatur obses, si saltem ejus, a quo est datus, subditus aut belli socius fuerit. Expeditum siquidem est, hosti hostem occidere licere, & licet a statu belli per conventionem obsidiariam in tantum sit recessum, ne hostiliter habeantur obsides, hæc tamen obligatio est reciproca, & conditionem continet, ut alter promissis stet, qua cessante ipsa cessat obligatio, reditur ad statum belli, bellique jure obses, si non qua talis, certe qua hostis juste occiditur, quorsum pertinent exempla obsidum occisorum in Annalibus passim obvia. Ducenti & quinquaginta a Thessalis apud. *Dionys. Halicarn.* L. 6. Volsci Aurunci ad trecentos a Romanis interfecti apud *Livium* L. 2. c. 16. Idem a Gothis & Anglis factum esse ex *Procop.* Goth. Lib. 1. & *Polydor. Virgil.* Rer. Angl. L. 5. c. 7. discimus.

§. DCCLXVII.

Sæpe tamen hoc jure non utuntur

Interim cum durum sit, ab innoxiis obsidibus, qui nihil deliquerunt, sed meliora potius de sua Republica præsumserunt, supplicium sumere, generosius omnino agunt, qui jure suo non utuntur, nec in obsides sæviunt. Scipionis exemplum vide apud *Livium* L. 28. c. 34. Et Narses Justiniani Dux, utut hostium perfidia, suorumque adhortationibus accensus, non tamen ad obsidum Lucensium cædem impelli potuit apud *Agathiam Myrrhinæum* Historiar. Lib. I. Recentius Caroli Audacis Burgundiæ Ducis exemplum vide apud *Cominæum* L. 2. p. 352. qui obsides Leodiensium pacifragorum salvos dimisit sub sola cohortatione, ut civibus suis pacem colendam suaderent, ipsi autem arma non sumerent.

§. DCCLXVIII.

An obses ob causam datus ob aliam potest retineri.

Non minus anceps est quæstio, num obses ob unam causam datus ob aliam possit retineri? Si obses datus est extraneus sive non subditus, ex suo saltem tenetur consensu, quem ubi ob unum saltem debitum interposuit, ob aliud detineri nequit. At obses subditus si datur ad certam causam, e. c. durante bello ad petendum colloquium, tunc ite-

iterum manifeſta eſt paciſcentium intentio, quod ad ſolam hanc cauſam obſides ſint dati, nec ob aliam detineri poſſint, niſi forte alter, qui dedit obſides, durante illo tempore, quo obſides detinentur, datam fidem aliqua in re prius fregit, tunc obſes retineri poteſt, non qua talis, ſed jure repreſſaliarum, quo ſubditi ex facto imperantium retineri poſſunt. *Grotius* L. 3. c. 20. §. 55.

§. DCCLXIX.

Tollitur obligatio ex conventione obſidiaria orta per præſtationem debiti, in cujus ſecuritatem obſes erat datus. Sed anne & morte ejus, qui dederat ?Id manifeſtum, morte Regis, qui obſidem Reipublicæ nomine dedit, hunc non liberari, quia a Republica eſt datus, quæ etiam poſt Regis fata manet ſuperſtes. Sed etiamſi a Rege ex ſolo perſonali fœdere, aut obligatione alia, obſes fuerit datus, hic tamen non aliter per Regis mortem liberabitur, quam ſi debitum cujus intuitu erat datus, perſonale plane fuerit, ſeu præſtatio quæ ab alio perfici non potuerit e. c. de redeundo in carcerem. Tunc enim extincto debito principali extincta cenſetur obligatio acceſſoria. At ſi tale fuerit debitum, quod & ab heredibus defuncti poteſt exſolvi, tamdiu tenebitur obſes, donec illi ſatisfecerint.

Quibus modis tollitur obligatio obſidiaria.

TITU-

TITULUS XIX.

DE

Obſtagio vulgo Einreiten/ Einlager.

* *
*

Obſtagium, ſeu interpoſitio fidei de migrando, ni promiſſa præſtentur, in locum certum ipſis Principibus olim uſitatum, in deſuetudinem fere abiit, & noſtri Imperii legibus, ſola Holſatia excepta, abolitum.

§. DCCLXX.

Obſtagi definitio & exempla.

Obſtagium * eſt pactum, quo quis in majorem contractus ſecuritatem promittit, ſe niſi promiſſa præſtiterit, in locum certum migraturum, indeque non prius diſceſſurum, donec ſatisfecerit. Priſcis temporibus obſtagia fuiſſe celebrata ab ipſis Regibus, Principibus, Eccleſiis, qui vice ſua ** potiores ſubditos in locum obſtagii mittebant, obſervat *Beyer.* Jur. Germ. L. 3. c. 12. pos. 12. Ex antiquo quodam diplomate ſequentia affert *Juſt. Henning. Bœhmer:* de Clerico debitore p. 75. Ex alia parte Dominus Jmperator Otto promiſit, fide data Theodoro (Misniæ) Marchioni, quod ſibi bonus & propitius dominus abhinc in antea erit, & quod ei aſſiſtet contra omnem hominem, & nunquam eum deſerat &c. Et hoc pro eo & de ejus voluntate & mandato promiſerunt data fide juraverunt frater ejus Henricus Palatinus Comes Rheni & Dapifer, & alii VIII. ſi forte quod abſit, ex parte Imperatoris non obſervaretur convenientia, omnes iſti, qui juraverunt, civitatem Miſniam intrabunt, nec inde recedent, ſine licentia Marchionis, excepto ſolo Dapifero, qui in hoc

hoc casu, Goslariam intrabit, inde nunquam recessurus sine voluntate & licentia Marchionis. Actum ap. Franckenfort MCCXII.

Suggerit & Historia Saxonica obstagium maxime illustre ad quod Ernestus Elector Saxoniæ, & frater ejus Germanus Albertus Animosus cum magno Comitatu peragendum Duci Silesiæ Joanni II. Sagano, qui illis ditionem suam pro 40000. florenis Hungaricis vendiderat, 1472. se obstrinxerunt his verbis: so geloben Wir Selbstschuldig bey unsern Fürstlichen Trauen, und Wir Bürgen bey Trauen und Ehren von Stund an nach demselben Tag, wenn Wir von der genanten Sachwaltigen oder Globern oder getreuen Händern ermahnet werden brieflich oder mündlich hin zu reisen wo es unsern Sachwalden oder Globern am allergeitlichsten und bequemsten seyn würde, in dem Reich, in dem Königreich zu Boheim, oder in Schlesien, oder in unsern Landen, als obgerührt ist, in ein erbar Gasthaus, Wir selbstschuldigen vor unser Person mit 20. pferden, und Wir Bürgen ein jegl. personl. mit 4. Pferden und 3. Knechten, die von Lipzck mit 10. pferden, 2. aus dem Rath mit 8. Knechten, und süst die andern Städte jegl. mit 5. Pferden, 2. aus dem Rath mit 3. Knechten und allda ein recht Innlager zu halten, aus der Stadt oder aus der Herberg nicht zu kommen, Wir haben denn den genanten Sachwaltigen und Globern oder getreuen Händern die obgeschriebene Summe Geldes und was von nicht Bezahlung wegen Schaden darauf gangen wäre, mit samt dem Haupt-Guthe bezahlen und ausrichten lassen.

Simile obstagii pactum additum venditioni, qua 1427. Marchiones Brandenburgici Noribergensibus Sylvam cum arce vendiderunt.

Pactis dotalibus de 1310. inter Leopoldum Austriacum & Catharinam Sabaudam fuit additum: Pro cautione seu securitate solutionis dotis (8000. Marc. argent.) ipsi Duci centum fidejussores seu obsides idoneos dare debemus, quorum quinquaginta ad minus existant & residentiam habeant a Friburgo citra versus terras Comitis antedicti qui Sacramentis corporalibus prædictis obligati erunt ad recipiendum & præsentandum se in obstagium vel per se vel per alium suo nomine in Villa Friburgi spatio unius mensis si solutio argenti prædicti facta non fuerit integraliter hoc adjecto: Si nos aliquos Cives Friburgenses vel Bernenses constituerimus pro fidejussoribus

domino duci, quod Friburgenſes in Berna & Bernenſes in Friburgo obſtagium obſervare debeant usque ad ſolutionem integram pecuniæ & ſi aliquis prædictorum obſidum ſeu fidejuſſorum ante primam ſolutionem quatuor millium marcarum argenti mori contingeret, in locum ipſius æque idoneum infra unius menſis ſpatium ſubrogare debemus, poſtquam fuerimus requiſiti Aliud exemplum excitavimus de Matrimon. §. 171. In Camera imperiali 1544. in cauſa Baden contra Baden judiciatum, daß Marggraf Ernſt die Unkoſten ſolcher Leiſtung halben erlitten zu erſtatten ſchuldig. Vid. Gail. L. 2. Obſ. 45. n. 2.

* Alio ſenſu obſtagium pro pignore occurrit de dote §. 579.

** Obſtagii obligatio eſt perſonaliſſima, & ubi a debitore perſona aliena pro debiti ſecuritate datur, res in aliud negotium, ac obligationem obſidialem tranſit. Quando itaque dicitur Principes miſiſſe potiores ſubditos in obſtagium, hoc ita intelligendum, quod illi ſubditi prius debitum in ſe receperint, ac pro Principe fidejuſſerint. Facit huc locus *Albert. Krantzii* Saxon. L. 12. c. 7. Rex autem, cum ad conſtitutum terminum magnam a Lubecenſibus pecuniam mutuam accepiſſet, dedit fidejuſſores ex Proceribus Holſatiæ hac lege, ut niſi in convento termino pecunia renumeraretur, Lubecenſibus permiſſa ſit facultas evocandi fidejuſſores in ſuam urbem, non egreſſuros niſi ſolutione peracta.

§. DCCLXXI.

Modus & finis

Finis hujus negotii erat, ut debitor, ſumtuum tædio correptus, ad ſatisfactionem pro debitis compellatur. Nam debitor, ſimulac creditor vel judex deſideraverit, ſo bald er zum Einlager gefodert, ſuis ſe ſumtibus in locum vel pacto definitum *, vel a creditore pro lubitu definiendum, ſe conferre cum famulis & equis, quorum numerus itidem pacto determinari ſolebat, & ibidem usque ad præſtitam ſolutionem alere tenebatur. ** Unde ædes debitoris pro loco obſtagii aſſignari non poterant, quia ibi debitor ordinariis ſumtibus vivens, parum ad debitum ſolvendum compelleretur ſicut nec vice verſa ædes creditoris aſſignari poterant, ne durius haberetur debitor. Ante factam ſolutionem qui obſtagium ſine juſta cauſa e. c. incen-

cendium, pestem &c. deserebat, prævia judicis sententia infamiam incurrebat. Conf. Land-R. L. 2. art. XI.

* Si quis pluribus creditoribus ad obstagium se obstrinxit, id omnibus præstandum eo in loco, quem primus creditor designavit.

** Ipse debitor si non habet, unde sustentare in loco assignato se possit, a creditore (nisi hic obstagium remittere malit) alendus, sed parcius, ita ut nobili quotidie non ultra 3. asses Lubecenses 3. Schilling concedantur.

§. DCCLXXII.

Ipsum obstagium famam non onerat, nec pro carcere habendum, *effectus* quod perperam existimant *Lynckerus*, *Bœhmerus*, *Ludewigius*, confutati a *Joachimo Friccio* in Wiederlegung der ungegründeten Meinung, daß die Beziehung des Einlagers der Ehre nachtheilig, Hamburg 1732. 4. ubi ostendit, obstagium saltem esse medium suum consequendi, non autem carcerem. Carcer enim delictum supponit, obstagiatus autem nihil deliquit, nec fidem fregit. Non enim simpliciter solutionem promisit, sed alternative, se aut soluturum, aut obstagium subditurum. Dissentiunt atque in Holsatia debitores, in obstagio mortuos, honesta sepultura privari docent *Reinhold Frid. Sahme* de Sepulturæ denegatione diss. 2. Regiom. 1710. §. 19. & *Reyher* JCtus Kilon. diss. de Singularib. quibusdam obstagii jurib. §. 27. provocans ad exemplum, quod superiori Seculo in pago quodam Slesuicensi, Gettorp dicto, contigit, ubi nobilis ex Suevorum familia oriundus, & in obstagio mortuus, stillicidio templi suppositus, quoniam vero a lascivis pueris sæpius extractus, tandem Serenissimi jussu sepultus. Mallem tamen miseram hanc debitoris sepulturam ipsius paupertati, quam pœnæ infamanti tribuere.

§. DCCLXXIII.

Ob nimios autem sumtus, in hæc obstagia impendendos, eadem per *abrogatio.* Rec. Imp. de 1577. tit. 17. §. ult. & penult. in tantum fuerunt abrogata,

 ut

ut quidem in obligationibus ante dictum annum contractis valida permaneant, adeo ut (ſi modo talis caſus contingere poſſet) heredes debitoris qui ſe ſuosque heredes ad obſtagium ante 1577. obligavit, ſinguli in ſolidum hodienum obſtagii jure, quippe quod individuum eſt, teneantur. Vid. *Rhet.* Inſt. Jur. publ. L. 3. T. 2. §. 6. At in obligationibus poſt illum annum contractis proceſſus ſuper obſtagii clauſula denegentur, excepta ſola Holſatia, cui R. I. 1654. §. 171. in fin. hæc jura expreſſe reſervantur. Effectum Obſtagia in ſola debitoris perſona exerunt, jus autem nullum reale, nullamque hypothecam in bonis debitoris producunt. Plura de iis qui noſſe cupit, adeat *Jo. Otton. Taboris* diſſert. de jure Obſtagii *Joach. Potgieſeri* Commentar. de Obſtagio ſeu pignor. perſ. ubi erudite oſtendit, Obſtagii uſum non demum ſub interregno cœpiſſe, ſed a Carolingicis temporibus eſſe arcendum.

TITU-

TITULUS XX.

DE
Fidejussione & Guarantia.

* *
*

Fidei pro alieno debito interpositio subsidiaria fidejussio, & in illustribus præsertim causis Guarantia vocatur, quam privatus quoque in publica pace suscipere valet. Dum autem fidejussoris obligatio subsidiaria est, ipsi excussionis & ordinis beneficium regulariter competit.

§. DCCLXXIV.

De voce Guarantiæ jam L. 1. T. 4. §. 187. monuimus, latius eam patere fidejussione, & quamvis facti alieni promissionem comprehendere. Hoc loco tamen eatenus saltem, quatenus fidejussionem comprehendit, consideratur. Exempla fidejussionum & Guarantiarum, a Principibus susceptarum, passim in Pacis fœderumque tabulis deprehenduntur. Paci Olivensi inter Sueciam ex una, & Poloniam, Cæsarem & Brandeburgicum Electorem ex altera parte d. 3. Maj. 1660. conclusæ Galliæ Rex non modo ut mediator, sed & ut fidejussor & Guarantator intercessit. Interea art. 36. verba apposuisse juvabit, prout ea exhibet *Loccenius* Histor. Suecan. pag. 920. sq. Cum autem pro majori securitate hujus pacificationis tam Serenissimus & Potentissimus Rex Sueciæ, quam Serenissimus & Potentissimus Rex & Respublica Poloniæ, & Serenissimus Elector Brandeburgicus postularint, ut Serenissimus & Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus *Fidejussionis & Guarantia*

Ludovicus XIV. Galliarum & Navarræ Rex Christianissimus, cujus ope ac studio inter præmemoratos Serenissimos Reges & Serenissimum Electorem Brandeburgicum pax promota, & *mediatione* ad optatum finem perducta est, executionis & observationis illius inter eosdem *fidejussor* existeret. Sacra Majestas Christianissima postulationibus ac votis illorum annuens, eodemque animo pacis hujus perpetuitatem exoptans, quo eam procuravit, pro se ac *successoribus suis*, Regibus Galliæ, spondet, ac promittit, idque per illustrissimum ex excellentissimum Dominum Antonium de Lumbres legatum suum plenariis mandatis ad hanc *Guarantiam* cavendam instructum, se executionem horum pactorum, eorumque observationem ac perpetuitatem intra eosdem supra nominatos Principes omni meliori, quo fieri potest, modo etiam armis ubi amicabilia media non processerint, asserturam. Et si quis eorum sub hac *fidejussione* comprehensorum illa violarit, arma viresque suas parti læsæ ad ejus requisitionem juncturam. Quod ut firmius omnibus constet, promittit dictus Dominus legatus Gallicus, se ratificationem Regis sui super hanc *Guarantiam* eodem tempore, quo ratihabitiones pacis commutabuntur, extraditurum. Integrum quoque erit paciscentibus omnibus, eandem Christianissimi Regis *Guarantiam & fidejussionem* suscipere, & alios quoque in tempore ratihabitionis ad idem officii genus invitare, & denominare Principes & potestates.

§. DCCLXXV.

exempla. Aliud exemplum præbet pax Hafniensis inter Sueciam & Daniam 27. Maji 1660. inita apud eundem *Loccen.* Hist. Suec. p. 949. ubi art. 34. verba sequentem in modum fluunt: Et quia Regiæ Majestatis Christianissimi Regis Franciæ & Navarræ, ut & Celsissimæ Reipublicæ Angliæ, & Præpotentium Dnn. Generalium Ordinum fœderatæ Belgicæ respective Ordinarii legati, Commissarii ac Deputati Plenipotentiarii pariter nomine suorum sublimium dominorum ac Principalium in eo majorem securitatem & confirmationem horum promiserunt, & universe tres Status junctim mediante generali *guarantigio*, ut & singuli separatim speciali *guarantigio* se obligarunt, velut se hoc ipso optimo modo, & in amplissima ac tutissima forma, qua fieri potest, se invicem obligant & obstringunt, quod velint esse *Guarandi* ac *fidejussores* pro omnibus hic peractis - - - Proinde ab illis non solum

ſolum ut mediatoribus, ſed etiam ut *Guarandis* & *fidejuſſoribus* ac vindicantibus in caſu contraventionis ab alterutra parte deſideravimus, ut in ulteriorem fidem & firmius teſtimonium hæc nobiscum ſubſcribere & obſignare velint.

§. DCCLXXVI.

Accipit fidejuſſores creditor ſuper quovis credito. Jure civili tamen uxor ratione dotis, (hodie melior ſecuritas in dotalitiis habetur) a marito repetendæ, fidejuſſorem exigere, imo ultro oblatum accipere prohibetur tot. tit. Cod. ne fidejuſſores vel mandatores dotium dentur. Fidejubet quivis, qui ſe obligare valet. Unde jure civili pupilli & minores accedente tutorum vel Curatorum autoritate fidejubere quidem poſſunt, ſalvo tamen beneficio reſtitutionis in integrum. In quantum fœminæ fidejubere civili lege SCto puta Vellegano prohibeantur, quisque ejus inter illuſtres fœminas ſit uſus Tit. ſq. videbimus. *Quis fidejubere poteſt?*

§. DCCLXXVII.

In præſenti id potius diſpiciendum nobis videtur, num Princeps nomine Reipublicæ, cui præeſt, fidejubere poſſit? Formula quidem cujusque Principatus & territorii ſpecialem ſuppeditabit deciſionem. Regulariter autem ſicut Princeps ne propriis quidem debitis, ita multo minus alienis ac fidejuſſionibus territorium onerare poterit. Fidejuſſio autem & Guarantia, quæ ſuper pace aut fœdere interponitur, tanquam hujus acceſſorium, merito jure principalis ſui cenſebitur, ita ut ſi jus belli & fœderum penes ſolum Principem exiſtit, ſolus etiam Reipublicæ nomine Guarantias valide ſuſcipiat, ſin illud cum aliis e. c. ordinibus communicatum, horum quoque in Guarantiis ſuſcipiendis conſenſus neceſſarius ſit. De Lucernatibus *Bodinus* de Republ. L. 6. c. 2. p. 1000. cum enim, ſcribit, Henricus II. Rex Francorum a Lucernatibus per legatos peteret, ut pro ſe fidejuberent, Hugo Prætor maximus legato reſpondit: Senatum populumque Lucernatem ipſosque magiſtratus juratos eſſe publicas poſſeſſiones ſe nec diſtracturos, nec pignori obligaturos. *an Princeps nomine Reipublicæ*

§. DCCLXXIIX.

§. DCCLXXIIX.

an privatus in publica pace

Num & privatus publicæ pacis Guarantiam suscipere seu pro ea fidejubere queat, Juris Gentium Doctores disceptant. Negativam tuentur *Coccejus* de Guarantia Pacis Sect. 5. §. 1. & *Glafey* im Vernunfft- und Völcker-R. p. 225. qui jura armorum belli & pacis, tanquam necessarium requisitum, in guarantatore desiderant. Ratio tamen, quam hanc in rem afferunt, quod privati vires haud sufficiant paci publicæ tuendæ id saltem evincit, majorem a Principe quam privato securitatem esse expectandam, inde tamen non sequitur, quod nullam plane pacis securitatem privatus præstare valeat, cum contrarium exempla passim obvia satis testentur, quorum nonnulla ex §. XI. dissertationis *Mascoviana* de jure fœderum apponemus. In pace 1200. inter Philippum II. Regem Franciæ & Joannem sine terra Regem Angliæ inita, Nos vero, inquit Joannes Rex Angliæ, dedimus Domino Regi Franciæ securitates ab hominibus subscriptis, scil. Balduino Comite Albæ Marlæ &c. qui juraverunt hoc modo, quod ipsi cum omnibus feudis suis circa mare ad Dominum Regem Franciæ irent, si hanc pacem ei non teneremus, sicut est divisa. Dominus quoque Rex Franciæ similiter nobis dedit securitates de hominibus suis subscriptis scil. Comite Roberto Drocar &c. qui similiter hoc modo juraverunt, quod cum omnibus feudis suis ad nos venirent, si Dominus Rex Franciæ hanc pacem non teneret, sicut est divisa. Vid. *Leibniz*. Cod. Jur. Gent. Diplom. P. 1. p. 8. Idem in Atrebatensi pace 1435. inter Carolum VII. Galliæ Regem & Philippum Bonum Burgundiæ Ducem sancita art. 29. eadem ratione constitutum est. Vid. Recueil des Traittez T. 1. p. 471. Simile fere quid Ferdinandus Magnus Dux Hetruriæ in pace, pro restitutione castri & insulæ d'If 1598. cum Henrico IV. Galliæ Rege inita, stipulatus est, nimirum ut pro summa pecuniæ, quam promittebat Rex, XII. proceres in eum casum, si a Rege non solveretur, fidem suam obligarent. Vid. Recueil des Traittez T. 2. p. 614.

§. DCCLXXIX.

quod solenne

Imo solenne erat priscis temporibus, ut Principes conventionibus suis gravioris momenti nonnullos ex Ordinibus tanquam fidejussores accedere juberent, qui tamen tunc publico totius provinciæ nomine intercedere videntur.

dentur. Sic pacto connubiali, quo Georgius Saxoniæ Dux filio suo Joanni tunc quatuor annorum Elisabetham Wilhelmi Hassiæ Landgravii filiam 1505. despondit, in fine additur: zu dessen mehrerer Versicherung haben beyde Fürstl. Contrahenten, jeder vier seiner Grafen, so viel von seiner Ritterschafft, und gleichfalls so viel von seinen Ständen zu Bürgen gesetzet.

§. DCCXXC.

Certe cum & in publica pace aliisque negotiis publicis præstationes pecuniariæ haud raro promittantur, nulla cernitur ratio, quare harum saltem fidejussionem & guarantiam suscipere nequeant privati. Pactis dotalibus inter Carolum Burgundiæ Ducem & Margaretham Eduardi IV. Regis Anglorum filiam Bruxellis 1467. conclusis additur: Nec non etiam promittunt iidem Ambassiatores, quod prænominatus Dominus Rex faciet & procurabit cum effectu, quod mercatores stapulæ Calesii tanquam corpus & collegium, & etiam tanquam particulares personæ qui nunc sunt, & qui pro tempore erunt, ita quod obligatio corporis seu collegii non deroget obligationi particulari nec contra, aut alii mercatores Anglici in oppido Brugensi ac alibi in dominiis præfati Domini Ducis residentes, sufficientes & idonei, bona sufficientia in iisdem dominiis habentes, vel mercatores Italici etiam ad hoc sufficientes se constituant promissores ac principales debitores nomine dicti Domini Regis pro dictis centum & quinquaginta millibus scutis auri valoris supra dicti ad solvendum restantibus de dicta dotali summa ducentorum millium Scutorum auri - - - - - - - - Et si forte literæ prædictæ comperirentur minus sufficientes respectu personarum obligatarum, aut etiam formæ dictarum obligationum, dictus Dominus Rex tenebitur, antequam eadem domina, ut prædictum est, adducatur, alias literas sufficientes in loco & manibus prædictis deliberari & expediri facere, aut in ipsarum literarum & obligationum defectu, idem Dominus Rex deliberabit & expediet infra tempus prædictum in manibus dicti Thomæ Portunarii (mercatoris) pro securitate totius summæ prædictæ aut partis, pro qua sufficientes obligationes mercatorum prædictorum traditæ & deliberatæ non fuerint, pignora mobilia valore sufficienti ad æstimationem expertorum ad hoc notitiam habentium.

in causis pecuniariis

In Capitulatione Caroli VII. & Francisci I. Imperatorum art. 4. §. 17. cavetur: Es soll von wegen derer durchziehenden (Kayserlicher oder deren Hülffs-Völcker) gnugsame Sicherheit und annehmliche Bürgschafft mittelst hinlänglich angesessener Wechseler und Kauffleute in Reichs-Städten gegeben werden.

§. DCCXXCI.

Requisita fidejussionis

Contrahitur fidejussio consensu eorum, quorum interest. Quod jure Romano nonnisi interveniente solenni stipulatione fidejuberi poterat, mere civile erat, nec hodie inter privatos quidem requiritur, ad summos autem imperantes nunquam pertinuit. Simpliciter igitur consensum intervenire sufficit, & quidem primo fidejussoris, quippe de quo obligando agitur, deinde creditoris, hujus enim est judicare, num sufficiens adsit in oblato fidejussore securitas *, denique & ipsius debitoris, cujus licet fides per fidejussoris accessionem augeri, nec proinde ejus consensus necessarius videatur, negligendus tamen ille non erit, quia fidejussor jus habet solutionem seu præstationem a debitore urgendi, eamque quam ipse pro illo fecit repetendi, multum autem præsertim inter Principes liberasque gentes interest, quot & quosnam habeas exactores. Invito igitur debitori nemo se tanquam fidejussorem poterit obtrudere.

* Si erravit, & fidejussorem inidoneum accepit, alium magis idoneum postulare poterit, non autem si sciens inidoneum accepit.

§. DCCLXXXII.

Pro invito nulla fidejussio.

Atque hinc non modo inter privatos ei, qui pro invito fidejussit, vel solvit, omnis denegatur actio L. 40. Dig. mandati, sed & inter gentes liberas alteri non permittitur, alterius inviti rebus se immiscere, aut, si quando paciscentes hanc se immiscendi licentiam concedere alliis velint, in ipsis conventionum tabulis exprimi id solet. In pace Neomagensi art. 34. Imperator & Rex Christianissimus consentiunt, ut omnes Reges, Principes & Respublicæ super executione & observantia tam omnium, quam singulorum, quæ præsenti tractatu continentur, alte memoratis Sacræ Cæsareæ Majestati & Sacræ Regiæ Majestati guarantiam præstent. Similis fere est clausu-

clausula pacis Rysvicensis art. 54. ibi : aliis quoque Regibus Principibus & Rebus publicis - - - - - Sacræ Cæsareæ Majestati Imperioque & Sacræ Regiæ Majestati Christianissimo guarantiam præstare, semper fas erit. Harum clausularum utilitas non quidem nulla est, cum per modo dicta tribuant facultatem alienis rebus se immiscendi, non tamen adeo magna, quia fœdus cum parte læsa ineundo idem finis citra talem clausulam facile obtineri poterit.

§. DCCXXCIII.

Consensus super fidejussione tum verbis tum factis declaratur, dum modo ita comparata sint, ut obligandi voluntas inde possit colligi. Hinc mediatorem agendo pacemque conciliando nemo ad fidejussionem aut Guarantiam pacis se obligasse censetur, imo ne subscribendo quidem, cum testimonii perhibendi, non autem obligandi causa subscriptio facta præsumatur, quod & eo valere existimo, ut proximus agnatus, qui mutuo, aliive agnati sui debito subscribit, saltem testimonii, non consentiendi, seque in eventum obligandi causa subscripsisse dicendus sit, cum omnis subscriptio salvo jure facta censeatur. *Per mediationem & subscriptionem fidejussio non inducitur.*

§. DCCXXCIV.

Priusquam in Comitiis Imperii Germanici fieret conclusum de 4. Febr. 1732. quo per majora ab Imperio suscipiebatur guarantia sanctionis pragmaticæ super successione Austriaca de 19. Apr. 1713. orta est quæstio, & exarata desuper deductio : Ob in materia guarantiæ die Majoritas votorum einen förmlichen festen Reichs-Schluß machen, und auch diejenige Status, so entweder andrer Meinung desfalls gewesen, oder aber sich wegen ihrer Votorum gar nicht positive herausgelassen, anjetzo und ins künfftige existente casu in vim constitutionis publicæ verbinden könne? qua de re nunc dubium nullum superest.

§. DCCXXCV.

Interponitur fidejussio seu guarantia vel super omnibus conventionis capitibus, & generalis vocatur, qualis occurrit in pace Olivensi art. 35. Osnabrugensi art. 17. §. 5. vel ad certas personas & causas restringitur, & specialis audit, qualis e. c. est Guarantia Sveciæ Regi ab Imperii Stati- *Guarantia vel generalis vel specialis*

bus de quinque myriadibus Imperialium thalerorum promissa in pace Osnabrugensi art. 16. §. 8. & 12. in fin.

§. DCCXXCVI.

Obligatio fidejussoris. Effectus fidejussionis consistit in obligatione, qua fidejussor creditori in subsidium * tenetur ad satisfaciendum pro debito, quod creditor a debitore principali consequi nequit. Mere igitur subsidiaria est fidejussoris obligatio in eventum, si debitum a principali debitore impetrari nequit suspensa, utut se obligaverit sub formula als Selbstschuldner, quippe qua debitor principalis ex nexu non dimittitur. *Beneficium Ordinis* Unde ex ipsa negotii indole fidejussori competit beneficium ordinis seu excussionis, vi cujus postulari ab eo solutio prius nequit, quam principalis debitor fuerit excussus, qui casus in statu civili tunc existit, si instituta coram judice actio deprehenditur inanis, inter liberas gentes autem, si media cogendi debitorem principalem ad præstationem promissam haud suppetunt, quare in guarantiis liberarum gentium *tacitum* subesse intelligitur fœdus de auxilio ferendo ei, qui in re, super qua guarantia est interposita, turbatur. Hinc nostra memoria Augustus Polonorum Rex tanquam guarantator pacis Olivensis Livonis suppetias tulit, cum a Svecorum Rege in privilegiis, illa pace firmatis, turbarentur. Invita autem parte læsa guarandus lædentem invadere non debet. Ex quo enim creditor juri suo renuntiat, fidejussor debitorem interpellare amplius nequit.

* Non tamen ulterius, quam fidejussit. Unde qui pro sorte fidejussit ad usuras non tenetur, & qui ad certum tempus fidejussit, eo elapso liberatur. *Titius* ad Lauterb. Obs. 1166. & 1070. it. qui super causa principali fidejussit, tenetur quidem etiam ad accessoria, quæ ex ipsa indole negotii principalis fluunt, non autem ad alia accessoria pacta de novo adjecta.

§. DCCXXCVII.

divisionis Plures ubi pro eadem re fidejusserunt, alterum se prodit fidejussorum beneficium, divisionis scilicet, vi cujus conjunctim mutuis auxiliis prius debitorem ad debitum præstandum adigere, aut si ille plane solvendo non existit,

existit, conjunctim pro rata quivis parte illud præstare tenentur. Si tamen ex ipsis fidejussoribus nonnulli solvendo haud deprehendantur, eorum quoque partem reliqui debent conferre. Heredes fidejussoris itidem pro sua quivis rata tenentur. Conf. L. 6. C. fam. ercisc.

§. DCCXXCVIII.

Tertium fidejussorum beneficium, quod est cedendarum actionum, *cedendarum actionum* in solo foro civili usum præbet, ubi licet mandati vel negotiorum gestionis actione ad solutum repetendum agi queat, utilis tamen hæc cessio esse poterit ob annexam e. c. hypothecam, aut qualitatem cambialem, vel aliam. Sic qui fidejubet in subsidium, ein Rückbürge, pro fœmina fidejubente SCto Vellejano se pariter tuetur L. 16. & 30. §. 1. Dig. ad SCt. Vellej. Fidejussorem ætas minorennis debitoris principalis non juvat t. t. C. de fidej. min. Ceterum nonnulli requirunt, ut fidejussor, antequam solvat, actiones sibi cedi curet, quoniam solutione actio extinguitur, nec proinde cedi amplius potest L. 76. Dig. de solutionibus. Rite tamen rem æstimando actiones tali casu per solutionem non tam extingui, quam alii vendi videntur L. 36. Dig. de fidejussionib. unde & in praxi etiam post solutionem a fidejussore factam cessio admittitur. Interim majoris cautionis ergo satius erit, eam ante solutionem fieri curare.

§. DCCXXCIX.

Renuntiari his beneficiis a fidejussore quidem potest, nec tamen talis renuntiatio ex solo infertur juramento, quo fidejussio forte fuit firmata, nec renuntiatio unius beneficii protinus & illam alterius involvit, imo ne generalem renuntiationem sufficere, vulgo volunt, sed ut vel singula speciatim, vel ad minimum unum subjecta clausula generali exprimantur requirunt. Effectus hujus renuntiationis e. c. cernitur in literis moratoriis, quæ debitori principali concessæ regulariter quidem etiam fidejussori prosunt, non autem si excussionis beneficio renuntiavit.

§. DCCXC.

Accidit quandoque, ut creditor eo tempore, quo debitor adhuc est *provoca-* solven-

tionis ad excipiendum solvendo, moras in exigendo nectat, utut solutionis tempus jam sit elapsum. Quo casu liberum est fidejussori, creditorem monere, ut in tempore debitum exigat, & in eventum moræ admissæ fidejussioni suæ renuntiare. Dum enim tempus & media, quibus creditor suum consequi possit indicat, suo functus videtur officio. Damnum autem quod forte postmodum creditor sentit, sua culpa sentire videtur. Atque hoc fundamento nititur provocatio ex lege famosa Si Contendat 28. Dig. de fidejussorib. qua provocans, h. l. fidejussor adversus provocati, seu creditoris, actionem in præsens exceptione, h. l. ordinis seu excussionis, tutus, cum tempore eam perituram metuat, alterum provocat, ut ad exceptionem suam replicet, aut perpetuum sibi silentium imponi patiatur.

TITULUS XXI.

DE

Senatus Consulto Vellejano, ejusque inter Principes usu.

*

* *

SCto Vellejano, quod fœminas ex fidejussione teneri negat, uti Principissæ quandoque possent, sed indecorum illud plerumque existimant.

§. DCCXCI.

Fœminarum fide- Superiori Titulo §. 776. quæstionem num & in quantum fœminæ fidejubere valeant, separatæ, quam nunc suscipimus, disquisitioni reservavi-

vavimus. Naturali jure quilibet homo rationis usu pollens, sive mas sit sive fœmina ex conventione serio inita, adeoque & ex fidejussione tenetur. Cum autem fidejussio ad ea pertineat negotia, quæ naturali jure non præcepta, sed saltem permissa sunt, hæc autem civili lege prohiberi, multoque magis circumscribi & restringi possit, dubitandum non est, posse fidejussionibus a legislatore civili modum certum poni, ita ut quidam ab iisdem vel plane arceantur, vel saltem certis intervenientibus solennitatibus & requisitis ad easdem admittantur. *jussiones naturaliter valida.*

§. DCCXCII.

Atque id a Romanis factum, dum SCto, quod ab Autore, Vellejo Consule, Vellejanum audit, constituerunt, ne jus adversus mulieres diceretur, quæ fidejussionibus & mutuationibus pro aliis intercessissent L. 2. Dig. ad SCt. Vellej. nisi *primo* fœmina fidejubens fuerit in dolo L. 2. §. 3. Dig. & L. 18. C. eod. quorsum & spectat palliata fidejussio, quando fœmina mutuum accipit, idque tertio in continenti reddit, hoc si ignorante creditore factum, ex palliata hac fidejussione valide mulier obligatur L. 4. pr. Dig. ad SCt. Vellej. (A palliata fidejussione differt apparens, ex qua fœmina itidem efficaciter obligatur L. 19. Dig. eod.) aut *secundo* pretium pro fidejussione acceperit L. 23. eod. aut *tertio* post biennium eam iteraverit L. 22. eod. Uxoris tamen pro marito intercessio nullatenus valet, etiamsi multoties iteretur Nov. 134. c. 8. indeque sumta Auth. Si qua mulier C. ad SCt. Vellej. (quod tamen ad fratres, aut amicos mariti non extendendum) aut denique *quarto* edocta de hoc suo beneficio * eidem renuntiaverit, quod & tacite fieri potest, si fœmina de SCto Vellejano admonita & certiorata nihilo secius fidejubet L. 32. §. 4. Dig. eod. & Nov. 118. c. 5. Extra hos casus si fœmina fidejubet, non modo ex tali fidejussione non tenetur, sed &, quod ejus nomine solvit, indebiti condictione repetit L. 8. 24. 31. Dig. ad SCt. Vellej. Atque hoc SCti Vellejani beneficium non modo fœminam fidejubentem, sed & virum, qui per ea in subsidium fidejussit, juvat Vid. Tit. præc. §. 12. unde & JCtis reale audit. *SCto Vellej. invalida*

* Frustra *Thomasius* de usu exiguo SCti Vellej. & *Ludewig.* de SCto Vellej. existimant, ex principiis Juris prudentiæ Romanæ SCto Velle-

Vellejano renuntiari non posse. Nam per talem renuntiationem totius legislationis finem & intentionem everti, cum fœminæ eadem facilitate, qua fidejubent, etiam SCto Vellej. renuntiant. Contrarium tamen solide ostendit *Bœhmer.* de efficaci mulierum intercessione, ubi recte negat, eandem utrinque subesse facilitatem, nam fidejussio contra SCtum fit ab ignorante L. 30. Dig. ad SCt. Vellej. at renuntiatio certiorationem requirit. Ex placitis júris Canonici SCto Vellejano recte renuntiari, expeditum. Vid. cap. 9. X. de jurejur. cujus occasione quæritur, an fœmina jurato fideiubens, nec tamen de suo privilegio certiorata, eodem uti possit. Affirmativa videtur verior, quia juramentum ex negotio principali, cui accedit, æstimatur, neque extendi debet ad non cogitata.

§. DCCXCIII.

ejus causa Num hæc legislatio demum sub Augusto & Claudio Tiberio Imperatoribus cœperit, quod innuere videtur L. 2. Dig. ad SCt. Vellej. an jam inde ab origine Reipublicæ Romanæ obtinuerit, quod mavult *Jo. Petr. a Ludwig* it. quæ ejusdem introducendæ fuerit causa, num quod fidejussio pro munere virili fuerit habita, aut ut imbecilitati sexus muliebris succurreretur, aut utrumque simul, quod ex cit. L. 2. colligerem, nostra in præsenti parum refert.

§. DCCXCIV.

æquitas Sufficit nobis, hanc legem non injustam, imo nec duram aut iniquam esse. Succurit enim imbecillitati mulierum, quæ, dum debitorem principalem solvendo esse existimant, ad fidejubendum solent esse faciles, nec imminens ex fidejussione periculum satis ponderant. Unde & ratio elucet, quare jura fœminas donare, constituere &c. sinant, fidejubere non item. In illis enim negotiis ortum exinde præjudicium magis est palpabile, ideoque ad illa non tam faciles esse solent, quam ad fidejussiones, quarum proinde intuitu SCto fœminis erat subveniendum. Quod tamen cum saltem debeat esse præsidium fragilitatis deceptæ, non asylum decipientis astutiæ, merito eodem indignæ censentur fœminæ, ideo fidejubentes, ut fidejussione, qua se non teneri norunt, incautos decipiant creditores, & quæ plane lucrum ex fidejussione aucupantur. Quæ vero

vero post biennium fidejussionem repetunt, sibi imputent, si quod sæpius cogitare poterant, & evitare, non effecerunt, sed ultro firmarunt. Uxoribus tamen magis, quam aliis mulieribus erat prospiciendum, quoniam illæ tum reverentiæ tum amore maritorum ad iterandam fidejussionem facilius possunt induci. Renuntiari denique huic SCto posse, ipsa ejus natura & indoles evincit. Continet enim illud non tam simplicem fidejussionum prohibitionem, quam beneficium fœminis contra eandam concedendum, ceu clare satis ex inspectione Titulorum Dig. & Cod. ad SCt. Vellejan. apparet. At beneficium cum invitis non obtrudatur, ejus sane renuntiatio permissa validaque esse debet.

§. DCCXCV.

De hodierno igitur SCti Vellejani usu si quæretur, id quidem exploratum est, applicari illud neutiquam posse Principissis, quæ vel ipsæ summum imperium tenent, vel saltem alius imperio non subsunt. Nititur enim SCtum mera civili lege, quare soli subditi eodem uti poterunt. Imo illustres subditæ licet hoc beneficium sibi applicare possint, indecorum tamen & infra dignitatem suam eodem uti existimant. Rara, si saltem ulla, sunt exempla fœminarum illustrium, quæ ab hoc SCto causæ suæ præsidium petere voluerint. Quare omnia, quæ in Jurisprudentia illustri hac de re dicuntur, vel dici saltem possunt, scholasticæ saltem sunt speculationes, quæ alium usum non præbent, quam ut constet, quid Principibus liceat, si forte jure suo uti velint. *Usus hodiernus*

§. DCCXCVI.

Sic utut concedamus, Augustam Imperatoris conjugem quandoque posse esse ejus subditam, SCto Vellejano tamen non utetur. *Titius*, qui alias non modo ipsis summis imperantibus leges suas civiles in passibus sibi utilibus prodesse, sed & Augustam jure communi uti, existimat, ipsius tamen conditioni haud convenire scribit Spec. Jur. publ. L. 5. c. 7. §. 4. ut utatur privilegiis, quæ ob fragile judicium fœminis concedi solent, hinc forte, pergit, SCtum Vellejanum non recte pro se allegabit. vid. *Hering.* de fidej. c. 7. §. 517. sqq. *An ad Augustam pertinet?*

§. DCCXCVII.

An ad Imperii Principissas.

Circa uxores & filias Principum Imperii Germanici, num ipsis SCtum Vellejanum prosit, dissentiunt inter se Doctores. Negativam tuentur *Hering.* l. c. *Schrader.* de feud. P. 10. Sect. I. n. 5. *Myler.* in Gamolog. c. 7. §. 29. quoniam in eas imprudentiam ac imbecillitatem non cadere vel saltem eidem ex consilii copia subveniri existimant. Ita judicatum 1633. in causa Principissæ Anhalt contra Comites Schwarzb. Rudelstad. ap. *Carpzov.* p. 2. c. 15. d. 9. & alia vice 1667. a fac. Jenens. ap. *Struv.* Synt. Jur. Civ. exerc. 21. th. 12. Affirmativa tamen, quod nimirum fœminæ illustres communibus ac ordinariis privilegiis, quale est SCt. Vellejanum orbari non debeant, præplacet *Lauterbachio* Concl. forens. Exerc. 28. th. 19. *Stryck.* Us. Mod. Tit. ad SCt. Vellej. §. 7. & *Godofr. Ludov. Mencken* de valida intercessione mulieris SCto Vellejano renuntiantis Viteb. 1725. §. 6.

§. DCCXCVIII.

Neg. in publicis guarantiis

Mallem distinguere inter Principissas publica regiminis administratione gaudentes, & alias, quæ eadem destituuntur. Principissæ regentes, quales sunt Abbatissæ immediatæ, quoties *publico* administrationis nomine fidejubent, aut Guarantiam suscipiunt, a fide data se liberare SCti Vellejani beneficio nequeunt, non quidem ob rationem communiter hanc in rem allegari solitam, quod in hasce heroinas non facile aliqua imprudentia aut imbecillitas consilii cadat, aut quid ministris sint instructæ, eorumque consilium adhibuisse in tali negotio præsumantur. Nam sexus imbecillitatem fœminæ illustres cum plebejis habent communem, & si ratio, a consilio ministrorum adhibito petita, quicquam valeret, sequeretur quod in casu, quo contrarium, quod scil. talis Principissa fidejussionem sola citra ullius consilium adhibitum susceperit, probaretur, fidejussio debeat esse invalida, & vice versa si probaretur, fœminam plebejam adhibito Juris peritorum consilio fidejussisse, talis fœmina SCto Vellejano non juvetur, quod posterius sicut nemo admiserit, ita prius a dignitate & statu Principissarum regentium omnino est alienum, utpote quarum in regimine non status muliebris, sed publica dignitas & administratio spectatur. Vera igitur ratio, quare SCtum Vellejanum Principissis regentibus in publicis

blicis ſuis fidejuſſionibus non prodeſt, hæc potius erit, quoniam regiminis intuitu non ut ſubditæ ſed qua imperantes conſiderantur, atque hoc proinde reſpectu, ſicut legibus civilibus non conſtringi, ita nec juvari iisdem poſſunt, ſed ad juris naturalis placita actiones ſuas exigere debent.

§. DCCXCIX.

In *privatis* ſuis fidejuſſionibus Principiſſas regentes SCto Vellejano itidem uti non poſſe arbitratur *Thomaſius* de uſu exiguo SCti Vellej. §. XI. hac addita ratione, quod perſonæ, quæ ad regimen aptæ cenſentur, non minore aptitudine cenſentur eſſe præditæ intuitu rei familiaris & domeſticæ. Sed diſpar longe utrinque ſubeſt ratio. Publici regiminis intuitu talis Principiſſa nemini eſt ſubdita, adeoque ſolum naturale jus pro agendi norma agnoſcit. At in actibus & negotiis privatis Imperio legibusque in eo receptis eſt ſubdita. Sicut igitur talis Principiſſa ad leges illas actiones ſuas privatas exigere tenetur, ita pariter communibus privilegiis, quas leges illæ indulgent, defraudanda non erit, nec proinde etiam beneficio SCti Vellejani. Quam ſententiam & praxis Imperii confirmare eo ipſo videtur, dum matres illuſtres ad tutelam prius haud admittuntur, nec prius a Cæſare confirmationem impetrant, quam SCto Vellejano renuntiaverint, manifeſto indicio, eas alias, ac niſi renuntiaverint, hoc beneficio uti omnino poſſe. Sed prout jam monui, jure ſuo non utuntur, ſibique indecorum putant, ſi damnum ſentire paterentur eos, qui illuſtrem ſuam fidem ſunt ſecuti. Quid quod civici quoque ordinis fœminæ pudore propriique facti conſcientia ſæpiſſime retardantur ab uſu SCti Vellejani, unde frequentius ejus beneficio heredes fœminarum quam ipſæ fœminæ fidejubentes, uti animadvertuntur.

Affirm. in privatis

§. CCM.

Circa Principiſſas immediatas publico regimine deſtitutas idem, quo in privatis regentium fidejuſſionibus obtinet. Scilicet conſulere contra eaſdem ſibi per SCtum Vellejanum poſſent, ſive Conſiliariis ſint inſtructæ, ſive minus, ſed ſponte hoc ſuo jure abſtinent. At cum, ſi vellent, præſidium in hoc SCto quærere poſſent, prudenter omnino creditores a Principiſſis fidejuſſoribus renuntiationem SCti Vellejani exigunt. Ad abuſum

præſertim regimine deſtitutarum

autem merito refertur, quando in quibusvis fœminarum contractibus, utut cum fidejussionibus nihil habeant commune, clausula SCto Vellejano renuntiativa inseritur. Sic in renuntiatione, qua Charlotta Maria Principissa Saxonica, cum Guilielmo Ernesto Duci Vinariensi nuberet, dote accepta reliquæ hereditati 1683. renuntiavit, nec non aliis ejusmodi renuntiationibus SCto Vellejano renuntiari, videre licet apud *Ludolf.* de Jur. fœm. illustr. p. 156. 166. 169.

§. CCMI.

Subditarum

Fœminæ illustres, quæ aliorum Principum sunt subditæ, ut in aliis negotiis, ita & in fidejussionibus provinciales Principum suorum leges observare tenentur, quibus ut prohiberi plane potest, ne fœminæ fidejubeant, ita & modus certus poni, e. c. ne aliter valeant earum fidejussiones, quam accedente jurejurando, vel autoritate judiciali, it. ut pro extraneis quidem fidejubere queant, pro maritis non item, & vice versa, ut ipso jure propter imperatam bonorum communionem ad fidejubendum pro maritis teneantur, it. ut simpliciter omnes fœminarum fidejussiones sint validæ, nec ullo obtentu infirmentur * Ubi autem leges provinciales desuper adsunt nullæ, cum recepto jure Romano SCtum Vellejanum quoque receptum censebitur, eaque quæ §. 2. notavimus, observanda erunt.

* In Saxonia mulier pro extraneo adhibito curatore judicialiter sine juramento valide fidejubet, extrajudicialiter autem nonnisi accedente juramento corporali, utut curator nullus adhibeatur. Pro marito si uxor Saxonica fidejubet, eadem solennitates requiruntur, nisi quod ad effectum dotis obligandæ simul corporale juramentum in judicio præstandum requiratur *Carpzov.* Const. 16. part. 2. & Decis. El. 25. nec sufficit formula an Eydes statt, vel bey Gräfl. Adel. Ehren Treu und Glauben.

§. CCMII.

nec ejus vicem restitutio in

Putat quidem *Thomasius* cit. diss. de usu exiguo SCti Vellej. quique eum sequitur *Ludolf.* de jur. fœm. illustr. p. 58. non opus esse fœminis Germanis remedio SCti Vellejani, quia gaudent restitutione in integrum,

quo-

quoties sunt læsæ etiamsi interveniente Curatoris autoritate contraxerint. At enimvero quæ post *Schilterum Thomasius* aliique de restitutione in integrum, apud Germanos fœminis solius sexus intuitu tribuenda, imo in ipsa praxi iis tributa, afferunt valde videntur dubia, & ausim affirmare, nunquam fœminas, quæ interveniente Curatoris autoritate contraxerunt, ob solum sexum fuisse in integrum restitutas, sed quoties fuerunt restitutæ, id ob concurrentem aliam causam dolum, enormem læsionem, ætatem, &c. fuisse factum. *integrum subit.*

§. CCMIII.

Iis vero, qui SCtum Vellejanum rationibus statui Romano propriis inniti, nec ad Germanorum instituta quadrare interserunt, inde illud vel apud nos receptum esse, vel recipi potuisse negant, hancque in rem multa operose ex antiquitatibus conquirunt, iis breviter reponimus unius quidem rei plures esse posse causas, ac etiamsi peculiaria quædam Romanorum instituta, tanquam causæ minus principales, in condendo & introducendo SCto Vellejano potuerint concurrere, sufficere tamen, quod causæ ejus principales §. 794. recensitæ tam sint universales, ut ad Germaniam nostram perquam commode quadrent, ut nulla plane appareat ratio, quare, reliquo jure Romano recepto, SCtum Vellejanum ab hac receptione debeat excludi. *nec SCt. Vellej. Romanorum rationibus proprium*

TITULUS. XXII.

DE

Stipulatione & Conſtituta pecunia.

* *
*

Stipulationis & conſtituti nullus inter Principes eſt uſus.

§. CCMIV.

Connexio Quos hactenus commemoravimus contractus tam late patent, ut omnes omnino, qui in vita humana occurrere poſſunt, ſuo ambitu complectantur. Videri quidem poſſet, ac ſi omiſiſſemus ſtipulationem, contractum chirographarium, & quaſi-contractus. Penitius tamen hos contractus inſpicienti apparebit, eos ab hactenus recenſitis non ita eſſe diverſos, ut referri ad eosdem nequeant, imo ne concipi quidem poſſe aliter, quam præſuppoſito alio quodam ex ſupra memoratis contractibus. Nec ſtipulatio, nec chirographum per ſe ſubſiſtunt, ſed neceſſario alii contractui e. c. mutuo &c. debent accedere. Peculiaria autem nomina ſaltem accipiunt a modo, quo ipſorum obligatio inducitur. Obligatio enim ex contractibus oriunda nititur conſenſu vel expreſſo, vel tacito, vel denique præſumto. Expreſſe conſenſus declaratur nunc per verba, nunc per Spripturam, unde oritur ſtipulatio & contractus chirographarius, de quibus proinde quædam hic dicemus, pauca deinde de pactis tacitis addituri, & denique ad quaſi-contractus, quippe ex conſenſu præſumto ortos, perecturi.

§. CCMV.

Stipulationis etymologia. Stipulationem a ſtipula deſcendere vult *Iſidorus* Etymol. Lib. 5. c. 24. Veteres enim, ſcribit, quando ſibi aliquid promittebant, ſtipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes ſponſiones ſuas agnoſcebant. Sed

tacent

hunc ritum reliqui Scriptores. *Varro* de ling. Lat. L. 4. stipulationis
pulum a stipe, quæ pecuniam significat, deductum censet. *Tribo-*
s autem pr. Inst. de Verb. Obl. stipulationem dictam perhibet, quod
lum apud veteres firmam appellabatur, forte a stipite descendens. Cu-
ententiam & sequior hujus vocis usus firmat, dum stipulationem idem,
firmitatem denotasse, notat *Brissonius* de formulis L. 8. p. 683. ex
nento Bertrichani Cenomanicæ civitatis Episcopi, in quo scriptum
pro totius rei stipulatione atque firmitate annecti præcepi &c.

§. CCMVI.

In sensu igitur generali & etymologico stipulatio significat actum, *definitio*
negotio robur & firmitas inprimis per verba solennia additur. At in
i speciali & jure civili usitato denotat contractum, qui ad suam essen-
requirit verba solennia, quibus quis alteri interroganti * congrue &
ontinenti respondet, se daturum vel facturum id, quod interrogatus
Vid. Tit. Inst. & Dig. de Verb. Obl. Unde, talem stipulationem nec
rdo, nec a muto, nec ab absente celebrari posse, intelligitur. Prioris
eris stipulatio, qua paciscentes solius solennitatis majoris causa verba
nnia adhibent, cum alias consensus qualitercunque declaratus sufficeret,
ipsi naturali juri incognita. Posterior autem inventum est juris Ro-
ni, quod cum pactis nudis efficacem obligationem denegaret, ut nihilo-
us suppeteret medium deducendi in obligationem res, quarum ex pacto
lo obligatio erat nulla, stipulationum formulas præscripsit, iisque no-
n & vim contractus indulsit.

* Qui interrogat stipulator, qui respondet sponsor seu promittens vocatur. Plures si quid ab aliquo sibi simul stipulantur, vocantur *correi stipulandi*, plures vero, qui separatim interrogati, singuli idem dare promittunt, dicuntur *correi promittendi*. Quod duobus reis stipulandi debetur, singulis in solidum debetur, & quod plures promittendi rei spoponderunt, singuli solidum dare tenentur, unius tamen solutione aut receptione utriusque perimitur obligatio. In quantum alteri quis stipulari valeat dixi L. I. T. 3. §. 151.

§. CCMVII.

§. CCMVII.

usus

Hodie, ubi ex nudo pacto valida est obligatio, nulla amplius ne inter subditos quidem, nedum inter Principes stipulationum est utilitas. Solet quidem stipulationis vox nonnunquam ipsis Principum pacificationibus & transactionibus inseri, qualia exempla occurrunt in pace Aquisgranensi & Pyrenæa ibi: les quels poincts & articles cy dessus enoncés, ensemble le contenu en chacun d'iceux, ont eté traittes, accordez, passez *stipulés* entre les susdits Plenipotentiaires &c. Neutiquam autem existimandum ac si per hanc formulam hisce transactionibus a stipulatione Romana robur conciliari debuerit, illa enim cum mere civilis sit, ad summos imperantes nil attinet. Sed accipitur ibi stipulationis vox in solo sensu generali & etymologico, quod & fit quoties stipulata manu vermittelst Handschlag, Handgelöbniß aliquid promissum dicitur it. Land-R. L. 3. art. 9.

§. CCMVIII.

differentia a pactis

Parum quoque curamus duplicem illam differentiam, quam hodienum inter pacta & stipulationes intercedere Doctores perhibent, *unam* in ipsa eorum forma & essentia quærunt, ad pacta sufficere ajunt consensum qualitercunque declaratum; ad stipulationem requiri verba solennia, interrogationem & responsionem: *alteram* in genere actionis, cum ex pacto detur condictio ex moribus, ex stipulatione Condictio ex stipulatu. Nobis sufficit, quod conveniant fine & effectu, quodque actor utrobique idem consequatur.*

* Cautelæ loco stipulationem hodienum utiliter quandoque adhiberi, post *Brucknerum* JCtum Jenensem censet *Hamberger* de non-usu stipulationum p. 78. sq. quoniam scil. ex quorundam JCtorum sententia hodienum in contractibus innominatis antequam ab alterutro aliquid præstitum, pœnitere licet, excludi hanc pœnitendi facultatem, per adhibitam stipulationem posse censent.

§. CCMIX.

§. CCMIX.

Id potius dispiciendum videtur, num forsan hodie stipulationi seu contractui verbali surrogari debeat contractus juratorius. Dantur enim certa negotia, quæ leges civiles haud aliter valere sinunt, quam si accedente jurejurando firmentur, quorsum spectant contractus minorum, renuntiationes fœminarum, conf. §. 105. & 801. & de heredit. §. 89. Sicut igitur olim in certis negotiis ad eorum validitatem interrogatio & resqonsio, ita in his hodienum juramentum requiritur, quod proinde hodie nomen contractus æque ac olim stipulatio mereri videtur. At enim vero non protinus ex quovis requisito, aut solennitate præscripta novus effingi debet contractus, quoniam alias omnia negotia, quæ judicialem autoritatem requirunt, peculiares pariter contractuum species constituerent, & sic entia præter necessitatem multiplicarentur. Priscæ quidem leges stipulationibus contractus nomen indulserunt, hodiernæ autem illud juramentis hactenus nondum tribuerunt, imo nec omnibus indistincte juramentis tribuere possunt, cum juramenta solo unius facto citra alterius consensum, qui tamen in pactis & contractibus ex ipsa eorum indole absolute est necessarius, præstari queant. Nec præter *Henricum Bodinum* de literarum Obligatione th. 13. & *Adam. Glafey* in seinem Vernunfft- und Völcker-R. p. 562. quisquam mihi innotuit, qui juramenta in contractum numerum retulerit. *Contractus juratorius.*

§. CCMX.

Medium inter pactum nudum & stipulationem apud Romanos erat *Constitutum*, quando quis solvere promittit debitum, sive proprium, sive alienum, ita tamen ut prior debitor itidem obligatus maneat tot. tit. Dig. de pecunia constituta. Non erat stipulatio, quia fieri poterat sine solenni interrogatione & responsione. Nec pactum nudum, quippe ex quo nulla erat obligatio, quæ tamen ob geminatam promissionem tribuebatur constituto, nec novatio, quia pristina obligatio per constitutum non tollitur. Hodie ubi ex pacto nudo valida est obligatio, constituto æque ac stipulatione carere possumus. Nam licet constitutum eam præbeat utilitatem, ut obligationem, quæ ante quidem jam erat valida, sed non satis determinata, magis determinet e. c. si pro variis laboribus quid debeam, de quantitate autem *Constitutum.*

tem conventum non ſit, tunc illa per conſtitutum determinatur quidem, non tamen opus novum ideo & peculiarem ſtatuere contractum. Nam ſi proprium debitum conſtituitur, negotium in novationem, ſin alienum, in fidejuſſionem abit. Sic in cambio inter præſentantem & acceptantem conſtitutum occurrere obſervavimus Tit. 14. §. 692.

TITULUS XXIII.

DE

Contractu chirographario.

*

* *

Chirographum peculiarem contractus ſpeciem, qualem olim apud Romanos, haud conſtituit.

§. CCMXI.

Chirographum a Juſtiniano contractus jure donatum

Chirographum * ſive Scriptura, de debito contracto a debitore ſubſcripta, regulariter non ad eſſe, ſed ſaltem ad bene eſſe contractuum melioremque eorum probationem pertinet. At jure Romano nonnunquam ad eſſentiam contractus chirographum requiritur, cujus rei origo inde repetenda, quod apud Romanos non ex omnibus pactis valida oriebatur obligatio. Quod cum incommodum valde eſſet, ad robur pactis addendum adinventæ quidem ſunt ſtipulationes, quæ tamen nonniſi inter præſentes celebrabantur. Ut abſentibus quoque ſuccurreretur, chirographo jura contractus ſunt tributa, & quidem, ut videtur, demum a Juſtiniano Imperatore. In Digeſtis enim ex contractu ſaltem aut re, aut verbis, aut conſenſu obligationes contrahi dicuntur L. 1. Dig. de Obl. & Act. Et licet jam Conſtantinus M. ad donationum validitatem literas requiſiverit, vid. Tit. 5.

§. 484.

4. contractus tamen nomen literis demum tributum a Triboniano §. 2. de Obligationib. * *

* Illa significatio, qua chirographarium creditum dicitur illud, in quo creditor solam debitoris fidem est secutus, quodque hypothecariis opponitur, ab h. l. est aliena. Illo sensu dantur chirographarii sine chirographo.

** Sed cum literæ saltem alius peracti negotii sint accessorium, & ex iis nullum fundamentum agendi desumi queat, nisi super certa causa datæ fuerint, disceptant inter se Doctores de fundamento contractus chirographarii. *Henricus Bodinus* diss. de literarum Obligatione th. 7. eum præsumtam donationem inferre existimat, alii plerique pro mutuo ex chirographo præsumto pugnare videntur, quibus & calculum adderem, quoties ipsum chirographum aliud fundamentum haud nominat. Dubitandum enim non est quin etiam super contractibus innominatis, aliisve pactis, ad effectum excludendæ pœnitentiæ, chirographarius contractus celebrari potuerit.

§. CCMXII.

Quatenus igitur chirographum contractibus melioris saltem memoriæ *cujus hodie nec inter Principes* probationis causa accedit, naturali juri non est incognitum, ac inter summ etiam Principes adhibetur, quatenus autem tanquam necessarium peculiaris cujusdam contractus requisitum consideratur, mere civile est, nec Principibus, nec subditis Germaniæ unquam usitatum. Nonnulli quidem ni nominis Viri ad certa quædam Principum negotia Scripturam, tanquam requisitum necessarium requirunt. Sic *Ludolfus* de Jure primog. 11. ad introductionem juris primogenituræ requirit, ut confirmatio area desuper in scriptis fiat. *Betsius* ne sufficere quidem existimat, si confirmatio chartæ inscribatur, sed membranam præcise requirit. Privilegia oretenus a Principe impetrata salva quidem conscientia ab impetran- exerceri posse, in foro tamen externo literas desuper exaratas prius esse ectandas, ex *Ludov. Engel* Colleg. Jur. Canon. ad Tit. X. de privil. do- *Stryck.* de privilegiis titulo oneroso quæsitis p. 13.

§. CCMXIII.

nec subditos

At enimvero non protinus ex quovis requisito, aut solennitate praescripta, peculiarem contractum esse exsculpendum Tit. praec. §. 809. monui. Deinde spuria haec esse requisita, observare licebit. Confirmationem Caesaream juris primogeniturae & sine scriptis fieri posse observavimus de Hereditat. T. 8. §. 192. Num vero ante exaratas privilegii literas eodem uti liceat, ex quaestione praejudiciali pendet, num Princeps statim a tempore factae promissionis, an tabularum traditarum illud concedere voluerit, quod ex circumstantiis dijudicandum. Si prius, in foro quoque externo impetrans eodem utens securus erit, sin posterius ne in conscientia quidem tutus erit. In dubio ea Principis mens esse videtur, ut, si tabulae super privilegio exarandae promittantur, demum ab earum traditione privilegii concessio currat, quia in illis tabulis modus, quo tale privilegium exerceri debeat, demum exprimitur. Nobis hic sufficit, ostendisse, Principes chirographo nunquam ex necessitate tanquam peculiari contractus genere uti.

§. CCMXIV.

alius quam probandi usus.

Sed nec subditi Germaniae contractu chirographario unquam sunt usi. Cui sententiae praesidium non inde arcebo, quasi prisci Germani ignoraverint literas, quod nonnulli evincere cupiunt ex verbis *Taciti* de Morib. Germ. *literarum secreta viri pariter ac foeminae ignorant.* Nam de solis literis amatoriis, eorumque usu Germanis ignoto, ibidem esse sermonem ipsa connexio satis indicat. Usos autem fuisse Germanos literis (Graecis similibus) in publicis privatisque rationibus testis est *Caesar.* de Bell. Gall. L. 6. c. 14. add. L. 1. c. 29. Id saltem volo, Germanos ex quovis serio pacto se obligatos credidisse, nec proinde chirographo ad validitatem negotii opus habuisse, sed illud memoriae saltem & probationis causa adhibuisse, quos patriae mores etiam post recepta peregrina Romanorum jura in hunc usque diem retinuerunt.

§. CCMXV.

Objectio a cambio diluitur.

Objici posset contractus cambialis, in quo scriptura necessario requiri videtur. Sed requiritur illa saltem ad probationem, ipsam autem cambii essen-

essentiam non ingreditur, imo dantur casus, ubi & sine scriptura cambialiter potest agi, vid. Tit. 14. §. 677. In contractibus, qui a contrahentibus ea lege ineuntur, ut demum, postquam in scripturam fuerint redacti, valere debeant, scriptura iterum essentiam contractus non ingreditur, sed saltem conditionem constituit, in quam obligatio est suspensa.

§. CCMXVI.

Exceptio non numeratæ pecuniæ vim chirographi infringit.

Omnis igitur chirographi vis & virtus in eo consistit, quod debiti faciat præsumtionem, quæ tamen per probationem contrariam potest elidi. Unde sequitur, regulariter eum, qui licet chirographum dederit, tamen se debere negat, probare debere, pecuniam in chirographo nominatam sibi non fuisse solutam, sed chirographum saltem spe futuræ numerationis datum, quæ probatio cum sit difficillima, civilibus Romanorum legibus cautum, ut intra biennium a tempore scripti chirographi debitori competat exceptio non numeratæ pecuniæ, & probatio solutionis creditori incumbat, lapso autem hoc tempore nullo modo querela non numeratæ pecuniæ introduci possit, quæ cum clara sint verba L. 14. C. de non num. pec. ipsaque praxi hodierna serventur, frustra *Struvius* aliique contendunt, intra biennium exceptionem non numeratæ pecuniæ ita opponi posse, ut probari non debeat, quam propterea privilegiatam vocant, post elapsum autem biennium locum quidem adhuc esse exceptioni non numeratæ pecuniæ, sed ita ut probari ab allegante debeat, quam ideo non privilegiatam appellant. At menti ac verbis dictæ legis hanc distinctionem repugnare, jam observavimus L. 2. T. 7. §. 521. Contra Apochas seu Quietantias, quibus creditor solutionem debiti fatetur, exceptio non numeratæ pecuniæ intra 30. saltem dies indulgetur cit. L. 14. §. 2. C. de non. num. pec. qua tamen tributi exactor aut fisci administrator quoad Apochas publicarum præstationum uti nequit, cum apochæ anticipari ibi non soleant. L. 11. C. de susceptorib.

§. CCMXVII.

Guarentigium.

Jure Romano licet chirographum, quo quis pecunias credere supra quinquaginta libras auri voluerit, aut super reddito debito securitatem accipere, aliter non valeat, quam si tres testes ei subscripserint L. 17. C. si

certum petat. in Germania tamen illud ſuſtinetur, & habetur pro
tigiato, h. e. tali, ex quo apparet, quid & quantum, a quo, cui,
tempore * debeatur, quodque proinde paratam operatur exec
dummodo a ſolo debitore, aut ſi apocha fuerit a creditore fuerit ſ

* Alii ad inſtrumentum guarentigiatum quoque requirun
ſam debendi contineat, Camera Imperialis præterea, u
executivæ verbis quibuscunque in eodem ſint expreſ
Jur. Cam. p. 139. Add. R. J. 1600. §. 32.

TITULUS XXIV.

DE

Contractibus tacite initis.

*

* *

Taciti contractus ſunt hereditatis aditio, conteſtatio, receptio, & pleraque n ex quibus datur actio adjectitiæ qua quod juſſu, de peculio &c.

§. CCMXIIX.

Exempla pactorum tacitorum

Numerum definire contractuum, qui tacite ineuntur, æque e ac ſignorum, per quæ voluntas atque conſenſus declaratu jam in genere de modis conſenſum tacite declarandi egimus, eaqu ne quosdam commemoravimus L. 1. T. 6. §. 228. add. L. 2. T. 1 ubi per obſidum dationem inducias tacitas iniri diximus, it. Tit. 2

uarantias fœdus tacitum continere ostendimus. Occurrunt in vita uni passim & alii. Sic dum usus inter gentes in Tractatibus pacis toribus præcedentiam tribuit, eo ipso, quo quis mediatorem sibi ex- vel agnoscit, præcedentiam ei in illo actu concedere velle tacite decla- Sic & qui rebus pupilli se immiscet, tutelam sibi mandatam tacite t. Imo in ipso sermone tacitum subest pactum de vocibus in sensu uni accipiendis.

§. CCMXIX.

Nobis ex pactis tacitis h. l. ea saltem commemoranda veniunt, quæ m frequentiam peculiare contractus nomen sunt sortita, qualia sunt, tatis aditio, litis contestatio, receptio. Novi quidem, vulgo hæc ne- a Doctoribus quasi contractibus annumerari. Admissis tamen com- ous iisque bonis satis contractuum definitionibus, dum veri consensu xpresse sive tacite declarato, quasi-contractus autem consensu præ- constare dicuntur, sponte patet, dicta negotia, quippe quæ tacito nsu nituntur, non ad quasi sed veros contractus, eosque tacitos esse ndos. Ipse quidem Tribonianus §. 5. Inst. de Obligationib. quæ c contr. nasc. hunc in modum philosophatur: „ heres quoque lega- um nomine non proprie ex contractu obligatus intelligitur, (neque m cum herede neque cum defuncto ullum negotium legatarius ges- e proprie dici potest) & tamen, quia ex maleficio non est obligatus, asi ex contractu debere intelligitur. „ Verum quidem est, neque he- eque defunctus cum legatariis contraxit. At heres eo ipso, quo he- item adit, se obligat ad voluntatem defuncti implendam, adeoque & gata solvenda. Cui obligationi si accedit legatariorum acceptatio, per orum petitionem declarata, talia utrinque adsunt facta, quæ consen- mutuum indicant, eoque ipso tacitum contractum constituunt.

quæ contractus nomen sunt sortita.

Hereditatis aditio.

§. CCMXX.

Par esto judicium de litis contestatione Germ. Kriegs⸗Befestigung. ipso enim, dum actor actionem proponit, & reus contradicendo re- det, tacite non modo inter se consentiunt & contrahunt de servando

Litis contestatio.

eo,

eo, quod judex per sententiam decreturus erit, unde oritur actio rei judicatæ, sed & cum judice eorum causam dirimente, cui inde nascitur jus ad sportulas exigendas.

§. CCMXXI.

Receptio. Per receptionem is, qui res alterius recipit, eas salvas fore, tacite promittit, quod non modo ad nautas, caupones, & stabularios, de quibus extat Tit. Dig. Nautæ, Cauponæ, stabularii ut recepta restituant, sed suo modo etiam ad ipsos Principes pertinet, quos ex receptionis facto, tacitoque contractu ad securitatem iis, quos receperunt, præstandam obligatos non male dixeris. Quorsum spectat obligatio, qua Princeps tenetur ad indemnitatem præstandam ei, qui in via publica damnum est passus, sive pedagium pro salvo conductu accipiat, sive minus. * Vid. Rec. Imp. 1599. §. 34. Quam difficilis tamen ejusmodi sit actio, norunt ii, qui veritatem experti sunt Brocardici: cum potentioribus non litigandum. Sponte interim hanc obligationem agnovit Jacobus Marchio Badensis, qui obiit 1453. dum ex propriis damna resarcivit, quæ subditis in via publica per rapinas erant data. Imo in ipsis summi Imperii Germanici tribunalibus in contradictorio aliquando ita contra Episcopum Herbipolensem pro Mercatore, sub publica fide & securitate Episcopi, mit lebendigen Geleit, ad nundinas Francofurtenses proficiscente, fuisse judicatum videre est apud *Gail.* L. 2. Obs. 64. n. 1. Si tamen tanta belli oritur tempestas, ut impedire rapinas Princeps nequeat, cessabit hæc obligatio, cum ad impossibilia nemo teneatur. Conf. *Ludolf.* Jus Cameral. p. 142. & *Henr. Linck* de jure conducendi §. 58. sqq.

* Si neglecta est salvi conductus petitio, dominum transeuntibus spoliatis ad damni refusionem non obstringi, statuunt *Bocerus, Knichen, Arumæus, Speidel. Carpzovius.* At indistincte dominum teneri censent *Mynsingerus, Klockius, Knipschild, Maulius.*

§. CCMXXII.

Quod jussu, de peculio. Obligationes, ex quibus dantur actiones adjectitiæ qualitatis, quales sunt quod jussu, de peculio &c. non quidem omnes, pro parte tamen ad

tacitos

tacitos contractus pertinent. Namque ex servorum vel liberorum contractu contra dominos vel patres agitur vel ob utilitatem eorum promotam, & tunc ex quasi - contractu de in rem verso agitur, vel ob consensum specialem, tunc ex vero atque expresso contractu datur actio quod jussu, vel denique ob generalem e. c. quando Princeps praeposuit ministrum gubernationi certae provinciae, & tunc ex contractu cum tali ministro administrationis intuitu initio ipse Princeps, tanquam ex tacito contractu tenetur, it. quando filio peculium administrandum dedit, unde de peculio tenetur.

§. CCMXXIII.

Ex contractu uxoris Princeps naturaliter quidem ob bonorum communionem tenetur, quae tamen ubi per dotem constitutam sublata, omnis mariti ex contractu uxoris cessat obligatio. Quamvis enim socius pro socio solvere teneatur, hoc tamen saltem in societate bonorum procedit, non in mere personali, qualis est conjugum, separata bona habentium. Unde Princeps Eduardus Angliae Rex exorari se haud est passus, ut de suo solveret aes alienum, quod conjux ipsius Philippa de Hayneaut contraxerat, aut suprema ejus judicia & legata exequeretur, ceu ex *Frossard* Hist. L. 1. c. 273. memorat *Myler.* Gamol. c. 7. §. 28.

Ex uxoris contractu in quantum Princeps tenetur.

TITULUS XXV.
DE
Quasi Contractibus.

* * *

Quasi contractus praesumto nituntur consensu, nec iuri naturali summisque Principibus penitus sunt incogniti. Variae tamen eorum species unica negotiorum gestione comprehendi videntur.

§. CCMXXIV.

Quasi contractus quid?

Quasi contractus vocantur, qui ex unius facto & alterius præsumto consensu efficacem obligationem producunt. Sunt, qui eos juri naturali prorsus incognitos interserunt, neque ullum eorum esse inter summos Principes atque Respublicas usum contendunt. Sic *Grotius* L. 2. c. 10. §. 9. negotiorum gestorum actionem (quæ certe, si quæ alia ad quasi contractus pertinet) ex lege civili nasci ait, nullumque habere eorum fundamentorum, ex quibus natura obligationem inducit. Et *Titius* ad *Pufendorf.* Obs. 354. divisionem contractuum in veros & quasi contractus refert ad positiva ac parum prudenter constituta, artemque rabulariam sat aperte redolentia. *Glafey* in seinem Vernunfft- und Völcker-R. p. 715. quasi contractus inventum Juris civilis appellat, nec iisdem in naturali jure opus esse, sed obligationes inde deduci solitas immediate ex lege oriri retur. Add. *Gribner* Princ. Jur. Nat. L. 4. c. 3. th. 10. n. 1.

§. CCMXXV.

an jure nat. cogniti.

Neque inter solos Doctores privatosque hæc doctrina substitit, sed in ipsis rerum argumentis, illustribusque Principum causis quandoque adhibita, imo magis extensa deprehenditur. Sic cum Memmingenses a vicinis repeterent pecuniæ ratam, quam pro avertenda vastatione exercitui Gallico 1703. solverant, reddere eandem recusarunt vicini, inter alias etiam ob hanc rationem, quod ex negotiorum gestione naturaliter non oriatur obligatio, ceu patet ex dubitandi rationibus Responsi in hac ipsa causa exarati, & subjecti a *Jo. Petr. a Ludewig* dissertationi de Sociis stipendiariis hosti Hal. 1720. p. 54. Item cum Borussorum Rex 1715. Russis eorumque sociis, pro solvenda obsidione urbis Sedinensis ad Svecos pertinentis, 400000. thlr. numerasset, quærebatur, an Sveci ex hac negotiorum gestione ad reddendam pecuniam solutam tenerentur? Negabant Sveci, inter alia propterea, quod quasi contractus adeoque & negotiorum gestio naturali juri ignorentur. Vid. *Glafey* l. c. p. 729.

§. CCMXXVI.

Argu-

Qui igitur quasi contractus impugnant, duplicis sunt generis. Nonnulli

nulli plane negant, dari naturaliter obligationem & actionem ex negotiis, quæ quasi contractibus vulgo annumerantur. Alii econtra obligationem iis non denegant, eam tamen plane non ex consensu esse arcendam, sed immediate a lege oriri, nec proinde contractus nomen in illa negotia quadrare. Priores facile refutantur illa juris regula, quæ nemini suum officium vult esse damnosum, nec quemquam cum alterius damno ditari sinit. Posteriores non tam super re ipsa, quam super nomine solo contendere videntur. Ac licet super verbis nemini litem facile moveamus, non tamen est, ut hoc in passu communem deseramus sententiam. *menta negantia*

§. DCCCXXVII.

Ii enim, qui alios sibi per quasi contractus obligant, ideo & hac potissimum causa alienis negotiis se immiscent, quoniam alterum in hancce immixtionem consensurum fore præsumunt, nunquam certe se immixturi, si prævidissent, alterum invitum ad reddendum, quod ipsius causa impensum, esse compellendum. Dictam modo præsumtionem etiam inter eos, qui solo naturali jure vivunt, locum habere, manifestum, quare nec est, ut ortæ exinde obligationi se subducant. *Affirmantia*

§. DCCCXXVIII.

Unicum obstare videtur, quod scil. regulariter pro libertate naturali stet præsumtio, adeoque non appareat, qua ratione alterius consensus, ortaque inde obligatio, quæ libertatis restrictionem involvit, sine ullo ejus facto * possit præsumi? Resp. non quidem temere talem alterius consensum esse præsumendum, sed saltem ex causa probabili, ubi verosimiliter apparet, absentem alterum, si præsens fuisset, idem facturum fuisse. Instas, ni fallor, dicendo, quid opus consensus fictione, præsumtoque consensu ad producendam obligationem, quam jam dum ipsa naturalis lex de nemine cum alterius damno ditando producit. Resp. dari etiam potest casus, ubi e. c. alter per negotiorum gestionem non ditatur, & nihilo secius ad impensas reddendas obligatur. Ac etiamsi tunc alia lege naturali, quæ nemini officium suum vult esse damnosum, succurri posse regeras, facile tamen patet, diversam esse obligationem, quæ ex illa lege fluit, ab illa, quæ ex quasi contractu nascitur, tum quia præsumtus consensus inde- *Obj. Libertatis præsumtio illam obligationis excludit.*

que

que pendens obligatio excluditur per contrarium eumque expressum dissensum, adeo ut negotiorum gestorum actione experiri nemo possit contra eum, qui expresse, ne quisquam se rei suæ immisceat, prohibuit, tum etiam quia negotiorum gestor solum præsumtum alterius consensum respexit, nec se rei alienæ miscuisset, si scivisset, alterum impensas difficulter redditurum, etiamsi ex dicta lege, quod officium nemini debet esse damnosum, jure illum eo adigi posse, probe scivisset. Econtra qui legali obligatione nititur, alterius consensum haud curat, sed contra invitum quoque experitur.

* Hoc enim si adesset, haberemus consensum tacitum, & negotium ad veros, non quasi contractus referendum. Unde censuram meretur jus Romanum, dum hereditatis aditionem quasi contractibus annumerat.

§. CCMXXIX.

Numerus quasi-contractuum. Quæ vero sint illa, & quot sint negotia, quæ ex præsumto alterius consensu obligationem pariunt, & proinde ad quasi-contractus pertinent, non omnino est expeditum. In L. 5. Dig. de Obl. & Act. quatuor recensentur, negotiorum gestio, tutelæ administratio, hereditatis aditio, indebiti solutio. In Tit. Inst. de Obl. & act. quæ quasi ex contr. nasc. sex enumerantur, addendo hereditatis & rerum singularum communionem. Addunt alii longe plura, finium communionem, litis contestationem, receptionem in navem, versionem in rem, dationem ob causam, acceptionem seu detentionem sine causa it. ob turpem causam, generationem prolis, commorationem in territorio. Vid. *Struv.* Jurispr. Rom. Germ. L. 3. T. 18. *Beyer* Jur. Germ. L. 3. c. 2. pos. 42. Eodem jure & præscriptio, & depositum miserabile huc possent referri.

§. CCMXXX.

Negotiorum gestio. Sed, ni vehementer fallor, paucissima ex his negotiis ad quasi-contractus pertinent. Quæ vero iis annumerari merentur, unica continentur negotiorum gestione, qua quis alterius ignorantis negotia utiliter, i. e. prudenter gerendo, se ad rationem de iis reddendam, alterum ad impensas

is restituendas obstringit. Primo requiritur ut suscipiantur negotia *antis*. Nam si scientis, ille susceptionem vel expresse taciteve man- & tunc negotium non ad quasi, sed veros contractus pertinet, aut ibet, & tunc nulla plane contra eum datur actio L. 39. Dig. de ne- gestis. Deinde requiritur, ut negotia gerantur *utiliter*, seu juxta le- prudentiæ, quam quis, si suum esset negotium, adhibiturus fuisset. autem præcise requiritur, ut reapse aliqua utilitas ex negotio gesto lterum pervenerit. Nam etiamsi ob interveniens quoddam accidens tium felici eventu caruerit, tamen impensæ erunt restituendæ, quia ini suum officium debet esse damnosum, & nemo alias facile absen- negotia suscepturus foret *. Hoc illud est, quod ait *Ulpianus* L. 10. de negot. gestis: „ eventum non spectamus, sed debet utiliter esse eptum negotium, ideoque qui insulam fulsit, vel servum ægrum cu- vit, etiamsi insula exusta est, vel servus obiit, aget negotiorum gesto- im „. Si vero negotio responderit eventus, & reapse utilitas ad al- m ex negotio gesto redundarit, tanto magis is tenebitur, tuncque id otium speciali nomine *versionis in rem* venit, quæ a negotiorum gestio- tanquam species a genere, differt. * *

* Tam generalis hæc causa est, ut frustra *Janus a Gosta* ad Inst. L. 3. c. 27. causam Latio singularem, quod cives Romani lon- gas & frequentes susceperint peregrinationes, effingat.

** In quantum versio in rem præsumatur, vel probari debeat vid. L. 1. T. 3. §. 112. fin. Quodsi in casu, quo in rem versio fit citra præsumtum alterius consensum (e. c. a bonæ fidei posses- sore, qui rem alienam suam existimabat) neges, eam (ob de- ficientem consensum præsumtum, qui formam quasi contractuum constituit) quasi contractibus esse annumerandam, non magno- pere repugnabo. Sufficit generali eam niti regula, quæ nemi- nem vult cum alterius damno ditari.

§. CCMXXXI.

Illustria negotiorum gestorum exempla attigimus §. 2. Plura passim *Exempla* currunt in casibus aliis hucce spectantibus, quales sunt reparatio dam-

num ex dominio eminenti passis facienda, Vid. *Grotius* L. 3. c. 20. §. 7. sq. Add. Rec. Imp. 1641. §. 26. Demnach aber vernünfftig, it. retributio obsidibus eorumve heredibus pro incommodis. *Grotius* L. 3. c. 20. §. 52. aut legatis pro sumtibus in domini honorem erogatis præstanda. Ipse etiam Princeps si suis impensis civium salutem asseruit, vel ipse, vel eo mortuo heredes ejus a subditis impensas ex capite gesti negotii recte repetunt. Imo si illæ tam graves fuerint, ut reddi nequeant, posse tunc Principis electivi heredes regnum vel Principatum tam diu retinere, donec de impensis fuerit satisfactum, docet, uberiusque peculiari disquisitione deducere promittit *Carol. Gottlieb Weidlich* de jure Principis in Regno electivo circa prospiciendum successorem §. ult. in eo tamen nimius, quod tali Regi conservatori idem jus opprimendæ libertatis asserit, quod hostis, a quo eam vindicavit, asserere sibi potuisset. Sic enim ex conservatore fieret oppressor, nec utiliter negotium gessisse dici potest is, qui opprimit, quam ab alio vindicare contendit, libertatem.

§. DCCCXXXII.

Anglicanum

Exemplum memorabile turbatæ successionis, lege fundamentali determinatæ, sub obtentu gestorum populi negotiorum, assertæque suis impensis publicæ salutis superiore Seculo Anglia vidit in Guilielmo Arausionensi. Qui cum a Jacobi II. Regis oppressione Regnum liberasset, illud quidem ad se & conjugem suam Mariam Jacobi filiam, quæ succedendi jure erat proxima deferri est passus, ita tamen ut post Mariæ mortem illud retineret, rejecto demum post utriusque fata Annæ jure. Ægre hoc quidem ferebat Anna, quippe quæ, defuncta sorore sua Maria, hujus conjugem in Regni successione excludere debuisset. At excusabant Angli hoc suum factum eo, quod Regnum Annæ jure, se Guilielmo merito deberetur. Conf. *Palthenius* de Marito Reginæ §. 2.

§. DCCCXXXIII.

Versio in rem

In foro civili nonnullæ alienorum negotiorum gestiones producunt actiones peculiaribus nominibus insignitas, quales præter versionem in rem, unde oritur actio de in rem verso, sunt administratio tutelæ, unde actio tutelæ,

(Nam

(Nam pupilli intuitu, quippe qui vere censentire nequit, tutela merito *Tutela* quasi-contractibus annumeratur) Curatio funeris, unde actio funeraria, *Cura funeris* jactus mercium levandæ navis causa, unde oritur actio ex L. Rhodia de jactu, cui affinis est Haueria, vi cujus nautæ ex mercibus pro mali incisione *Haueria* satisfaciendum, unde & ipsa vox orta videtur a Germ. hauen, weil der Mast abgehauen wird, utut alii eam derivare malint ab Hafen, quasi dicas id, per quod navis cum mercibus salva in portum redacta, unde & in sensu generaliori omnis retributio, ex capite Legis Rhodiæ facienda, Hauariæ nomine denotari solet *. Omnia hæc negotia, indeque ortæ actiones, in ipsa naturali æquitate suum habent fundamentum, & a lege civili saltem nomina peculiaria accepere, imo obtineret etiamsi Rhodiorum nomen prorsus nobis esset incognitum.

* Concurrunt ad hanc retributionem omnes, quorum & quatenus interest, navem salvam esse, ne domino, navis intuitu, excepto.

§. CCMXXXIV.

Ad reliquas quasi contractuum species §. 829. memoratas quod attinet, hereditatis aditionem, litis contestationem, receptionem in navim &c. *Negotia quasi contractibus perperam annumerata* jam. Tit. præc. e. quasi contractuum numero eliminavimus, & veris contractibus eas esse annumerandas ostendimus. Communioni rerum singularum, (in quam plures præter voluntatem incidunt,) hereditatis, & finium, suas communi dividundo, familiæ erciscundæ, & finium regundorum actiones naturale jus non quidem denegat, nec tamen eas ex consensu arcere crediderim, cum iisdem producendis jura dominii & hereditatis realia sufficiant. Ex indebiti solutione, seu promutuo, ut vocat *Cujacius*, condictionem indebiti, ex datione ob causam condictionem causa data causa non secuta, ex acceptione sine causa condictionem sine causa ipso etiam naturali jure oriri non nego, nec tamen propterea easdem quasi contractibus accenseri velim, quia ad hos saltem pertinent negotia, quæ principaliter ideo sunt suscepta, quia alterum consensurum credimus. Quis autem dixerit, principalem causam solvendi indebitum eam esse, quod credimus, alterum se velle obligare ad illud reddendum? Dixerim potius obligationem his negotiis contractam ad casum indebiti, vel cessantis causæ plane

non

non pertingere, sed penitus cessare *, cessante conditione, quæ iis tacite jam inerat. Dationem vel acceptionem aut detentionem ob turpem vel injustam causam, indeque ortam condictionem ob turpem causam, condictionem furtivam ad quasi contractus perperam a plurimis referri, cum ad delicta pertineant, jam dum observavit *Struv.* Jprud. Rom. Germ. L. 3. T. 18. §. 23. Societatem paternam aut civilem, quam infans recens natus cum patre & Republica contrahit, si cum *Augustino Leysero* in Programmate de ficta obligatione erga patriam & *Beyero*, Jur. Germ. L. 3. c. 2. pos. 42. præsumto talis infantis consensui, seu quasi-contractui superstruere velis, quod quidem necessarium haud existimo) non repugnabo, commode tamen ad negotiorum gestionem tunc negotium illud retuleris. Simile esto judicium de mandato præsumto, vi cujus personæ conjunctæ pro se invicem in judiciis sine mandato admittuntur. Præscriptionis fundamenta in possessione firma satis suo loco ostendimus, nec indiget eadem præsumto domini consensu. Denique depositum miserabile non in solo præsumto consensu fundari, vel id indicio est, quod etiam invitus illud recipere tenetur.

* Vulgo docetur, ex contractibus innominatis elective duas dari actiones, unam præscriptis verbis ad promissum præstandum: alteram condictione causa data, quam dicunt esse ex quasi-contractu. Vid. *Coccej.* de jure pœnitendi in contractibus p. 31. Sed sic sequeretur, unum idemque negotium simul eodemque respectu esse posse & verum & quasi-contractum h. e. niti consensu & declarato & præsumto, quod contradictorium videtur. Certe contractus innominatus verum consensum utrinque involvit, & actiones inde oriundæ perperam dicuntur esse ex quasi-contractu.

INDEX

INDEX RERUM.

Numerus adjectus paginam denotat.

* * *

Abdicatio regnorum an licita? 15. ſq. differt ab alienatione. 293. multisque exemplis eſt conſpicua. ibid.

Abſenti valide acquiritur. 96.

Acceptatio in donatione naturaliter non eſt neceſſaria. 306. id quod ulterius a poſteriori comprobatum redditur. 308. ſq. omnino tamen eſt neceſſaria jure civili. 310. ſed non præſumitur. 311.

Acceptilatio quid ſit? 250.

Acciſæ an locari poſſint? 401.

Acquiſitio interdum pactis prohibita. 79. interdum etiam lege. ibid. & ſq.

Actiones principibus cedere an liceat ſeu fiſco? 83.

Addictio in diem venditionibus quandoque adjici ſolet. 388.

Admodiatio pro ſynonimo habetur locationis. 398. 410.

Admonitio de vitando perjurio juramentis præcedere ſolet. 191.

Adulteræ donari Jure Romano nequit. 284.

Adulterium an mariti cum adultero tranſactionem admittat? 113.

Advocatus an cum cliente de quota litis paciſci valeat? 92. ejusdem error intra triduum revocandus. 349.

Ægyptus cum frumento eſt permutata. 362.

Æſtumatorius contractus venditionibus adjici quandoque ſolet. 391.

Affictum pro ſynonimo habetur locationis. 398.

Alexandri VIII. Papæ cavillatio voti ſui commemoratur. 17.

Aliena facta quatenus promittere aliquis valeat? 117. 118. quatenus eorum promissio ad interesse obligat? 119. quatenus ad diligentiam? ibid.

Alienæ rei nec principi competit alienatio. 99. sq. id quod variis illustratur exemplis. 100. ergo nec ejusdem donatio. 290. si tamen princeps aliena donat, 291. donatio valida est salva ad æstimationem actione. 292. quod & ad Augustarum non autem apanagiatorum donationem extendendum. 292.

lienatio bonorum publicorum consensu fit eorum, quorum interest. 60. in Germania absque subditorum alienandorum consensu fieri neutiquam potest. 64. an ab Episcopo Germaniæ facta consensum Pontificis requirat? 66. interdum pactis est prohibita. 79. sqq. in potentiorem an prohiberi possit? 81. ad quod distinguendo respondendum. ibid. & sq.

Alius pro alio quomodo pacisci valeat? 94. etiam absque mandato. 95.

Alsatia nullo modo alienari potest. 64.

Amentes donare non possunt. 269.

Amurathus II. Turcarum imperator voti negligentiæ pœnam dedisse fertur. 16.

Angaria, *Angariare*, quid? 386.

Anima an sit in commercio? 108.

Annui reditus quo differant à contractu censitico? 368. emtionis titulo comperantur. 382.

Arausionensis principatus cum Geldria permutatus. 363.

Arelatense regnum pro prandio venditum. 380. non locum dat querelæ inæqualitatis. 46.

Arrendatio pro synonimo habetur locationis. 398.

Artaxerxes Persarum rex imperio se abdicat. 293.

Asecuratio mercium quid sit? 384. perfecta est etiam pretio haud soluto. 385. quidnam obligationis in se habeat? ibid. an damnum inter angariandum, ut dicitur, datum quoque respiciat? 386. jura ejusdem specialia. ibid.

Assecuratio pactorum quid sit. 462. jam legibus publicis usurpata. 463. quotuplex sit? ibid.

Assertorium juramentum quodnam est? 192. & 193.

Assignatio quid sit? 248.

Atheus, an cum eo pacisci liceat & fœdus pangere? 87. an jurare possit? 180.

Austregæ an sequestrum constitui possint. 356.

Austriæ Archiduces de feudis suis valide disponere valent. 77.

Avenio-

Avenionensis civitas & tractus venditus Pontifici Romano. 380.
Avis nobilis adhiberi solitus in negotiis celebrandis. 158.
Avisatio de vitando perjurio juramentis præcedere solet. 191.

Badenses Marchiones alienare terras pacto prohibentur. 79.
Banni sub pœna obligare se nemo potest. 169. nisi accedat imperatoris confirmatio ibid.
Benefica pacta quænam sint. 43. sq.
Beneficium quo differt à privilegio. 211.
Bodmeria quomodo differat ab assecuratione mercium. 384.
Bohemiæ regni alienatio à Joanne rege facta à populo impedita. 59.
Bonæ fidei contractus quid sit? 47. ejus differeutia à stricti juris contractu est naturalis. 48. id quod casibus illustratur variis. ibid. & sq. quinam sint contractus bonæ fidei? 49. sq. an is cum principe initus eo sit referendus? 50. sq. quid differentiæ addiderit jus civile? 51.
Bona publica à principe alienari nequeunt. 58. 100. 292. id quod exemplis corroboratur. 59. nisi fiat eorum, quorum interest, consensu. 60. alias revocantur. 61. sed iis potest renunciare princeps. 293.

Brandenburgici principes de feudis suis libere disponere queunt. 76. quod exemplo cum marchione Culmbacensi illustratur. ibid.
Brandschatzung. vide *Lytrum incendiarium.*
Bremensis ducatus ab Electore Hanoverano emtionis titulo comparatus. 381.
Brunsvicenses duces terras alienare pacto prohibentur. 79.
Burgundiæ regnum venditum fertur. 380.
Burren civitas vendita. 381.

Cambialis processus quomodo se habeat? 429. sqq. quænam exceptiones admittat? 431. sq.
Cambium quid sit? 415. unde originem habeat 416. Romanis jam cognitum fuisse fertur 417. quoad formam hodiernam debetur Italis. ibid. usum quoque habet inter principes. ibid. & sq. in specie secundum ordinationem Brandenburgicam. 418. scripturam an necessario requirat? 422. an mentionem etiam vocis: Wechsel? ibid. & sq. an quoque vocis: Ordre? 423. an locorum distantia necessaria. 424. quando cambium præsentandum? 427. quando acceptandum? ibid. & sq. ut & solvendum? 428. item quomodo? 429. quodnam privilegium

gium

gium habeat in creditorum concursu? 433. principum cambia in ministrorum nomina concipi solent. 434.

Capitis diminutio an obligationem tollat. 254.

Capitulationes quid sint? 32. ad pacta ex publicis & privatis mixta referenda. ibid.

Captivus princeps quatenus pacisci potest. 70.

Casus an præstandus in contractibus? 223.

Causa an in principum pactis necessaria? 141. quadruplici modo est consideranda. ibid. & sq.

Causa cessans tollit obligationem. 255.

Cavillatio absit à voto. 17. adhiberi tamen solita in impossibilibus. ib. quod exemplo Alberti & Sigismundi Austriaci illustratur. 18. absit etiam à pactis. 150.

Cedendæ actiones fidejussori ante solutionem. 485.

Censiticus contractus est species permutationis 364. ejus origo. ibid. & sq. quo differat ab emphyteusi. 365 sq. in dubio prædium censiticum censendum. 367. quo differat a datione ad firmam & annuis reditibus. 368. quænam jura habeat. 368. sq.

Chirographarius contarctus quid sit? 40. peculiarem contractum haud constituit. 41. a Justiniano demum contractus jure donatus. 498. hinc hodie probationis tantum gratia aliis accedit contractibus tam inter principes, 499. quam inter subditos, 500. id quod ulterius probatur, ibid. & objectio a cambio desumta diluitur. ibid. & sq. imo exceptio non numeratæ pecuniæ vim chirographi infringit. 501.

Christina Seciæ regina regno se abdicavit. 293.

Civilis obligatio in summos principes non cadit. 12. omnino tamen in principes Germanicos. ibid. & sq.

Civitas in quantum obligetur? 96. & 97. ei vectigalia aliæque publicæ res locari nequeunt. 406.

Clausulæ negotiis adhiberi consuetæ non penitus improbandæ. 161. pœnales minime sunt inutiles. 162. quod fœdere Chambordico illustratur. 163.

Clerici a publicarum rerum locatione conductione arcentur. 406. ut & à cambio. 418.

Clodovæi regis Galliæ votum cavillatum. 17.

Cœna sacra negotiis celebrandis adhiberi solita. 159.

Colaphum pro pecunia infligendi an valeat pactum? 114.

Collisio pactorum quid juris admittat? 114. obligationum non datur. 234.

Collibisticus contractus idem est qui cambialis. vid. *Cambium.*
Commendatum interdum dicitur depositum. 352.
Commissoria lex. vid. *Lex commissoria.*
Comitiale votum quomodo se habeat in societate? 456.
Commodatum quid sit? 337. inter illustres rarius occurrit. ibid. ejus objectum & jura. 338. periculi quæstio in jure naturæ anceps est. ibid. & sq. quo differat a precario. 343.
Commune pretium quid sit? 375.
Communis rei alienatio communem dominorum consensum requirit. 99.
Compensatio quid sit? 248.
Concubinæ secundum jus naturæ valide donatur. 283.
Conditio possibilis suspendit obligationem 154. facti est nec præsumenda. 155.
Conditionata pacta quænam sint? 34.
Conductor ad quid obligetur? 411. 412. in quantum ejus heres obligetur? 413.
Conductus salvus. vid. *Salvus conductus.*
Confirmatio judicialis ad contractus solennitatem nonnunquam requiritur. 160. principis confirmatio defectum solennium tollit. ibid. pontificis confirmatio in negotiis summorum imperantium quomodo consideranda. 161. conf. *Insinuatio judicialis.*
Congressus cum hoste quomodo caute instituendus. 89.
Congrui jus quid sit? 244. unde dictum? ibid. unde ortum sit? 245. quem usum habeat inter principes? ibid. differt a retractu vicinitatis. ibid. & sq. producit condictionem 246. impedit servitutis ac hypothecæ impositionem. ibid.
Conjuges sibi invicem donare prohibentur. 273. quod jam veteribus legibus Romanis & Germanicis obtinuit. 274. sq. ad imperatorem autem & Augustam haud extendendum. 275. omnino tamen ad principes imperii quoad Geradam & Heergewettam. ibid. non autem amplius quoad mobilia uxoris. 276. pœnitere hinc potest conjux donans, 277. donatumque à tertio etiam repetere. ibid. & sq. qua de re Schilteri sententia commemoratur, 278. Myleri, ibid. Vitriarii, 279. & examinatur. ibid. confirmatur donatio conjugum jurejurando. 280. obitu donatoris. ibid. & si neutra pars fit deterior. 281. quæ jura ad desponsatos non extendenda. ibid.
Consensualis contractus quid sit? 40.

Consensus pactitius declaratur verbis. 145. tacite per signa. 150. id quod exemplo Margarethæ Henrico IV. nuptæ illustratur. 151. item per facta, ibid. & silentium. 152.

Constantini M. donatio pontifici facta commemoratur. 263. sqq. & examinatur. 265.

Constitutio personalis quo differt à privilegio. 211.

Constitutum quid sit? 497.

Contractus quomodo pactis contradistinguantur? 24. jure naturali non differunt. 25. ab iis non est recedendum. 205. ne ab innominatis quidem. ibid. communis contractuum distinctio haud retinenda 258. aliaque suppeditatur. 259. an contractus, qui rerum pretia præsupponit, ad principes sit applicandus? 378.

Contrahere, contrahendi facultas non complectitur facultatem remittendi. 249.

Conventio quid sit? 22. ejus utilitas. ibid. & sq. ac divisio ac quatenus principes respiciat. 23.

Corporale juramentum. vid. *Solenne.*

Corpus hominis an sit in commercio? 108.

Correi stipulandi & correi promittendi quinam sint? 495.

Creditor quid sit? 9.

Crimen quomodo objectum pacti esse possit? 112. sq.

Culpa quid sit? 219. varii variis constituuntur gradus. ibid. quorum tres explicantur. 220. quænam in contractibus præstanda? ibid. qui contractui benefico sponte se obtulit majorem præstet diligentiam jure civili quam is, qui se non obtulit. 221. extra contractum rebus alienis immiscendo se levissima culpa præstanda. ibid. an Germanis culparum gradus cogniti fuerint? 222. an semper levissima præstanda? ibid. & sq. cur raræ de culparum gradibus controversiæ? 223.

Cultus divinus negotiis perficiendis adhiberi solitus. 158.

Debitor quid sit? 9.

Decimæ an sint alienabiles? 105. an permutabiles? 363.

Delegatio quid sit? 248.

Delicta quomodo pactorum objectum esse possint. 112. sq.

Delphinatus ab Umberto donatus Galliæ regi. 294.

DEO an aliquid promittendum? 13. an Deus obligare se possit? 53. an DEO per juramentum obligamur? 197.

Depositarius ad quid obligatur? 359. re deposita uti non valet. ibid. & sq.

& ſq. alias in alium contractum depoſitum mutatur. 360.

Depoſitum quid ſit? 352. & in quasnam ſpecies diverſas abeat? 353. respublica per principem ex depoſito non obligatur. ibid. & ſq. Exemplum depoſiti præbet Norimberga & Fridericus III. Imperator. 354.

Deſponſati ſibi invicem valide donant. 281.

Diligentia in contractibus adhibenda cognoſcitur ex culparum præſtationibus, quas vide ſub voce: *Culpa.*

Diminutio capitis an obligationem tollat. 254.

Directum dominium utili per titulum emtionis etiam jungi poteſt. 381. ſq.

Diſpenſatio quo differt a privilegio? 211.

Divinus cultus negotiis celebrandis adhiberi ſolitus. 158.

Diviſionis beneficium competit fidejuſſoribus. 484.

Dolus circa pacta conſiderandus diverſimode. 126. ſq. 218. ſi ſubſtantialia pacti tangit conditionis vicem ſubit. 128. ſive paciscens ſive tertius eum adhibuerit. ibid. & ſq. nec ſufficit diſtinctio doli cauſam dantis ac incidentis. 129.

Domania an poſſint alienari? 104. aut donari? 292. ſq.

Dominium rei venditæ quando tranſit? 394.

Donatio quid ſit? 260. ejus indoles. ibid. ejusque fundamentum. 261. in quantum principes donent? 262. in rebus publicis principum donatio usque ad dominium dependens conceditur. ibid. & ſq. hinc multæ principum donationes revocatæ. 263. 326. & donatio illa Conſtantini M. famoſa dijudicanda. ibid. & ſq. omnium bonorum licita jure civili eſt. 294. minime autem jure Germanico. 295. an ejus rei donatio licita, cujus uſus donatario interdictus? 296. donatio debet eſſe libera, 297. gratuita. 298. etiamſi remuneratoria ſit. ibid. cujus aliæ adhuc ſpuriæ differentiæ recenſentur. 298. ſqq. donatio non præſumitur. 301. ſq. donationi tacite ineſt conditio: ſi alter acceptaverit. 313. item: ſi meum eſt quod dono. ibid. item: niſi ipſe indiguero. 314. item: ſi cauſa addita fuerit ſecuta. ibid. an etiam hæc: niſi liberi ſupervenerint? 315. an quoque conditio gratitudinis? ibid. & ſqq. donationes principum ſimpliciter non ſunt revocabiles. 326. ſed in tantum ſaltem in quantum vitio laborant. ibid. & ſq.

Donationes pontificum circa terras alienas sunt nullæ. 100. id quod nec barbaras gentes fugit. 290.
Do ut des est species permutationis. 361. sqq.
Do ut facias. 369.
Dresdensis senatus olim locationis titulo jurisdictionem habuit. 403.

Ecclesiæ, in quantum iis licet donare? 288. an conducere res publicas possint? 406.
Ecclesiastica bona an alienari queant? 105. an locari? 399.
Einreiten, Einlager idem est quod obstagium. 472.
Emphyteusis, quo differat à contractu censitico. 365. est species emtionis. 392. eoque referendus pariter contractus metallicus. ibid.
Emtio Venditio quid sit? 378. etiam à regibus ac principibus qua talibus celebratur. 379. sq. an subditos ad eam princeps cogere possit? 380. celebratur quoque circa territoria. ibid. & sqq. requirit pretium ac mercem. 387. immaginaria quo respiciat? ibid. accedunt emtioni venditioni: Pactum addictiois in diem, 388. Lex commissoria. 389. Pactum de retrovendendo, ibid. Pactum protimiseos. 390. Pactum contractus æstumatorii. 391. Pactum solutionis particularis. ibid. an locationem tollat? 395.
Episcopus Germanus an ad alienationem pontificis consensum requirere debeat? 66. an paciscendi facultatem habeat? 70. ad quam quæstionem distinctim respondetur? 71. ab alienatione tamen se temperare debet. 72.
Erbpacht est locatio in perpetuum facta. 410. sq.
Error vitiat consensum & hinc etiam pactum. 123. ex errore promissum ac præstitum qua ratione repetendum? 124. sqq. error Advocati intra triduum revocandus. 349.
Eucharistia sacra negotiis celebrandis adhiberi solita. 159.
Evictio quid sit? 224. quid ejusdem præstatio. 225. requirit rem ablatam & quidem juste, ibid. ex causa possessionem antecedente, 226. citra possessoris dolum aut culpam. ibid. præstanda tantum in negotiis onerosis, 227. & quidem quoad pretium & expensas. 228. excluditur pacto & præscriptione. 229. locum habet in emtionibus, venditionibus. 395.
Exceptio non numeratæ pecuniæ aut dotis quid sibi velit. 334.
Excussionis beneficium competit fidejussoribus. 484.

Execra-

Execrationis in juramentis ufus & abufus. 190.
Expectativarii confenfus in alienatione feudi an neceffarius? 74.
Expreffa pacta quænam fint? 35.
Extranei res alienare non licet. vid. *Aliena res.*
Exul princeps quatenus poffit pacifci? 70.

Facio ut des. 369.
Facio ut facias. 369.
Facta quatenus pactis funt obnoxia? 109.
Fallere hoftem quomodo liceat? 89. fq.
Fama cujusque an fit in commercio? 109.
Felonia committit vafallus alienando feudum, fi accedit vera traditio. 74.
Feudalis Contractus an beneficis annumerandus? 45.
Feudum vafallus alienare nequit. 73. nifi confenfu domini directi, agnatorum atque coinveftitorum. 74. quod etiam á principibus Germanicis obfervandum. 75. excepto Electore Brandenburgico, 76. & Archiduce Auftriaco, 77. ut & Duce tam Lotharingiæ, ibid. quam Mantuæ, &c. ibid. Feudum refutari poteft pro lubitu. 249. nec minus locari. 405.
Fidejuffio an ad contractus beneficos fit referenda. 45. alienorum refpicit promiffionem factorum. 117. ejus exempla adducuntur. 477. quis fidejubere poffit? 479. an princeps nomine reipublicæ? ibid. an privatus in pace publica? 480. fqq. quænam ejusdem requifita. 482. pro invito fidejuffio nulla eft. ibid. & fq. per mediationem & fubfcriptionem non inducitur. 483. eft vel fpecialis vel generalis. ibid. & fq.
Fides an hofti etiam fervanda? 88. an etiam perfido? 90. an latroni, prædoni, rebelli ac perduelli. ibid. & fq.
Filius familias á principe donatum ad quafi caftrenfia refert. 285. quisnam ejus rei effectus. 286. id quod ad apanagiatos principes non extenditur. ibid. & fq. an mutuum contrahere poffit? 331. â cambiis arcetur. 418.
Finis ceffans tollit obligationem. 255.
Firma, Datio ad Firmam quid fit & quo differat á contractu cenfitico? 368. locatio ad firmam ad longius tempus fieri folet. 410.
Fifco an actiones cedere liceat? 83.
Focariis donatum á milite revocari poteft. 283.
Fœdera princeps laxiore poteftate pangit. 63. 66. an ea cum infidelibus inire liceat. 85. an etiam contra

contra fideles. ibid. ut & offensiva? 86. an citra necessitatem? ibid. referenda sunt ad societates operarum. 449. in varias discedunt species 450.
Fœminæ an pacisci possint? 70. vectigalia conducere non possunt. 406. nec cambia subscribere. 418. nec fidejubere. vid. *Vellejanum Senatus consultum*.
Fœnoratitius contractus quid sit? 435. celebratur etiam á principibus. 437. Galliæ quondam infelix. 438.
Fœnus quid sit? 231.
Formalia negotii an secundum jura loci unde vel ad quem æstimanda. 149.
Francorum regni cessio Joannis & Caroli VI. regis irrita. 59.
Freibergensis cessioni nobilitas contradixit. 65.
Funeris cura est species negotiorum gestionis. 511.
Furiosus an donare possit? 269.

Galli regnis suis renunciari posse negant. 101. quorum rationes plenius trutinantur. 102. sqq. reges in persona jurant. 179.
Gandavense exemplum de fide rebelli servanda commemoratur. 136.
Geldria pro Arausionensi principatu permutata. 363. á Carolo audaci cum Zutphania emta. 380. sq.
Geminata promissio firmius reddit pactum. 157.
Genevensis comitatus Sabaudiæ comiti venditus 380.
Gentilitius retractus quid sit. 238. est strictæ interpretationis. 239. illius exempla recensentur antiqua, ibid. nobilium immediatorum. ibid. & sq.
Geradæ alienatio hodie quodammodo licita. 296.
Germaniæ princeps fœdera pangere licet defensiva, 67. terras in exteros transferre non potest. 92.
Germanicæ provinciæ sine subditorum alienandorum consensu alienatio fieri non potest. 65.
Gespielde Germanis idem est quod jus congrui. 244.
Gibeonitarum dolus disquiritur. 127.
Gleichensis comitatus sequestratur. 354.
Guarantia quid sit. 117. an tacitam evictionis præstationem involvat? 229. exempla illius illustria. 477. sqq.
Guarantigium quid sit? 501.
Guarantir quid significet? 117.
Guardia Salva. vid. *Salva Guardia*.

Haveria est species negotiorum gestorum. 511.
Helmstadium duci Brunsvicensi venditum 381. exercet jurisdictionem locationis titulo. 403.
Henne-

Hennebergicus comitatus quoad partem dimidiam emta. 381.

Hereditatis aditio tacitis accenſenda contractibus. 503.

Heretici, cum iis paciſci licet. 84. ergo quoque fœdera bellica cum iis inire. 85. etiam contra fideles. 85. ut & offenſiva. 86. citra neceſſitatem extremam. ibid. modo ipſorum religio fidem ſervare haud vetet. ibid. & ſq. iis quoque fides ſervanda. 88.

Hildburghuſana præfectura vendita. 381.

Homines proprii per libertatem Chriſtianam abrogati non ſunt cenſendi. 110.

Hoſti quoque fides ſervanda. 88. congreſſus cum eo quomodo caute inſtituendus. 89. fallere hoſtem quomodo liceat. ibid. & ſq. an perfido hoſti fides ſervanda? 90.

Hypotheca competit locatori in rebus conductoris illatis. 413.

Idololatra an jurare poſſit? 180.

Jephtha votum trutinatur. 15.

Jgnobiles prædia nobilium acquirere in Luſatia ſuperiori prohibentur. 80.

Ignorantia quomodo repetitionem aut revocationem concedat? 123. ſqq.

Illegitimis liberis donari an poſſit? 284. ſq.

Illicita promittere non licet. 110. ne quidem principi. 111. quod exemplo imperatoris illuſtratur 1) per privilegium Auſtriæ competens recipiendi bannitos (2) per promiſſionem de papa ſedeque Romana tuenda. 3) per promiſſionem de hereticis extirpandis. 111. ſq.

Immaginaria emtio quid ſit? 387. etiam in matrimoniis ineundis adhibita. ibid. & ſq.

Imperator in quantum alienare poſſit? 62.

Impoſſibilia fruſtra pactis ſubjiciuntur. 110. niſi figurate poſſibilia denotent, ut exemplo regis Mexicani docetur. ibid. & ſq.

Impoſſibilis conditio obligationem producit nullam. 154. ſq. 320.

Incertam rem emere licet. 383.

Incertus, an cum ejusmodi paciſci aliquis valeat? 93. donare incerto an aliquis poſſit? 289.

Indorum donationes a pontifice factæ ſunt nullæ. 100.

Indoſſamentum ſeu indoſſata cambia quid? 424. fit vel in extenſo vel, ut vocant, in bianco. 425. & ulterius indoſſari poteſt. 426. etiam particulariter. ibid.

Infamiæ pœna contractibus adhiberi maxime conſveta. 168.

Infantes an paciſci poſſint? 68. ſq an donare? 269.

Ingratitudo an cauſam det revocandæ

dæ donationi? 316. an renunciari eidem possit. ibid. & sq. ad principum donationes non est applicanda. 317. quod exemplo illustratur Brunsvicensi. ibid.

Innlager olim dictum quod hodie obstagium 473.

Innominatus contractus quid sit? 37. ejus discrimen inter nominatum jure naturali ignorari quibusdam fertur. 38. eidemque á Coccejo admodum attribuitur. ibid. media inter eos appprobatur sententia. 39.

Insinuatio judicialis ad solennia contractuum interdum adhibenda. 159. sq. in quantum in donationibus necessaria. 302. conf. *Confirmatio judicialis*. in quantum non necessaria jure Romano. 303. quomodo evitanda? 304. quando jure Saxonico requiritur, 305.

Instrumentum quarentigiatum quid sit? 502.

Interitus rei tollit obligationem. 255 quatenus ad rempublicam applicandus. ibid.

Interpretatio pactorum facienda secundum usum verborum vulgarem. 145. attamen mens potius quam verba respicienda. 146. ut & conditio paciscentium verbis technice utentium. 147. in dubio de pristino jure minimum remissum censendum. 148.

Invalidum ab initio quomodo ex post convalescere possit? 138. id quod exemplo Sabaudæ nuptæ Alfonso VI. Lusitaniæ regi illustratur. ibid. & sq.

Invasoris regni pacta cum aliis inita respectu ejusdem reipublicæ sunt invalida. 78. ex prudentiæ capite aliquando sustinentur. ibid. & sq.

Isenburgensis familia vigere fecit jus retractus ex pacto. 241.

Juramentum quid sit? 170. requirit in jurante gratiæ divinæ renunciandæ & facultatem & voluntatem. 171. 175. statui integritatis incognitum. 172. nec tamen illicitum. ibid. & sq. sed ejus præstatio quandoque necessaria. 173. utut eorum delatio nec præcepta nec necessaria. ibid. & sq. imo prohiberi possit. 174. illud vis injusta ac dolus malus vitiat. 176. licet contrariatur jus canonicum. 177. forma illius consistit in renunciatione gratiæ divinæ. 180. ejus formulæ. 183. solennitates. ibid. & sq. ritus Romani 184. hodie fit cum digitorum elevatione pectorive admotione. ibid. & sq. illustres super Evangelio jurant. 185. causæ earum sollennitatum explicantur. 186. aliæque adhuc recensentur. 187. conf. *Corporale juramentum & Solenne*

lenne. effectus juramenti quinam? 196. an DEO per juramentum obligamur? 197. juramenti obligatio est personalis sed pacti ad heredes transit. ibid.

Juratorius contractus an hodie stipulationi surrogari debeat. 497.

Jurare, an princeps subditis juret. 175. an aliquis per procuratorem possit. ibid. & sq. id quod negat Oldekop. 178. in feudorum tamen investituris frequenter fieri solet. ibid. & sq. aliquando etiam principali præsente. 179. Galliæ reges in persona jurant. ibid. an per creaturas recte juretur? 181. id quod exemplis illustratur ibid. & sq. an per salutem principis! 182. an per sanctos sanctorumque reliquias? 188. an per sancta DEI Evangelia? 189. quod frustra superstitionis arguitur. ib. & sq.

Jurisdictio sæpe emtionis titulo comparata. 382. nonnisi limitata locari potest. 399. 403. an tunc sublocari possit? 403. sq. quousque jura locatoris hac in re se extendere soleant? 404. in Gallia locari est prohibita. ibid.

Jus ad rem quid sit? 9.

Jus singulare quo differat à privilegio. 211.

Königsberg vendita. 381.

Kleggow vendita. 381.

Kriegsbevestigung idem est quod litis contestatio. 503.

Landarum sive *Langharum* feudorum controversia de subinfeudatione commemoratur. 61.

Landsaßen unde dicti? 366.

Landsiedler unde dictus? 366.

Laßzins unde nominationem acceperit. 366.

Latroni an fides servanda. 90.

Leonina societas an inire liceat? 453. sq.

Lex Commissoria principum pactis tacite non inest. 163. quod exemplo comprobatum redditur. 164. adjici tamen principum pactis potest. ibid. quod exemplo regis Poloniæ & Hungariæ illustratur. 165. item Germanico Imperatoris. ibid. & sq. differt à pacto dominii reservativo. 166. interdum insufficiens est ad constringendam paciscentium fidem. 167. adjici solet quandoque venditionibus. 389.

Lex Rhodia. vid. *Haveria.*

Libellarius contractus quid sit? 393.

Liberatoria pacta quænam sint? 42.

Liberi cum parentibus an pacisci valeant? 92. an parentibus donare possint? 272.

Licita facta ad paciscendum quænam sint sæpe dubium. 113.

Lipsia cum Skeiditzio permutata. 363.

Lipsienses jurisdictionem sibi emtionis titulo acquisiverunt, 382.

Litigiosa res an in alium transferre possit ac potentiorem? 81. 383. an in principem? 83.

Litis contestatio ad tacitos contractus referenda. 503.

Litteralis contractus quid sit? 40. conf. *Chirographarius contractus.*

Locatio conductio an tollatur per subsecutam emtionem venditionem? 395. ideo ea cautelæ loco in emionem usufructus temporarii transformanda, ibid. & sq. à Principe seu fisco facta non tollitur per subsecutam emtionem. 396. quid sit undeque orta. 397. in principis donatione præfertur plus licitans. 406. sq. consistit in consensu de usu rei seu opera pro mercede locanda. 407. subsistit etiam coacta ob publicam utilitatem. ibid. & sq. non autem ob privatam principis utilitatem. 408. celebratur etiam tacite. 409. tempus in ea diversimode observandum. ibid.

Locatio ad firmam ad longius tempus fieri solet. 410. imo perpetua, quæ dicitur Erbpacht. ibid. & sq.

Locatoris obligatio ipsiusque heredis quænam sit. 414. sq.

Lotharingia cum Mediolanensi ducatu permutata. 365.

Lotharingiæ Dux de feudis suis libere disponere potest. 77.

Lusatiæ superioris prædia nobilium ignobiles acquirere prohibentur. 80.

Lytrum incendiarium hosti promissum eidem licet fugato debetur. 134. utut solutum eripi ipsi iterum possit. 135.

Macedonianum Senatus consultum filiisfamilias mutuo dare prohibet. 331. quod etiam in principibus locum habet. 332.

Majestas an objectum locationis conductionis esse possit? 399.

Mandans cujusnam sit obligationis tum respectu mandatarii, 349. tum respectu tertii, quocum mandatarius contraxit. ibid.

Mandatarius non nisi nobilis quandoque admittitur. 346. potest esse etiam fœmina. ibid. qualem habeat obligationem. 348. an alium substituere possit? 350. in

quan-

quantum heredes ejus obligentur? ibid.

Mandatum quid ſit? 345. eſt vel judiciale vel extrajudiciale, 346. ſq. tacitum vel expreſſum, 347. generale vel ſpeciale, ibid. vel illimitatum. 348.

Manderſcheidenſes dominium directum emtionis titulo utili junxerunt. 382.

Mansfeldenſes comites terras ultra 20000. thlr. onerare nequeunt. 79. pactum ſub pœna banni ineunt. 169.

Mansfeldiæ comitatus à Saxone jure ſequeſtri poſſidetur. 354.

Marcklosung idem eſt quod Latinis retractus territorialis. 242.

Matres an liberis donare poſſint? 272.

Medicus cum ægroto an paciſci valeat? 92.

Mediolanum cum Lotharingia permutatum. 363.

Megapolitani duces pacto nihil extra familiam alienare promiſerunt. 79.

Meierding quid ſit? 367.

Meiergüter quid ſint? 367.

Meierlehn quid ſit? 367.

Meierlohn quid ſit? 367.

Meierrecht ꝛc. quid ſit? 367.

Mens potius quam verba in pactis reſpicienda. 146. ſq.

Mente captus an donare poſſit? 269.

Meretrici donatum à milite revocari poteſt. 283.

Metallicus contractus ad emphyteuſin referendus. 392.

Metus exceptio inter ſummos principes exulat. 132. alias nulla pax tuta nullusque bellorum finis. 133. id quod exemplis illuſtratur. ibid. & ſq. eoque refertur lytrum incendiarium promiſſum. 134. ſq. item id quod rebellibus belligerantibus promiſſum. 135. ſqq. inter ſtatus vero imperii illa exceptio omnino locum habet. 137.

Milites focariis donata revocare poſſunt. 283.

Mindelheimenſis dynaſtia libere alienari poteſt. 77.

Minorennes an paciſci poſſint? 68. an donare? 270. quousque hoc in principe locum habeat? 271. ſq. locationem conductionem de publicis rebus inire neutiquam poſſunt. 405. ſq.

Mirandulanum ducatum emit dux Mutinenſis. 381.

Mixta pacta ex publicis privatisque

quænam ſunt. 30. exemplis illuſtrantur. 32.

Monachi in quantum donent ſecundum jus civile, 265. ſqq. ſecundum jus canonicum. 267. & ſecundum Concilium Tridentinum. ibid. cujus caſus commemorabilis recenſetur. ibid. & ſq. aliique caſus excepti adducuntur. 268.

Moneta mutata in ſolutionibus debitorum tempus contractus reſpiciendum. 218. idem obtinet in mutuo. 335.

Monetandi jus an locari poſſit? 401.

Monopolium an princeps alicui concedere poſſit? 107. injuſtum cenſeri non videtur. 108. an locari? 402.

Monspelienſis urbs & ager permutatus. 362.

Moratorium referendum ad ſuperioris poteſtatem remittendi debita. 250.

Mors an obligationem tollat? 254. mors donantis an pro conditione eſſe poſſit? 324.

Mortis cauſa donatio quo differat à donatione in mortis eventum ſuſpenſa. 324. ad ultimas voluntates eſt referenda. 325. quamvis traditio vivo jam teſtatore facta. ibid.

Münſter, Ober und Niedermünſter utrumque permutatum. 363.

Mutatio religionis an ad conditionem turpem ſit referenda. 322. ſq.

Mutſchierung quid ſit? 448. olim Oerterung dicta. 449.

Mutuum quid ſit. 328. illuſtre frequentius accipere quam dare principes ſolent. 329. imo extant exempla vi exacti urgente neceſſitate. 330. officialibus illud contrahere an liceat? ibid. & ſq. an filiisfamilias? 341. quandoque aut pacto aut teſtamento prohibetur. 333. qualis obligatio inde oritur. ibid. mutuum non reddi nunquam paciſci aliquis poteſt. 335. uſuræ in mutuo regulariter ceſſant, 336.

Negotiorum geſtio unice quaſi contractus habenda. 508. ſq. exemplis illuſtratur. 509. ſq. præcipue Anglicano in Guilielmo Arauſionenſi. 510. ejus ſpecies recenſentur. ibid. & ſq.

Nobiles immediati ſpecialiter jure retractus gaudent ex privilegio. 239. ſq. licet illud ab aliis impugnatum ſit. 241.

Nomina an emere liceat? 383.

Nominatus contractus quid ſit? 37.

Non

Non numerata pecuniæ aut dotis exceptio. 334.

Norica Burggraviatus venditio commemorabilis. 381.

Novatio quid ſit? 248.

Nudum pactum & non nudum ſive veſtitum quid ſit? 24. eorum diſcrimen juri naturæ incognitum. 26. id quod ulterius confirmatur. 27. & illuſtratur. 28.

Obligare ſe quisnam poſſit? 53. an DEUS? ibid. an aliquis ſolus? 54. 123. id quod affirmatur. 54. & objectio removetur. 55. an etiam ejusmodi obligatio, quam quisque ſibi impoſuit, ſit perfecta? ibid. & ſq. an princeps ſe obligare poſſit? 56. an Univerſitas quædam? 68.

Obligatio quid ſit etymologice conſiderata. 8. ejus definitio. ibid. ejus diviſio generalis 9. ejus origo non à lege repetenda, ibid. ſed ex ſtatu perſonæ. 10. diſpeſcitur ulterius in naturalem, 10. ſq. & civilem. 12. conſtituitur facto. 13. debilior cedit fortiori & recentior antiquiori. 114. an ſolo facto conſtituatur? 54. 123. ex pacto principis orta ad heredes tranſit & ad populum. 206. ab obligatione non liberatur is, qui id, quod intereſt, præſtare vult. 216. obligatio acquiritur etiam ignoranti, 233. obligationum nulla datur colliſio. 134. antiquior & fortior jus tribuit retrahendi recentiorem & debiliorem. 137.

Obligatio civilis. vid. *Civilis.*

Obligatoria pacta quænam ſint? 42.

Obſes quid ſit? 464. an tantum à principe dari poſſit? 465. ad quod negando reſpondetur. ibid. datur potentiori. 466. eſſe ſolet ex nobiliſſimis, ibid. etiam fœmina, ibid. Clericus, 467. extraneus, ibid. ad quid ſint obligati ii, qui obſides dant? ibid. qualis obſidum ſit obligatio? 468. qualisque eorum qui obſides accipiunt? 469. an obſides interficere liceat? ibid. & ſq. an ei ob aliam cauſam retineri poſſint? 470. quando tollitur obligatio obſidiaria. 471.

Obſtagium quid ſit? 472. exemplis illuſtratur inter Ottonem imperatorem & Misniæ marchionem. ibid. inter Erneſtum Saxoniæ Electorem & fratrem Albertum Animoſum. 473. inter marchiones Brandenburgenſes & civitatem Norimbergenſem. ibid. inter Leopoldum Auſtriacum & Cathari-

nam Sabaudam. ibid. & ſq. reſpicit obligationem perſonaliſſimam. 474. quisnam modus ejusdem ac finis? ibid. & ſq. non infamat. 475. ob nimios ſumtus abrogatum. ibid. & ſq.

Oerterung olim idem fuit quod hodie Mutſchierung. 449.

Officialis an mutuum contrahere posſit. 331.

Onerosa pacta quænam ſint? 43. ſq. reſpiciunt æqualitatem. 46. qua neglecta ſuccurrendum læſo. 47.

Ordinis beneficium competit fidejusſoribus. 484.

Ordinum conſenſus an in alienatione Provinciarum neceſſarius? 64. ſqq.

Ordo Teutonicus libere de feudis ſuis diſponere poteſt. 77.

Otto Stetinensis dux cum monaſterio regimen mutavit. 293.

Pacisci quisnam poſſit? 53.

Pacta quomodo contractibus contradiſtinguantur. 24. jure naturali non differunt. 25. ineuntur vel de dando vel de faciendo. 33. parentum cum liberis an valeant? 92. reſpiciunt bona & facta. 99. & quidem illa quæ dominio cujusque paciſcentis ſubſunt. ibid. qua ratione reſpiciant delicta. 112. ſq. de rebus illicitis ſunt illicita. 110. ſqq. nec ea contra matrimonium valent. 115. an facto ſolo poſſint conſtitui? 123. requiſita eorum legislatorem ipſum non ſtringunt. 139. ſq. nec juvant. 140. ſunt ſervanda ab omnibus. 203. etiam à principibus 204. nec ab iis recedendum eſt. ibid. & ſqq.

Parentes cum liberis an pacisci valeant? 92. an ipſis donare posſint? 272.

Partage Tractat ad negotia valida haut referendum. 100.

Particularis solutio ſeu in terminos promiſſa auf Tagzeiten emtionibus quandoque adjicitur. 391.

Patronatus jus absque fundo acquirere nemo poteſt. 382. an locari poſſit? 400.

Pax an ineunda aut non ineunda propter unius ſociorum diſſenſum? 458.

de *Peculio* obligatio ad contractus tacitos numeranda. 504. quod ad filium principem peculium adminiſtrantem quoque applicandum. 505.

Pecunia commercia rerum facilitat. 372. ejus requiſita. ibid. & ſq.

quæ

quæ in aurum & argentum optime quadrant. 373.

Periculum an in contractibus præstandum? 223. ſq. quando tranſit in emtionibus venditionibus. 394. ad quem ſpectet in cambiis? 433.

Permutatio quid ſit ac quotuplex? 361. ſq. etiam circa ditiones ac terras eſt celebrata. 362. ſq. an traditionem requirat? 364.

Perpetua ſocietas an jure naturali iniri poſſit. 451. & 452. quare hoc jure Romano non procedat. 453.

Perſonalia Pacta quænam ſint? 33.

Phaſianus adhibitus in condendo aurei velleris ordine. 158.

Pignus an ad contractus beneficos ſit referendum? 45. eſt ſpecies asſecurationis pactorum. 463.

Pluribus idem donatum à principe cujus conditio potior? 287.

Pœna interdum pactis adjici ſolet. 162. quæ quadruplum quoque excedere poteſt. 167. an modum legitimarum uſurarum? ib. & ſq. pœna infamiæ haud incongrua. 168. quæ Germanis uſitatiſſima. ibid. pœna tamen banni neminem obligat. 169.

Pœnitendi facultas quousque in donatione locum habeat. 307.

Pœnitentia an tollere poſſit obligationem? 256.

Pollicitatio quid ſit? 18. quomodo obliget? ibid. in quantum obliget. 19. & quidem jure Romano. ibid. an principes obliget? 20.

Pollizza. vid. *Aſſecuratio.*

Pomerania in commercio non eſt. 64.

Pomerania Svecica Boruſſorum regi in ſequeſtrum tradita. 354.

Pontificis donatio novi orbis commemoratur & examinatur. 100. 290. ſq.

Pontificum donationes alienarum terrarum nullius ſunt momenti. 100.

Poſſibilis conditio obligationem ſuſpendit. 154.

Poſtarum reditus an locari poſſint? 401.

Potentiores an ab acquiſitione immobilium arceri poſſint? 81.

Prædes quo differat ab obſide? 464.

Prædoni an fides ſervanda? 90.

Præfecti provinciarum olim negotiari cum ſubditis & hodie paſſim immobilia acquirere prohibentur. 30.

Præfectura locari solent. 405.

Prælationis jus competit in re principis locanda plus licitanti. 406. an etiam sorori aut simultanee investitis in feudo locando? 407.

Præparatoria pacta distinguenda a præparatoriis pactorum. 43.

Præsumta pacta quænam sint? 35. conf. 302.

Precaria juris canonici quomodo differat a precario. 341.

Precarium quid sit? 339. debet esse gratuitum & revocabile. ibid. nisi aliud conventum. 340. differt a precaria. 341. varias admittit species. ibid. & sqq. an possessionem tribuat? 343. quo differat a commodato? ibid. qualem culpæ præstationem postulet? ibid. & sq. finitur revocatione. 344.

Pretium rerum facilitat commercia. 372. conf. pluribus *Pecunia.* fundamentum ejus est raritas. 374. ejus divisiones ac species. 375.

Princeps summus non tenetur jure civili. 12. an ex pollicitatione obligetur? 20. quatenus per conventionem se obligare possit. 23. 56. quatenus applicationem realium pactorum admittat? 34. an emtionem venditionem ex L. 2. C. de resc. emt. vendit. rescindere possit? 47. obligat se ex pacto; 56. tum ex privato. 57. tum ex publico. ibid. etiam de bonis subditorum singulorum. 58. non autem de publicis regni bonis. ibid. 100. 392. sqq. id quod exemplis corroboratur. 59. quæ restrictio summæ potestati haud adversatur. ibid. fœdera laxiore potestate pangit. 63. 66. captivus princeps quatenus pacisci possit. 70. cum subditis valide paciscitur. 82. an etiam cum extraneis. 83. an actiones sibi cedendas facere possit? ibid. res alienas alienare non potest. 99. sqq. metus exceptionem contra pacta sua opponere non potest 132. sqq. confirmando negotium subditi defectum solennium tollit. 160. pactis principis Lex commissoria tacite haud inest. 163. adjici tamen illis potest. 164. an subditis princeps soleat jurare? 175. sqq. jurat plerumque super sancto evangelio. 185. servare non minus pacta debet ac subditus. 204. obligationes ex pacto ortas ad heredes æque ac ad populum transmittit. 206. ut & ad successorem cujuscunque generis. 208. sq. sed contractus ejusdem non sunt leges. 207. princeps pro prodigo an habendus. 269. an gaudeat jure congrui? 245. in quan-

quantum donet. 262. in publicis rebus usque ad dominium dependens donare valet. ibid. & ſq. princeps minorennis an contrahere aut donare poſſit? 271. pluribus idem donans cujus conditionem potiorem faciat. 287. in donationibus ejusdem obtinet accreſcendi jus. 287. an ipſi donari poſſit a ſubditis. 289. miniſtris tamen & legatis ejusdem dona accipere interdum interdicitur. ibid. princeps res alienas donare non poteſt. 290. ſqq. nec donationes ob ingratitudinem revocare. 317. nec ſuas indiſtinctè donationes ſimpliciter revocare. 326. ſolet mutuum frequentius accipere quam dare. 329. an SCto Macedoniano uti queat? 332. rempublicam ex depoſito obligare nequit. 353. an ad negotium ob pretium commune excedens reſcindendum provocare poſſit? 377. celebrat etiam emtiones venditiones. 379. ſqq. etiam circa territoria. 380. quatenus ſubditos cogere poſſit ad emtionem venditionem? 380. quatenus ad locationem conductionem? 407. cambiis quoque ſeſe obligat. 417. in miniſtrorum tamen nomina ſæpius conceptis. 434. celebrat contractum quoque fœnoratitium. 437. an nomine reipublicæ fidejubere valeat? 479. filio peculium adminiſtrandum concedens de illo quoque tacite obligatur. 505.

Princeps Germaniæ ſeu Imperii tenetur obligatione civili. 12. allodia recte alienat. 63. ſq. an ordinum conſenſus neceſſarius? 64. fœdera pangere poteſt defenſiva, 66. ſq. non offenſiva. 67. ad feudorum tamen alienationem conſenſum domini directi, agnatorum ac coinveſtitorum requirere bebet. 75. exceptis quibusdam privilegiatis. 76. ſqq. terras in exteros transferre haud poteſt. 92. exceptione metus utitur. 137. conjugi donare non valet, quoad Geradam & Hergewettam. 275. omnino tamen quoad mobilia uxoris. 276. an SCto Macedoniano ſe tueri poſſit? 332. an ad Legem quincunces tantum uſuras permittentem ſit adſtrictus? 442. ſqq. in publicis contractibus modum uſurarum præſcriptum haud tenere debet. 443. nec in privatis cum proprio ſubdito celebratis. 444. omnino tamen in iis, quos cum aliis imperii tamen ſubditis contrahit. ibid. & ſq. qua de re caſus commemoratur ſpecialis. 445. ſcriptoresque recenſentur. 446.

Privata pacta quid ſint. 28. & 32.

Privatus an fidejuſſor eſſe poſſit in pace publica? 480. quod olim frequentiſſimum fuit. ibid. & ſq. præſertim in cauſis pecuniariis. 481. & 482.

Privilegia an princeps concedere poſſit? 106. ſq. an revocare quoque poſſit? 209. 327. eorum natura explanatur. 210. in iis revocandis diſpiciendum an per pactum conceſſa nec ne? 211. privilegia non ſunt ea, quæ ſibi ſubditi in principum conſtitutione reſervant. 212. a revocatione privilegiorum differt eorum annullatio, 213. colliſio, 214. aut interpretatio. ibid. & ſq. cujus exempla adducuntur. 218. ſæpius emtionis titulo comparantur. 382.

Prodigi an paciſci poſſint? 69. an donare? 269. quid circa principem eo caſu obtineat. 269.

Promiſſio de factis alienis quatenus obligat? ſpecialiter. 117. quatenus ad intereſſe. 119. quatenus ad diligentiam ſaltem. ibid. quod exemplis illuſtratur illuſtribus. ib. & ſq. eo ſunt referendæ ſponſiones legatorum. 120. qualis eſt Caudina & Numantina. ibid. & ſq.

Promiſſorium juramentum quodnam eſt? 192. 193. an licitum ſit? 194. valet de rebus licitis præſtitum. 195. ab eo liberatur remisſione. 198.

Promiſſum eſt præſtandum in qualitate & quantitate promiſſa. 217. ubi præſtari nequit, præſtandum eſt id, quod intereſt. 218. præſtandum etiam tempore promiſſo. 230. pluribus promiſſum poſterius eſt irritum. 234. licet aliquid ſive dandum ſive faciendum ſit promiſſum. 236. ſq. jure civili vero is, cui res tradita, fortius jus habet. 237.

Propria res donanda. 290. in qua nec tertio quicquam juris adverſantis. 295.

Proteſtatio adhibenda in ſignis & factis voluntati contrariantibus. 152. ſemper facta eſt contraria nec ideo vitiatur. 153.

Protimiſeos pactum venditionibus adjici quandoque ſolet. 390.

Provocatio ex L. ſi contendat prodeſt interdum fidejuſſori. 485. ſq.

Publica bona. vid. *Bona publica.*

Publica pacta quid ſint? 28. ſecundum variorum ſententias examinantur. 29. veraque ſubjicitur.

tur. 30. ac exemplis illuſtratur. 31.

Pura pacta quænam ſint? 34. ſq.

Quaſi contractus quid ſit? 35. juri Romano ignorari quibusdam fertur. 36. an juri naturæ ſit cognitus. 505. quæ controverſia a Memmingenſibus occaſione vaſtationis Gallorum & inter Boruſſorum Suecorumque reges occaſione Sedinenſis obſidionis eſt ventilata. 506, hinc argumenta negantium. 506. ſq. & affirmantium recenſenda. 507. & objectio præcipua: quod præſumtio libertatis excludat præſumtionem obligationis, removetur. ibid. & ſq. quænam negotia eo referenda? 508. quod unice negotiorum geſtioni contigit, ibid. & ſq. ejusque ſpeciebus, 509. ſqq. reliqua negotia perperam huc numerantur. 511.

Quinquenell referendum ad facultatem ſuperioris debita remittendi. 250.

Quod juſſu obligatio refertur ad contractos tacitos. 504. ſq.

Rappersweil ducibus Auſtriæ ab Habsburgicis venditum. 381.

Ratihabitio reddit validum, id quod ab initio vitioſum. 137. eaque ad negotii tempus retrotrahenda. 139.

Realia pacta quænam? 33. quatenus ad principes pertinent? 34. quod exemlis illuſtratur. ibid.

Realis contractus quid ſit? 40. discrimen a natura petitum. 41.

Rebellis an ei fides ſervanda? 90. an non metus exceptio ei obſtat. 135. ſq. quod exemplo ſcotico illuſtratur. 136. item Gandavenſi. ibid. & ſq.

Receptio in navim, cauponam, ſtabularium &c. ad contractus tacitos referenda. 504. eo pertinet reſpectu principis damnum in via publica acceptum. ibid. quod duobus exemplis altero Badenſi altero Herbipolenſi illuſtratur. ibid.

Reditus annui. vid. Annui reditus.

Refutatio feudi pro lubitu facienda. 249.

Regalia an alienari poſſint? 104.

Regendi poteſtas quatenus alienanda? 101.

Relaxatio juramenti a principe facienda. 198. ſq. nec renunciatione impediri poteſt. 199. aliquando fit a pontifice Romano. 200. quod in cauſis ſuæ jurisdictioni ſubjectis recte

recte procedit. ibid. & sq. alias fit a judice ordinario. 201.

Religionis mutatio pactis non est promittenda. 115. an ad conditionem turpem referenda. 322. sq.

Remittere, facultas contrahendæ non involvit facultatem remittendæ obligationis. 249. superior valide remittit obligationem nomine inferioris. ibid. & sq. remittitur debitum vel expresse vel tacite. 250. ut pactum prius rumpendo. 251. an non usu remittatur. ibid. & sq.

Remittens in cambio pecuniam solvit. 420.

Remissio debiti quid sit? 248. in negotiis bilateralibus debet esse mutua. 248. excepto feudo. 249. an in locatione ob sterilitatem aut casum fortuitum sit necessitatis. 412. sq.

Remuneratio itidem ac ipsa donatio debet esse gratuita & libera, 298. non coacta. ibid. aliæ ejusdem differentiæ spuriæ a donatione commemorantur. 299. sqq.

Renunciatio beneficiorum ex juramento accedente non præsumitur. 485.

Repetita promissio firmius reddit pactum. 157.

Rescissio negotii ob pretium commune excedens locum habet. 377. quomodo ad principum negotia applicanda? ibid. & sq. in specie ad emtionem venditionem? 47.

Restitutio in integrum tollit obligationem. 252. in quantum ad principes applicenda. 253.

Retractus quid sit. 237. est vel testamentarius vel legalis. 238. legalis est vel gentilitius, ibid. vel territorialis, 242. vel ex jure congrui. 244. differt ab annullatione negotii. 241.

Retrovenditionis pactum sæpe venditionibus adjici solet. 389. quomodo differat a jure retractus. 237. occurrit in jurisdictione Lipsiensibus vendita. 382. 389. item in bonis solidorum, bey den Schillings-Gütern. 390.

Revocatio bonorum publicorum alienatorum an ab ipso principe alienante fieri possit. 61.

Rhodia Lex de jactu. vid. *Haveria*.

Rostochienses jus appellandi ad civitatem Lubecensem aut Cameram Imperialem emtionis titulo sibi acquisiverunt. 382.

Salva

Salva Guardia differt a ſalvo conductu. 370.

Salvus conductus ad contractum facio ut facias eſt referendus. 369. differt a ſalva guardia. 370. etiam refertur ad obligationem ex Receptione. 504.

Sanguinaria ſubſcriptio ſeriam indicat voluntatis declarationem. 157.

Sanguinis hauſtus quibusdam fœderum eſt firmamentum. 157. ſq.

Sardinia cum Sicilia permutata. 363.

Sauli regis Iſraëlitarum votum examinatur. 15.

Schillingsgüter retroventitionibus ſunt obnoxia. 390. quænam ſint. 393. ſq.

Schwalenburgenſis comes ultimus Waldecciæ comitatum donavit Ottoni comiti Waldecciæ. 294.

Scriptura pacto accedens interdum utilis interdum neceſſaria. 149. 157.

Securitatis emtio differt ab emtione ſpei. 384.

Senatus Conſultum Macedonianum mutuo dare filiisfamilias prohibet. 331. in principibus Germanicis admittendum. 332.

Senes an paciſci poſſint. 69.

Sequeſtratio eſt ſpecies depoſiti. 353. exemplum præbet Pomerania Suecica Boruſſorum regi tradita. 354. in eam etiam dantur perſonæ. 355. a quo ea conſtituatur. ibid. & ſq. an ab Auſtregis. 356. conſtituitur, ſi poſſeſſio eſt litigioſa. ibid. ob metum armorum aut diſſipationis. 357. cui ſequeſtrum committatur. ibid. quomodo conſtituatur. 357. quisnam illius effectus. ibid. & ſq. quatenus operetur poſſeſſionem. 358. & per conſequentiam quoque interdicta. ibid. quomodo evitanda & tollenda. 359.

Sicilia cum Sardinia permutata. 363. ejusdem donatio a pontifice facta nulla eſt. 100.

Sigismundus Tirolenſis Maximilianum I. omnibus ſuis ditionibus donat. 293.

Simulata emtio quid ſit. 387. etiam in matrimoniis adhibita. ibid. & ſq.

Simulatus contractus quid ſit. 36.

Singulare pretium quid ſit. 376. impune poteſt commune pretium ſuperare. ibid. reſtringitur tamen per L. 2. C. de reſc. vendit. 377.

Skeïdiz cum Lipſia permutata. 363.

Societas quid ſit in genere? 447. quid in ſpecie? 448. exempla ſocietatis rerum illuſtris commemorantur, ibid. & ſq. ut & ſocietatis operarum ſeu fœderum. 449. quæ etiam perpetua conſtitui poſſet. 451. & 452. quare hoc jure Romano non procedat. 453. an leonina ita dicta eſt permiſſa? ibid. & ſq. quosnam in genere effectus producat? 454. num votorum pluralitati in ſocietate ſtandum? 455. an prohibentis voluntas anteponenda? 456. ſpecialiter an in ſocietate privati cum principe inita. 458. quænam culpa præſtanda? 456. ſq. factum unius ſociorum obligat reliquos. 457. quando finiatur ſubditorum & imperantium ſocietas. 459. an regiminis ſocietas ſine ordinum conſenſu poſſit tolli? 460. ceſſat etiam ceſſante fine. ibid. tollitur ob furorem. ibid & ſq. ob mortem. 461. & ſi alter ſociorum á ſocietate prius receſſerit. ibid. & ſq.

Solenne juramentum quodnam ſit. 191.

Solidus quid ſit? 307.

Solimanni II. Turcarum imperatoris votum fluvium Raab non transgrediendi ſucceſſoribus negligentibus infeliciter ceſſit. 17.

Solutio debiti quid ſit? 248. particularis pretii ſeu in dies promiſſa emtionibus interdum adjici ſolet. 391.

Spem emere ſolemus. 383.

Sponſio alienorum factorum promiſſionem reſpicit. 117. 118.

Sponſio, Wette, Wettenſchafft quid ſit? 318. conditionem ſemper involvit ibid. an licita de principis morte? ibid. quid juris in iis, quæ ſuper ſolutionibus ænigmatum inita? 319. ad quid ſe extendat? ibid. & ad quantum? ibid.

Sponſor in ſtipulatione dicitur promittens. 49.

Sponſus Spônſa. vid. *Deſponſati.*

Stipulatio peculiarem contractum non efficit. 41. nec per ſe ſubſiſtit, ſed aliis contractibus accedit. 494. unde dicta? ibid. quid ſit? 495. hodie nullius eſt uſus 496. quo differat á pactis? ibid. interdum cautelæ loco utiliter adhiberi fertur. ibid.

Strasberga arx vendita. 381.

Stricti juris contractus quid ſit? 47. ejus differentia á bonæ fidei contractu eſt naturalis. 48. id quod caſi-

casibus illustratur variis ibid. & sq. quid differentiæ jus civile addiderit. 51.

Styria invita alienare non potest 64.

Subditus cum principe valide paciscitur. 82. ejus bona valida á principe in alium transferuntur. 100. 294.

Subhastatio tacite complectitur addictionem in diem. 388.

Subinfeudatio cuilibet vasallo licita. 73.

Superficies quid sit? 393.

Συναλλαγμα an omnibus contractibus applicandum. 25.

Sverinensis comes de adulterio transegit cum Waldemaro II. Angliæ rege. 113.

Tacita conditio interdum negotiis inest. 154.

Tacita pacta quænam sint? 35. tot sunt quot signa voluntatis aliter, quam per verba, declarandæ, 502. nonnulla contractus nomen sunt sortita. 503. sqq.

Tempus contractus respiciendum in solutionibus debitorum mutata moneta. 218. id quod etiam obtinet in mutuo. 335.

Territorialis retractus quid sit. 242. quomodo inter principes locum habeat. 243.

Tertii res alienare non licet. vid. *Aliena res.*

Torgavia Anhaltinis vendita. 381.

Traditio in quantum donationibus necessaria? 302. an in permutationibus necessaria? 364.

Transactio de delicto an valeat. 112. sq. etiam mariti de adulterio cum adultero? 113. an de testamento non cognitis ejusdem tabulis. 115. sq. an contra matrimonium. ibid.

Trassans litteras cambiales exhibet. 421.

Tributa an subditis imponi possint ad donationes principi faciendas? 294. an locari possint? 401.

Tubinga comitibus Würtembergiæ vendita. 381.

Turpis conditio quomodo se habeat in contractu generaliter? 320. an donationem etiam vitiet? ibid. & sq. qua de re variorum examinantur sententiæ. 321. an conditio de mutanda religione eo sit referenda. 322. cujus casus varii commemorantur. 323.

Tutela est species negotiorum gestionis. 511.

Tyranno an fides servanda? 91.

Ulrici Würtembergici ducis jus quoddam præsidii Carolo V. promissum á populo firmandum. 64. sq.

Umbertus Delphinatum Galliæ regi donavit. 294.

Universitas quædam an pacisci possit? 68.

Usuræ quænam sint. 230. 231. debentur ex mora & conventione. 231. & quidem ex mora ob cessantem rei usum. ibid. an etiam in negotiis stricti juris debeantur. 232. in mutuo regulariter cessant. 336. an licitæ sint. 436 sqq. ad certum modum sunt restrictæ legibus. 439. sqq. qui apud Germanos est vigesima pars sortis. 440. an illa Lex Imperii sit universalis, vel tantum bellum tricennale respiciat. 441. an etiam principes Germanicos obliget. 442.

Usurarius contractus quid sit. 435. adhibetur etiam á principibus. 437. Galliæ quondam infelix. 438.

Usurpatoris pacta cum aliis inita respectu subditorum sunt invalida. 78. ex prudentiæ tamen capite aliquando sustinentur, ibid. & sq.

Uxoris contractus principem nullo modo obligat. 505.

Vades quo differt ab obside. 464.

Vasalli feudum alienare nequeunt. 73. nisi consensu dominorum directorum, agnatorum & coinvestitorum. 74. ergo nec donare. 270.

Vectigalia an locari possint. 401. plerumque ipsis locandis modus ponitur. ibid. & sq. nec de iis paciscendi licentia aliquando ademta. 402.

Venatio precaria quo consistat. 341. interdum est restricta ad tempus quoddam. ibid. & sq. ad modum quendam 342. aliquando cumulative conceditur. ibid. & sq.

Vellejanum Senatus consultum prohibet fidejussiones fœminarum. 486. naturaliter validas. ibid. & sq. quasnam admittat exceptiones. 487. an eidem renunciari possit, ibid. & sq. ejus causa & æquitas. 488. usus hodiernus. 489. an ad Augustam pertineat. ibid. an ad Imperii principissas. 490. id quod in publicis guarantiis nega-

negatur. ibid. in privatisque affirmatur. 491. præsertim si principissæ regimine destituuntur ibid. & sq. aut sunt aliorum principum subditæ. 492. ejus vicem restitutio in integrum minime subit. ibid. & sq. statui Romano haud proprium. 493.

Venditio vid. Emtio.

Venetis ab acquisitione immobilium piæ causæ arcentur. 79. sq.

Verba ad declarandum consensum in sensu populari & communi adhibenda. 145. nisi ex circumstantiis mens alia colligenda. 146. & conditio paciscentium aliud velit. 147. vacare debent cavillatione. 150.

Verbalis contractus quid sit. 40.

Verus contractus quid sit. 35. contradistinguitur Quasi contractui & simulato. 36.

Versio in rem est species negotiorum gestorum. 510. sq.

Vestitum pactum. vide sub voce: *Nudi.*

Vicinitatis retractus quo differat á jure congrui. 245. sq.

Victima negotiis celebrandis adhiberi solita. 159.

Vis non omnis vitiat contractum. 129. sed injusta tantum. 130. bellica semper justa præsumitur. 131. egregie illustratur exemplo Wenceslai regis Bohemiæ extorquentis consensum Friderici Imperatoris. ibid. & sq.

Vitiosum ab initio quomodo ex post convalescere possit. 137. sqq.

Votum an secundum pluralitatem in societate admittendum. 455. an prohibentis voluntatem sequendum. 456. quid in comitiali locum habeat. ibid.

Votum quid sit. 13. an DEO aliquid promittendum. ibid. & sq. ejus causa, forma ac objectum. 14. ejus exempla sacra. 15. item profana principum. ibid. & sq. & faceta. ib. ejus effectus. 17. quatenus successorem obliget. ibid. carere debet cavillatione. 17. id quod exemplo Alexandri VIII. Papæ & Clodovæi Gallicæ regis illustratur. ibid.

Waldecciæ subditi oblationem in feudum approbare jubentur. 65. Comitatus ab ultimo Schwalenburgensium comite donatus 294. sq.

Waldemarus II. Angliæ rex transegit

cum marito comite Schwerinensi de adulterio. 113.

Weinsbergensibus uxoribus maritos efferre ex gratia magis quam ex debito concessum. 149.

Weissenfelsensis cessioni nobilitas contradixit. 65.

Wenzeslai regis Bohemiæ exemplum consensus ex Friderico imperatore vi extorti commemoratur. 131. sq.

Wette, Wettenschafft. vid. *Sponsio.*

Wied, in hac familia vige
tractus ex pacto. 241.

Wiederkauff. vid. *Retrove*

Würtembergicus populus ju
dam præsidii Carolo V.
rico duce concessum,
dicuntur. 64. sq.

Ysenburgensis familia vigere
retractus per pactum. 2

Zutphania cum Geldria á
Audaci emta. 380. sq.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

cum marito comite Schwerinenſi de adulterio. 113.

Weinsbergenſibus uxoribus maritos efferre ex gratia magis quam ex debito conceſſum. 149.

Weiſſenfelſenſis ceſſioni nobilitas contradixit. 65.

Wenzeslai regis Bohemiæ exemplum conſenſus ex Friderico imperatore vi extorti commemoratur. 131. ſq.

Wette, Wettenſchafft. vid. *Sponſio.*

Wied, in hac familia viget jus retractus ex pacto. 241.

Wiederkauff. vid. *Retrovenditio.*

Würtembergicus populus jus quoddam præſidii Carolo V. ab Ulrico duce conceſſum, firmaſſe dicuntur. 64. ſq.

Yſenburgenſis familia vigere fecit jus retractus per pactum. 241.

Zutphania cum Geldria á Carolo Audaci emta. 380. ſq.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Neumann, Johann Friedrich Wilhelm <<von>>,

Joh. Frid. Wilh. de Neumann, in Wolfsfeld, Consiliarii Brandenburgico-Anspacensis, De Pactis Et Contractibus Principum Commentatio

Francofurti ad Moenum 1752

4 J.publ.g. 851-4/6
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10516491-7
VD18 90192710